

A. V. 039

13-1.C.56


INSTITVTIONVM
DE REGVLARIVM
ARISTOCRATIA
AVCTORE
D. DOMINICO PVERONE
CREMONENSI.
Congregationis S. Mariæ
Montis Oliueti Abb. Gener.
TOMVS TERTIVS
Arretij Apud Herculem de Goris
Typis publicis 1632.
De Licentia Superiorum.
BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INSTITVTIONVM
DE REGVLARIVM ARISTOCRATIA

AVTHORE

D. DOMINICO PVERONE CREMONENSI,

CONGREGATIONIS S. MARIÆ MONTIS OLIVETI ABB. GENERALI

TOMVS TERTIVS,

IN QVO,

DE IMPARTITA A' SVMMO PONTIFICE PRÆLATIS OMNIBVS POTESTATE

diiudicatur.

TRANSTIBERIM BIBLIOTHECÆ S. FRANCISCI

ARRETII,
Apud Herculem de Goris, M. DC. XXXII.
Superiorum Permissu.

TRANSTIBERIM BIBLIOTHECÆ S. FRANCISCI

Digitized by Google

EGO Io. Baptista Barbanius V. I. D. Canonicus Pœnitentiarius Arretinus, ac Prothonotarius Apostolicus de Mandato Reuerendiss. D. Vicarij Generalis Illustriss. ac Reuerendiss. D. Episcopi Arretini, Opus quod inscribitur INSTITVTIONVM DE ARISTOCRATIA REGVLARIVM. Authore D. Dominico Puterone Cremonensi Congregationis S. Mariæ Montis Oliueti Abb. Generali. Tomus Tertius. Legi, ac in eo, nihil reperi Sacræ Religioni, Sacris Canonib. ac bonis moribus contrarium, quin potius omnia in eo contenta, ex mea facultate, probatissima Iudico, ac digna præfato D. Dominico Viro vsquequaque doctissimo, ac Insigni.

Ioannes Baptista Barbanius qui supra.

VISA suprascripta laudabili relatione, Imprimatur seruatis seruandis.

Ioannes Baptista Ciofius Vicarius Generalis Illustriss. Episcopi Arretini.

OPus inscriptum INSTITVTIONVM DE REGVLARIVM ARISTOCRATIA, Authore Celeberrimo Viro, ac Reuerendiss. P. D. Dominico Puterone Cremonensi Congregationis S. Mariæ Montis Oliueti Abb. Gener. vidi ego Magister F. Hieronymus Ruscellius Sanctæ Inquisitionis Vicarius in Ciuitate, ac Diœcesi Arretina, & quoniam nihil inuenitur in eo, nisi Sacræ Theologię, Sanctisq; Regulis Indicis consonum: ideo vt typis mandetur per vtile, ac dignissimum censui, & facultatem concessi hac die 20. Aprilis 1632.

Idem F. Hieronymus Ruscellius manu propria.

Digitized by Google



EMINENTISS. AC REVERENDISS. D. D.

F. ANTONIO BARBERINO

S. R. E. CARD.

S. D. N. VRBANI PP. VIII. FRATRI

DOMNVS DOMINICVS DE PVERONIBVS

CREMONÆ

ABBAS GENERALIS CONGREGATIONIS SANCTAE MARIAE MONTIS OLIVETI

F. P.





VOD appositè comparauerit Vates aluearia labyrinthis, nunquam non censui, Eminentissime Princeps, sic inspecta suadet eorum admiranda structura, confuso ordine, millenis, paribusquè distributa gurgustijs, viculorum occursibus, & recursibus ita disposita, vt de Apibus dici nil veriùs potuerit, quàm eas

Dadala fingere tecta.

Sed scitè dictum, meliùs, quàm vnquam antea, modò

dò probo, cum BARBERINARVM APVM semel ingressus Regiam, quà regrediar, non inuenio. Ecce labyrinthæo implexus sum carceri, quò Pallas me destinauit, tributum vt soluerem, non funereum, non ab Atticis Mœnibus, sed vitæ, quam de literarum editis quærimus monumentis, sed ab Oliuæ Montibus.

Quò mihi aditum ad S. D. N. penetralia compararem, Eminentiss. Cardinalis FRANCISCI limina primùm tenui. Accessi: iam verò non recedo recedens: circumactus in orbem, tibi adsto, BARBERINVM nesciis egredi alueare. Consimillimos inter Heroes, parem virtutis fulgorem suspiciens par obseruantia non discriminat. Singulis proprię sunt, sed omnes in vnum confluunt viæ, ad eandem adducunt virtutem, & nominis æternitatem. Similitudine tanta, & coniunctione deceptus, ab vna transilio in aliam, vltrò citroquè reciprocis fatigandus erroribus.

Vah quàm erraui, errores in domo hac metuens! Immò nec erraui, quod errores calami mei huc, ad oculatissimos detulerim sapientes. Anne quoquàm prudentiùs deferre poteram errata mea, quantacumque fuerint, quàm ad labyrinthi multiplicia, & mellita septa, tot benignitatis amplexibus Mundo vt occludantur? Zoilus huc accedet nullus; quisquis enim labyrinthum ingredietur, vt mea scripta carpat: hic vnus quandoquidem videtur communis scribentium metus: ipse multò maioris erroris damnabitur.

Ego verò melleo carcere delectabor: labyrinthos Apum, non sicut Dædaleos tenet fames. Dum tot benefi-

neficiorum melle reficior, oro tenacibus ceris, magis, magisquè contínear: vt sit mihi duplex remanendi necessitas, & ipsa architectonicè labyrinthæa, & parietum tenax gluten.

Vtiquè ceris non vtar ad alarum textrinam, quò hinc euolaturus, Cęlum versùs, Dædalum sequar; cum in Cœlo iam sim, ipsumq; supremum peruagem Empyreum Apostolicum, influxus eius considerans super Aristocratiam Regularium, quam ad Vniuersi ordinem concinnaui. Tomis rem prosequor pluribus. Tibi autem, Eminentissime Princeps, super Regularium Respublicas in Sacra Congregatione Capiti constituto, hic debebatur, vbi De Impartita à Summo Pontifice Prælatis cæteris agitur Potestate. Acceptum reddo. Humanos Animos dixit animatos agros Clemens Alexandrinus, volens in ijs iactam non degenerare sementem, sed reddendam cum fœnore. Impartitus est mihi S. D. N. generalem in mea Oliuetana Republica Potestatem: spectata fruges, non alia fuit, quàm publico bono intentum Regimen. Ecce eiusdem generis sementem reddo; De Aristocratia Regularium ritè dirigenda, functus munere, scribens, à Pontificia orsus Potestate. At enim nullum est fœnus, sterilis ager nimis, messe semen non exæquauit; dum pro tenuitate Ingenij parcè admodum prosequtus sum institutum. Sanè spe frustratus non esset, qui mihi impartitus est Potestatem, si de Sapientia, Ingenioquè suo prętantissimò impartitus esset tantumdem. Semen aruit, a-

quis

quis Sapientiæ non rigatum. Reliquum Oro, vt quod ſapientiæ mihi non licuit impetrare, Tu, Eminentiſsime Princeps, impartiare ignoſcentis benignitatis, atquè clementiæ.



Digitized by Google

CAPVT I.

QVOTVPLEX, ET QVALIS PRÆLATORVM POTESTAS.

ELENCHVS.

1 *PRælatorum Poteſtas duplex, Ordinis, & Iuriſdictionis: quæque vtraq; ſit.*
2 *Poteſtas Dominatiua, ſeu Oeconomica, quæ, & vnde.*
3 *Poteſtas Ordinis, altera Presbyteri, Epiſcopi altera.*
4 *Apoſtolis Epiſcopi, ſeptuaginta vero duobus Diſcipulis Presbyteri ſubrogati.*
5 *Quare Presbyteri, & Epiſcopi nomen promiſcuum.*
6 *Epiſcopos, & Presbyteros inuicem diſtinctos, Tridentina Synodus proclamauit.*
7 *Multa ad vnam Poteſtatem pertinent, non*

ad alteram.

8 *Conficere Chriſma, conferreq; proprium Epiſcopi.*

9 *Ad quem item ſolum pertinet Eccleſiam conſecrare.*

10 *Ordinum quoque collatio propria Iuris Epiſcopalis.*

11 *Abbatibus an competat Ordinare, Chriſmare, & Eccleſias conſecrare.*

12 *Competit ordinare. Quoad minores autem eſt iuris ipſorum communis, et poſitiui.*

13 *In quem ſenſum ad aſſumptum verificetur.*

14 *Abbatibus, vt ſunt Presbyteri, tantum competit Sacramenta, & parua ſacramentalia facere.*

15 *Quinam ex ipſis, conferendi minores, habeant Poteſtatem.*

16 *Ea Poteſtas in Abbatibus ordinaria, non autem delegata.*

17 *In quem ſenſum dici ordinaria nequeat.*

18 *Abbates per Conſecrationem neutiquam inſtituuntur.*

19 *Ipſiſque non confertur Poteſtas per Benedictionē, quæ prærequiritur tantū vt conditio.*

20 *In Abbatiali munere per electionem, & confir-*

mationem dumtaxat conſtituuntur.

21 *Re ipſa non benedicti, cum tamen benedicendi ſint; an, & quando benedicere, et ordinare queant.*

22 *Poteſtas ordinandi, altiùs Epiſcopis, quam Abbatibus ineſt.*

23 *Textus tribuens ordinandi Poteſtatem Abbatibus vnicus, & qui nam.*

24 *A cæteris præſupponitur.*

25 *Supponi etiam à Tridentino videtur, et quibus ſufficientibus coniecturis.*

26 *Maiores ordines conferendi, Abbatibus nulla Poteſtas, in Iure; quin potius denegata.*

27 *Conceſſa tamen priuilegio Ciſtercienſibus facto; quæ conceſſio patens, & vſu quondam exercita.*

28 *Videtur adhuc duobus Priuilegijs nobis Oliuetanis conceſſa.*

29 *Poteſtas promouendi ad maiores, Priuilegio tribui, etiam ſimplici Sacerdoti, valet.*

30 *Corepiſcopi nunquam Epiſcopi; ſed ſemper ſimplices fuere Sacerdotes.*

31 *Poteſtas maiores ordines conferendi, Priuilegio inferioribus Epiſcopo, concedi poſſe, efficaci ratione probatur.*

32 *Ad Presbyteratum promouere cur nequeant vllatenus inferiores Epiſcopo.*

33 *Epiſcopalis Character, ſolum vt in Presbyteratum influat, inſtitutus.*

34 *Epiſcopos iure Diuino cuiuſcũque ordinatiotionis miniſtros ordinatos, Doctorum aliqui aſſerunt.*

35 *Tamen vbi Tridentinum receptum, Abbates ordines maiores nunc non videntur poſſe conferre.*

36 *Quod non rectè ex certis Tridentini locis prohibitum, quidam collegere.*

37 *Priuilegia neutiquam derogantur per particulam incidentem, & non bene expreſſam; multo minus per ſolam ſubauditionem.*

38 *A Tridentino non facta mentio de maioribus, eos excluſos à Poteſtate Abbatis, non arguit.*

39 *Quare nunc tandem Abbates ab ordinibus maioribus conferendis abſtineant, iuxta Tridentinum.*

40 *Chriſma conferre quì ſolius muneris Epiſcopalis.*

41 *Abbates per Priuilegiariam conceſsionem queunt, et quomodo.*

territorium, dicetur eſſe in alterius Diœceſi.

56 *Quid nihilominus poßint, in tali alterius Diœceſi, erga ſuos, exempti Abbates.*

57 *Abbates exempti non tenentur petere iura Epiſcopalia, ſeu Iuriſdictionis.*

58 *Multa tamen competunt Epiſcopis; quæ neutiquam Abbatibus, licet exemptis, cum non habeant Diœceſim.*

59 *Abbatibus Poteſtas Iuriſdictionis, Ordinis, & Dignitatis Epiſcopalis, non niſi diminuta competit.*

60 *Poteſtas Iuriſdictionis in Abbatibus, cæteriſque Prælatis Regularibus, ordinaria.*

61 *Etſi ſuis Generalibus, aut alijs Ordinis ſubſint Primoribus.*

62 *Vicarijs Prælatorum, ipſis præſentibus, nulla ineſt Poteſtas ordinaria.*

63 *Ineſt vero conſuetudine, Prælatis eiſdem amotis, vita functis, aut per diem integrum abſentibus.*

64 *Poteſtas Iuriſdictionis, à regularibus Prælatis Delegabilis.*



MPYREI nostri vniuersam hactenus amplitudinem metientes, latam Summi Pontificis lustrauimus Potestatem. Eãdem non alijs iam, quam suis limitibus sigillantes: si tantæ Maiestati, quem humana mens assequatur, sit limes: de impartita ab ipso, Prælatis omnibus Potestate, secundo loco differimus. Verum à Summo Pontifice, ceu inexhausta è scatebra, Potestatem omnium effluere Prælatorum, principio titulotenus præmittimus, sub finem fusiùs probaturi: quò longè excurrentes, præclarum tandem instituti operis exitum nanciscamur.

1 *In confesso est apud omnes, Prælatorum Potestatem, alteram esse Ordinis, alteram Iurisdictionis. Priorem sanctificandæ, consecrandæ, vel solenniter benedicendæ rei alicui, seù personæ ordinari; Posteriorem; quæ vt est in Prælato, seù superiore Ecclesiastico, Potestas clauium nuncupatur; ad præcipiendum, iudicandum, excommunicandum, corrigendum, reformandum, &c. destinari; in foro tamen spirituali principaliter, & secundario in temporali: Potestas enim temporalia administrandi, accessoriè Iurisdictioni adiungitur.*

2 *Illa hic Potestate prætermissa, quæ Dominatiua, seù Oeconomica dicitur, oriturquè radicaliter in Prælatis particularibus, ex libera deditione vouentium, obedientiam, transferentium in ipsos, quod habent circa se se Dominium.*

3 *Bifariam item Potestas ordinis dispertitur: altera eius est, qui in Presbyterum, altera eius, qui in Episcopum ordinatur: semper enim in Ecclesiam Dei fuere reapse distincti Episcopi à Presbyteris, contra Aerium quondam hæresiarcam,*

cam, apud Epiphanium, hæresi 75; & Nouatores; qui vt hierarchicum ordinem ab Ecclesia conantur auellere, sic Episcopos confundunt perperam cum Presbyteris.

Aduersus quos omnes clarigat inter alios Patres, vnus Hieronymus in Epistola ad Euagrium. 85. *ibi:* Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat. *Ecce doctissimus, & pijssimus Pater fatetur Episcopum longè maiori dignitate cæteris Presbyteris antecellere. Subditque ibidem:* Quid enim facit (excepta ordinatione) Episcopus, quod Presbyter non faciat? *Quibus verbis planè demonstrat Episcopum maiori quoq; Potestate, manuum nempe impositionis, pollere; quam Presbyterorum non esse, alibi frequens repetit manifestè.*

Ab Ecclesiæ nascentis initio statim id obseruatum, ne Presbyteri, sed Episcopi manus imponerent: ideoquè ad neophytos Samaritas missi sunt Petrus, & Ioannes, Actorum 8. *ex Apostolorum numero apolecti.*

4 *At Apostolis Episcopos subrogatos, omnium est Orthodoxorum sententia; postremò in* Tridentino *firmata* sess. 23. cap. 4. *ibi:* Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, &c. *Sicuti etiam septuaginta duobus discipulis, successiuè Presbyteros, nemo catholicè non sustineat per cap. in nouo 21. dist.*

5 *Atqui cum nomen Episcopi, ex Græco etymo, idem sonet, ac inspector, & custos; essentque Presbyteri præfecti fidelium curæ, ijdem ex ea parte, reperiuntur Episcopi nuncupati, nempe custodes, sicuti quod nomen Presbyteri, Græco item etymo, æquiualeret seniori; sitq; nomen impositum, non tam ætati, vel*

decrepitæ ſenectuti, quam honori, & dignitati, dicto can. in nouo. Aliquando Epiſcopos audimus Presbyterorum nomine vocitatos.

Hinc erroris omnis adimitur anſa, ſi quando in ſcripturis, oſtendas pro Epiſcopo Presbyterum promiſcuè vſurpari. Aut ſi quando contrarium audias, apud Sanctos Patres, Chryſoſtomum præcipuè, Ambroſium, & Hieronymum, qui omnes: vt ex hoc vno mox conſtitit: re ipſa ſemper clarum in Eccleſia, inter Epiſcopos, & Presbyteros, agnouere diſcrimen.

6 *Quam catholicam veritatem poſtremò ſacroſancta* Synodus Tridentina *intonuit* ſeſſ. 23. de Sacramento Ordinis can. 6. *ibi:* Si quis dixerit in Eccleſia catholica, non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, anathema ſit. *Itemq; anathematizat ſequenti cap. ibi:* Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere Poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habẽt, illis eſſe cum Presbyteris cõmunem.

7 *Cum autem duplicem hanc diſcreuerimus Ordinis Poteſtatem, hanc Epiſcopi, hanc Presbyteri, multa ad vnam pertinere fatendum, quæ alteri non conueniant, quod ſummatim idem Tridentinum edocuit.*

8 *Et quidem quo ad Chriſma attinet conficiendum, ita feciſſe, eſſequè iuris Epiſcopalis, vt ſicuti nunquam commiſſum legitur alteri non Epiſcopo, ſic nequè committi poſſe, colligant nonnulli Doctores, ex* Cõcilio Rom. ſub Syluestro can. 5. *Vbi prohibentur Presbyteri Chriſma conficere, quia nimirum id ſoli Epiſcopo competit. De qua re latè, & efficaciter à ſcholaſticis de Sacramento confirmationis.*

Quin adhuc quantum attinet ad eiuſdem Chriſmatis collationem, Epiſcoporum ſolummodo eſſe, indicat text. in cap. Quanto, de conſuetud. *ibi:* Quidam præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſeruata, vt eſt Sacramentum Confirmationis; ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſolam conſuetudinem prætendentes, diſcretioni igitur tuæ mandamus, &c.

9 *Atquè nec ipſo Chriſmate, Presbyterum, Sacerdotemq́; ſimplicem, poſſe Eccleſiam conſecrare fas eſt. collige* ex textu in cap. A qua, de conſecrat. Eccleſiarum. *Vbi prohibetur etiam, ſimplici Sacerdoti, reconciliatio per aquam: Argumento negatiuo de minori ad maius. ibi:* A qua per Epiſcopum benedicta, Eccleſiam reconciliari poſſe, per alium Epiſcopum non negamus. per Sacerdotes ſimplices hoc fieri de cętero prohibentes, non obſtante conſuetudine Prouinciæ Bracarenſis, quæ dicenda eſt potius corruptela. *Et infra ſubditur ratio, cur inferiori Sacerdoti facultas huiuſmodi denegetur.* Quia licet Epiſcopus cõmittere valeat, quæ iuriſdictionis exiſtunt; quæ ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus clericis demandare.

10 *Ad ordines demum quod attinet conferendos, ſatis oſtenditur* dicto c. Quanto, de conſuetud. *id ſolius eſſe Epiſcopi. Ex quo Doctores vnanimiter reſoluunt, præter ſupradicta, ipſam etiam ordinum collationem ſolis Epiſcopis reſeruari. Id quod* Tridentinum *verbis canonizauit expreſſis*, ſeſſ. cit. c. 4. *ibi:* Quarum functionum *: quas inter, numerat ordinare miniſtros Eccleſiæ :* poteſtatem reliqui inferioris

ordinis : *ſcilicet ab Epiſcopis* : nullam habent.

11 *Meritò hìc hæreret aliquis, num Abbatibus ſit Poteſtas huiuſmodi Ordines conferendi, Chriſmandi, & Eccleſias conſecrandi. Cui dubitationi occurrentes, perfunctoriè tamen, nec magis, quàm ſatis ſit ad quorumcumquè Prælatorum Poteſtatem cognoſcendam, cetærùm in proprio loco, ex inſtituto, hac de re (Deo dante) pro dignitate diſputaturi.*

12 *Firmiter ſtatuimus ab Abbatibus facultatem Ordines conferendi, participari, & ſanè ſi de minoribus res ſit, illis competere affirmamus, de Iure communi poſitiuo; Non quidem vt intelligas de Iure proprio, & intrinſeco; competente nimirum ex intrinſecis principijs dignitatis; hoc enim ſenſu, ſolis Epiſcopis attribuitur, eo ipſo, quod eorum dignitas, quoniam à Chriſto Domino inſtituta fuit cum hac Poteſtate, habeat, tanquam iurè, meritoquè proprio inſeparabiliter ipſis inhærere, non autem per extrinſecam alterius gratuitam conceſſionem.*

13 *Sed vt idem ſit ſolùm, ac de Iure priuilegiorum competere, quæ ſint tamen in corpore Iuris inſerta; vt alia priuilegia prætermittamus quam plurima, extra corpus Iuris vagantia, quibus ſingulæ Congregationes monaſticæ perfruuntur. Ad quem ſenſum, neminem ambigere volumus, quin diù liceat in ſermonis proprietate, Poteſtatem Ordines conferendi, Abbatibus, de Iure communi poſitiuo, competere; qua tamen Abbates ſunt inſtituti.*

14 *Nam quantùm ex vi Ordinationis, & inſtitutionis, quà Presbyteri ſunt, non eis plus dandum, quam poteſtas conficiendi, vltra Sacramenta, parua quædam ſacramentalia, cuiuſmodi Aquam luſtralem benedicere, & id genus alia,*

de quibus in Missali, & cæremoniali Romano.

15 *Nec tamen omnes Abbates hac Potestate dicimus condecorari, illa siquidem deest Commendatarijs, aut actualiter, vel ex indulto, non benedictis (modo ad hoc priuilegio speciali non sint insigniti) sed illi dumtaxat id possunt Abbates, quibus in iure expressum est placuisse Pontificiæ liberalitati, eam impertiri, quales ferè noscuntur omnes Abbates Regulares, quos inter, nostri Oliuetani, in eiusdem insuper pacifica possessione ab immemorabili comperti.*

16 *Inde sequitur, eam inesse Abbatibus ordinariam, non delegatam, quippè traditam per statutum, facta mentione dignitatis, non personæ, atque in perpetuum duraturam, quæ non nisi ordinariæ Potestatis sunt qualitates, vt proprio comprobabimus loco.*

Nec facessit negocium, quod ea ab Abbate nequeat delegari, quandoquidem nec ab ipso Episc. ex c. A qua. De consecrat. Eccle. 5. cit: *eo quod sit Ordinis Episcopalis: vt ibi dicitur: committi valeat; cum tamen, quin in Episcopis resideat iure verè ordinario, ambigerit nemo.*

17 *Quod si inesse iure ordinario, inhærere, vt propriam significet hanc facultatem Abbatialis dignitatis, & subindè inseparabilem ab illa, ab intrinseco, & ex natura rei: quod aliquibus placuisse videtur: sanè in hoc sensu, Abbatibus eam ordinariam denegamus, quibus nec quidem hoc titulo, competere potest, cum nullatenus suapte natura, ipsam Abbatialem dignitatem comitetur, neque ex institutione eiusdem, in ipsos dimanet; per illam siquidem nullus ipsis imprimitur, sed nec etiam perficitur character, sicut imprimitur Episcopis, per consecrationem, vt physicè concurrat ad Ordinatio-*

nem, ſaltem Presbiteralem, vt cum de characteris eſſentia; redibit ſermo, ex quo eluceſcit: quod diximus: eiſdem hanc Poteſtatem ab intrinſeco conuenire.

18 *Abbates enim non inſtituuntur per conſecrationem, ſed per ſolam benedictionem, ad ſummum, quæ eſto ſit perpetua, indelebilis, & nunquam iteretur, ſacramentalis characteris ad inſtar, non tamen excedit accidentale quid requiſitum ad Abbatialē dignitatē, quod ex pluribus apertiſſimè eſt colligere.*

19 *Præſertim vero, quod per eam neutiquam Abbatibus Poteſtas impertitur, ſed per ſolam nudam verbalem iniunctionem: vt* Diui Tho. *verbis vtamur: eo pacto, quo confertur iuriſdictio: vt latè proſequemur, cum de iure Abbatiali, ad Ordines conferendos: ita vt hæc benedictio in Abbatibus non magis obtineat, quam vices conditionis ſine qua, non conſueuere Pontifices eam Poteſtatem elargiri, nimirum iniungendo illam actualiter ſuſcipiendam, aut eādem ſupplendo, per priuilegia, prout ſuppleri hodie in pleriſquè Abbatibus Regularibus, tritum eſt, & vulgatum.*

20 *Nullatenus igitur Abbates recipiunt Poteſtatem ordinandi, per Benedictionem, ſicut nec per hanc conſtituuntur in munere Abbatiali, ſed per ſolā electionem, & confirmationem, ita vt benedictio non plus conferat, quam gradus Abbatialis ornatum, quod adnotauit* Gloſſa in c. 1. de ſuppl. neglig. Pręlat. *Cum qua tranſeunt ibi communiter ſcribentes.*

21 *Haud tamen diffitearis Abbates benedicendos, quam diù, re ipſa, benedicti non ſunt, ſolos actus iuriſdictionis poſſe exercere, non autem benedicere, aut ordinare, cum Pontifex eo loci intenderit eos, non aliter, nec alio modo, prædicta ordinandi Poteſtate donare. Excipe ſi Epiſcopus ter humiliter,*

requisitus, & deuotè, Abbatem benedicere recusasset, vt ibi: Nec non vbi priuilegia concesserint hanc Potestatem Abbatibus, nec benedictis, nec vnquam benedicendis, Summi Pontificis fauore speciali ipsam actualem benedictionem supplente; Cuius generis, inter Abbates perpetuos, adinuenire est plures, et inter temporaneos, siue triennales, vniuersos, eo quod benedictio Abbatialis, quæ est perpetua, temporaneis incongruè impenderetur Abbatibus.

22 *Non sic profectò, sed altiori modo, Potestas hæc residet in Episcopis, quorum est propria dignitati intrinsecè, atquè inseparabiliter alligata, quæ fuit mens* Tridentini dicta sess. 23. de Sacr. Ord. cap. 4. *dum dixit* in his functionibus Episcopalibus, reliquos inferioris ordinis, nullam Potestatem habere; *Nempè propriam, intrinsecam, & inseparabilem.*

23 *Porrò textus hanc ordinandi Potestatem Abbatibus tribuens, vnicus esto, totius huiusce iuridicæ concessionis basis, ac fundamentum, quid quid alij, per ambages, plures agglomerare, contenderint, cum cæteri de hac facultate loquentes, eadem veriùs supponant, quàm de nouo impartiantur, quod, omnibus in medium adductis, manifestè patebit.*

Habetur autem is c. Quoniam 69. d. *exordiendo à Summa ibi:* Tonsura vero Clerici, de manu Abbatis suscipi potest, si eidem Abbati manus impositio ab Episcopo facta noscatur; Vnde in 7. Synodo c. 14. legitur Quoniam, &c. *Et infra.* Lectores autem, manus impositione, licentia est Abbati, solummodo in proprio Monasterio, faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo, secun-

dum modum præficiendorum Abbatum, dum conſtet illum eſſe Presbyterum.

24 *Quæ ſeptima Synodus Cynoſura vera, & vnica eſt, ad quam reſpexiſſe dicendum* c. 1. de Ordinat. ab Epiſcop. qui renun. Epiſcop. *inquiens*. minores Ordines vſque ad Subdiaconatum, à non Epiſcopis quandoque conferuntur, *quemadmodum adnotauit* Gloſſa *ibidem verbo A non Epiſcopis, ſubdens, ideſt ab Abbatibus*. c. Quoniam 69. d. *Sicut*, & c. Abbates, de Priuil. in 6. *dum dicit*. Non ſit licitum eis Abbatibus, alijs quam Monaſteriorum ſuorum Conuerſis, & qui ad illa conuolauerint, & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem obtinent, Primam Clericalem conferre Tonſuram, niſi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis indulto, *vbi* Gloſſa *verbo Tonſuram, Subdit*, Poſſunt tales Abbates conferre etiam ſuperiores Ordines, vſque ad Lectoratum incluſiuè c. Quoniam 69. d.

25 *Nec aliò reſpexiſſe* Tridentinum ſeſſ. 23. de Reform. c. 10. *ibi:* Abbatibus, ac alijs quibuſcumquè quantumuis exemptis non liceat in poſterum, intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre. *mihi ſatis veriſimile fit ex tribus.*

Primum, quia de omnibus Abbatibus indiſtinctum habet ſermonem: ergo de facultate omnibus communi, qualis eſſe nequit, niſi ex iure communi deſumpta, afficiente omnes, & ſingulos, cum cætera Priuilegia extra ius commune vagantia ſpecialia ſint, & ſubindè non omnibus communia, immò

 tan-

Digitized by Google

tanquam consistentia in facto, neutiquam à Tridentino sciri præsumpta.

Secundum, quia loquitur de Abbatibus, quantumuis exemptis, nulla alia ratione: ut mihi persuadeo: nisi ob discrimen, quod Doctores, quos inter Siluester verbo Ordo 4. q. 2. *in proposito constituerunt inter Abbatem exemptum, & non exemptum, asserentes exemptum quidem posse iuxta Canones, omnes quatuor minores Ordines conferre; non exemptũ vero, non plusquàm Lectoratum, & Ostiariatum.*

Postremùm, quia restringendo præscribit, ne conferant, nisi subditis, quod congruit limitationi dicti c. Quoniam *ibi:* Solummodo in proprio Monasterio. *Quam particulam Scribentes vertunt: solum erga subditos proprij Monasterij.*

Ex quibus omnibus liquet, hanc facultatem Ordines conferendi, quoad ius commune: ut specialia indulta prætermittamus: omnes Abbates decerpsisse ex vnico c. Quoniam, *præfatæ* d. 69 *ita vt cætera iura eam commemorantia, nihil aliud egerint, quàm ex eo fonte, tanquam ex scatebra deriuando, eandem tacitè, vel expresè innuere, vel supponere, confirmare, vel approbare. Porrò ad quos Ordines conferendos, ex Minoribus, prædicta iura se extendant, cum nihil referat ad præsens institutum, in propriam sedem reijciendo, gradum facimus ad Ordines Maiores, quò auctoritas Abbatum Regularium, quantum hic locus expostulat, elucescat.*

26 *In qua re constantissimè affirmamus, nullibi in iure reperiri Abbatibus concessam facultatem, per quam valeant ad Ordines Maiores promouere, quin potiùs ipsis denegari, dicto* c. Cum contingat, de ętat. & qual. *dum dicit* Abbatem non habere manuum impositionem, *quam impositionem*

nem exponit ibi Panormitanus, communiter receptus, de impoſitione conſecratoria, hoc eſt Sacris Ordinibus initiatiua, nec poterat extendi ad Minores, cum ex præallegatis textibus, expreſsè habeatur, ipſis ineſſe impoſitionem Ordinatoriam, in Minoribus.

27 *Ea tamen impoſitio conſecratoria, apparet conceſſa ab Innocentio VIII. Abbati Generali, & quatuor Coabbatibus Ciſtercienſibus, & eorum ſucceſſoribus, vt habetur in* libro Priuilegiorum dicti Ordinis, Priuilegio 118. pag. 136. *relata inſuper, & authenticata paſſim à Doctoribus, Pontifice concedente ius ſpecificum, & indiuiduale, tribuendi ſuis ſubditis: præter omnes Ordines minores: Subdiaconatum inſuper, et Diaconatum; et vlterius ſupponente ibidem, hanc eãdem facultatem iam pridem ab Apoſtolica Sede illis indultam.*

Conceſſio adeò patens, & authentica circumlata, vt immeritò fuerit calumnijs à quibuſdam impetita; accedente præſertim, quod dicti Abbates, eorumquè ſucceſſores, ea facultate, non ſemel ſint vſi, pro vt Doctores complures voluerunt eſſe teſtatum.

28 *Quinimmò nobis etiam Oliuetanis, eandem fuiße, de benignitate Apoſtolica impartitam per F. R. Leonem 9. in perſona Abbatis, pro tempore exiſtentis, Sanctæ Mariæ de Picciano, Aquilæ, ſatis mihi veriſimile fit ex eo, quod facultatem eidem conceſſerit, conſecrandi Eccleſias ſibi ſubiectas, & earum Clericos ordinandi. Nec non per Ioannem 19. Abbati pro tempore Monaſterij Sanctæ Mariæ in Organo, Veronæ, confirmantẽ eidem, & innouantem auctoritatẽ, & facultatem erga Eccleſias ſibi ſubiectas, & Clericos earum, ijſdem clauſulis, quibus competebat, & competit Aquileienſi*

Patriarcha, dictæ Abbatiæ Ordinario, prout diplomatum clauſulas, per extenſum, in proprijs locis recitabimus. Si verum eſt quod aliqui Doctores pro indubitato conſtituunt, facultates conferendi Ordines Sacros, & conſecrandi Eccleſias clericales, ita ſe ſe indiſſolubiliter comitari, vt regulariter facultas conſecrandi, non concedatur, quin ſimul impendatur ordinandi, vt facultates ſpeciali nota, & prerogatiua, pares, pari etiam paſſu, & conceſſione incedant.

29 *Nec minimum dubitationis irrepat, quin Poteſtas ad Ordines ſacros conferendos, Abbatibus ſit per priuilegium cõmunicabilis, quandò cum* D. Thoma, *Doctores concorditer aſſeuerant, referente* Turrecremata in c. Manus, De conſecr. d. 5. *eiuſdem priuilegij, vel ſimplicem Sacerdotem, eſſe capacem, quemadmodum iam pridem Corepiſcopi, ſimplices Sacerdotes, Subdiaconatus Ordinem conferebant, ex* Concilio Antiocheno c. 10.

30 *Corepiſcopos autem ſimplices fuiſſe Sacerdotes, immeritò quidam in dubium reuocant, ſuſpicantes fuiſſe Epiſcopos ſuffraganeos, nam* c. Quamuis Corepiſcopis 68. d. *apertè inſinuatur, ibi:* Hęc omnia illicita ſunt Corepiſcopis, qui ad exemplum, & formam 72. diſcipulorum eſſe noſcuntur, vel Prębysteris, qui eandem geſtant figuram, quoniam, quamquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen Apicem non habent. *Quod amplius diſpaleſcit ex* c. Coreſpiſcopi *ſequente, ibi:* Quod autem Epiſcopi non ſint, qui minus, quam à tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet, quoniam (vt benè noſtis) prohibitum eſt à Sanctis Patribus, vt qui ab vno, vel à duobus ſunt ordinati Epiſcopis, nec nomi-

nentur Epiſcopi, ſi enim nomen non habent, qualiter officium habebunt?

31 *Fauetquè manifeſtiſſima ratio; cum enim non minùs Diaconatus, & Subdiaconatus, quam cæteri Ordines Minores dirigantur ad Presbyteratum, tanquam ad faſtigium conſcendendum per gradus, & velut ad procerem nobili ſatellitio, pro ſua dignitate aſſociandum, cumquè non minus per Ordines Minores, quam per Maiores tribuatur gratia, & character, vtpotè habentes omnes propriam rationem Sacramenti, non eſt, cur diſtinguendo inter ipſos, quod admittimus de minoribus, exinde nequeamus id ipſum de maioribus affirmare.*

32 *Adeſt quidem fundamentum ſufficiens, id denegandi de ipſo Presbyteratu: quid quid aliqui Doctores ſuſtinuerint probabiliter contrarium: quoniam illud magis congruat dictis Sanctorum Patrum, Sacrorum Canonum, & Conciliorum, & præcipue Sacri Concilij Tridentini, in quantum aſſeuerant: vt ſuperius retulimus: Poteſtatem ordinandi, ineſſe Epiſcopis, vt propriam, & incommunicabilem; hæc enim dicta, & alia ſimilia, abſoluta cum ſint, quid ni explicabimus quo ad modum, ſimul & ſubſtantiam: quæ eſt integra, & potior eorum ſignificatio, cogens regulariter, vbi aliud nō obſtet: ſaltem de Presbyteratu; tantò alijs Ordinibus præſtantiori, & eminentiori, quantò illum, præ cæteris, complures grauiſſimi Doctores, nomine Ordinis, & Sacramenti ſolum condecorarunt? & quatenus nullam aliam in terris adinuenire ſit dignitatem, nec ipſam Epiſcopalem præcisè ſumptam, cum ipſa Presbyterali comparandam, ex quo ea teſtimonia, de inferioribus Ordinibus, propter factum, quoad ſub-*

stantiam contrarium, coacti sumus verificare, non nisi quo ad modum?


Accedente vlterius, nullibi reperiri, talem Potestatem promouendi ad Presbyteratum, vnquam fuisse traditam alijs ab Episcopo, quod moraliter consueuit haberi pro impossibili, sicut nec traditam eisdem Potestatem promouendi ad Episcopatum, cum tamen iste præcisè sumptus Presbyteratui dignitate concedat.

33 *Iuxta quam sententiam, affirmare non erit abs re, characterem Episcopalem: quem infra, agentes de ipsius quidditate, ostendemus physicè influere in Ordinationem: fuiße institutum, vt influat ad solum Presbyteratum, & ipsi deseruiat, sicut etiam ipsius supereminenti maiestati, cæteri inferiores Ordines famulantur, & diriguntur; ita namquè magis elucescet, facultatem ad ipsum Presbyteratum conferendum, inesse Episcopis intrinsecè, sicut ipsis intrinsecus est character; ad reliquos autem Ordines inferiores, non nisi extrinsecè; quæ erit Ratio à priori, cur facultas ad istos conferendos, sit alijs ab Episcopo communicabilis, vtquæ per solam verbalem iniunctionem, sit apta concedi, ad Presbyteratum autem non item, vt potè consistens in qualitate supernaturali ipsius characteris, quæ duo nobis in Superioribus constituta, venient hoc etiam magis corroborata.*

34 *Ex his cognoscere licet, vt gratis nonnulli DD: Valdè alioqui suspiciendi: colligant Episcopos fuiße cuiuscunq; sacræ Ordinationis, iure Diuino, determinatos Ministros, ex definitione* Tridentini sess. 23. de Sac.Ord. c.7. *ibi:* Si quis dixerit Episcopos, Potestatem, quã habent confirmãdi, & Ordinandi, esse illis cum Presbyteris cõmunem; Anathe-

ma ſit; etenim Concilium, aut accipit Confirmationem, quoad conficiendum ſimul, & miniſtrandum Chriſma; & Ordinationem, quoad Presbyteratū, & Epiſcopatum tantum; & in hoc ſenſu Epiſcopi habent Poteſtatem propriam, & incommunicabilem, quò ad modum, ſimul & quò ad ſubſtantiam; aut loquitur de Confirmatione relata ad miniſterium Chriſmatis tantum, & de Ordinatione ad omnes Ordines, tam Maiores, quam Minores, infra Presbyteratum; quo poſteriori modo loquutum eſſe, verisimilius videtur, cum verbum, cōfirmandi, indicet Chriſma prout dumtaxat exercitum, & verbum Ordinandi indiſtinctum cum ſit, & indefinitum, à nobis reſtringendum non eſt, ſed tāquam æquipollens vniuerſali, extendendum eſt ad omnes Ordines; & in hoc ſenſu, nil potuit aliud uelle, quam Poteſtatem Epiſcoporum, non eſſe cum Presbyteris communem, quò ad modum, quatenus Epiſcopali dignitati ineſt intrinſecè, & inſeparabiliter, modo ſupra explicato; qua ratione nulli alteri competit, ſed nec competere poteſt; ſecus intendendo de incommunicabilitate etiam quò ad ſubſtantiam, adimeret Prælatis inferioribus facultatem conferendi Ordines Minores, quam tamen nemo hucuſque denegauit, aut denegaret.

33 Pro explorata igitur, & conſtanti veritate habendum, Abbates Ciſtercienſes, vigore Priuilegiorum, & alios comparticipes in eiſdem, potuiſſe dudum Maiores Ordines conferre. Hoc nihilominus temporis, firmiter aſſerendum; ob Tridentinum, facultatem illam ſacros Ordines conferendi, Abbatum nemini remanſiſſe, quibuſdam exceptis fortè Abbatibus extra Italiam: ſi, & vbi Sacra Synodus Tridentina, quo ad hoc ſaltem, non fuerit recepta, idq; illis ſuffragetur



tur, ad manutenendam hanc illorum antehabitam, & in more positam facultatem, prout suffragari, & sufficere tradunt aliqui Doctores, de qua re non est præsentis loci disputare.

36 *In quam veritatem, etiam si manibus, pedibusquè, cum alijs conueniamus, in modo tamen illius colligendæ, & stabiliendæ nobiscum, illis non conuenit omnibus. Et quidem non rectè sunt, qui hoc eruant ex* Tridentini *dicta* sess. 23. c. 8. *dicente:* Quod vnusquisque sacris Ordinibus ordinetur à proprio Episcopo, nullo priuilegio in contrarium suffragante. *etenim Sacræ Congregationis interpretatio, in declarationibus sub illo eodem capite, locum hunc, ad Ordines quoquè Minores extendit, quos tamen Abbatibus licere conferre, non reuocatur in dubium;* Tridentinum *insuper ibi, ad solos Clericos sæculares direxit sermonem, vt ex contextu liquidò constat, estò* Sacra *deinde* Congregatio, Anno 1596. *relata à* Confectio, *eum ampliauerit ad Clericos etiam Regulares.*

Quid quid tamen de mente sit Tridentini, *quo ad istos: de hoc vno non ambigo, Tridentinum toto illo capitulo, nihil aliud sibi voluisse, præter duo hæc; & quod Ordinationes fiant ab Episcopo Diœcesano, & quod non fiant, nisi probitas, & mores Ordinandi, sui Ordinarij testimonio comendentur; nullatenùs verò facultatem Ordines quoscumque conferendi, illi propositum coarctare ad Episcopos solos, infra quos, ea Prælatis reliquis foret adempta, quod literam intuenti apertissimè obuiabit.*

Nec magis appositè ad idipsum alij deducunt ex eodem Tridentino, *dicta* sess. 23. c. 12. *quatenus præscribit:* ne Regulares ordinentur in Sacris, sine diligenti exami-

ne Episcopi, priuilegijs non suffragantibus, *nam re vera, nihil aliud ibi ostenditur: vt ipsa clarescit ex serie: præter cautionem ætatis debitæ, & in promouendis ad sacros, requisitæ sufficientiæ; iuxta quæ priuilegijs contrarijs derogatur dumtaxat, subsistente de cætero, iure tertij, quod est in re præsenti, Regulares posse ordinari ab alio, quam ab Episcopo, cui nunquam venit derogatum per subauditiones: vt infra: & super quo, alienum fuit à Tridentini mente, quicquam disponere.*

Falluntur nil minus alij, quibus suasum id ipsum est, haberi efficaciter ex eodem Tridentino *dicta* sess. 23. c. 10. *de Abbatibus, & alijs quibuscumquè, quantumuis exemptis, in hæc verba præscribente:* Non liceat in posterum cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre: *cum enim particula* non liceat in posterum: *facultatem promouendi ad Ordines Minores, non antiquarit, ex tunc, ad hæc vsquè tempora, perseuerantem in multis Episcopo inferioribus, reliquum videtur, ne ociosa vacet, vt facultatem immutet, quæ pridem Abbatibus indulgebatur, conferendi ipsos Ordines Sacros. Re vera tamen hæc illatio, præterquam quod literæ non concordat, non est necessaria ad ipsius textus intellectum, & verificationem; illa namque particula referri cum possit, & re ipsa referatur ad angustandam Abbatibus facultatem, ne in posterum illa vterentur ad conferēdos Ordines cuiquam sibi subdito, nisi simul etiam sit regularis; eo quod antea indiscriminatim quoscumque sibi subditos ordinare consueuissent, tam Regulares, quam Sæculares, tum ex tenore* capituli Abbates, de Priuilegijs in sexto, *& aliorum Canonum;*

tum etiam ex priuilegijs minimè insertis in corpore iuris, quorsum factam insuper allegemus immutationem, quoad facultatem conferendi Ordines Sacros, per illud non liceat?

37 *An per illam aliam coniecturam, quod scilicet, non sit facta mentio, nisi de Ordinibus Minoribus? Sed neque verisimile est, aut consentaneum stylo Sacrorum Canonum, vel Conciliorum, & in specie Sacri Tridentini: vt in similibus passim aduertere licet: alicui derogare, aut quidpiam immutare, per particulam incidentem, non benè expressam, nec de proposito firmatam, contra priuilegia iuris tertij; quantò minus per subauditionem, aut solam reticentiam, contra specialissimam, & adeo insignem concessionem?*

38 *Eo magis in re praesenti, vbi praeteritio de Maioribus, tantò abest, vt ipsos excludat, quin potius necessariò à fortiori inuoluat, obuius siquidem sensus illorum verborum, omnibus hic Abbatibus esto: non liceat in posterum Minores conferre, nisi subditis Regularibus; nedum Maiores, eo ipso à fortiori necessariò comprehendendos, ridiculè alias minorum Ordinũ prohiberetur collatio, subsistente adhuc integra facultate conferendi Maiores; cum enim argumentum negatiuum, de minori ad maius, habeatur firmissimum, cõmemoratio de Maioribus, in hoc casu omnino ableganda erat à Concilio, in quo nefas est, particulam, quantumuis minimam, redundare.*

39 *Itaque ex locis praeacceptis, solidi nihil excerpitur ad adimendam Abbatibus vim conferendi Subdiaconatum; & Diaconatum; praeter autem ea loca, nullum, ne quidem apparet vestigium, aut saltem: quod viderim: nil à Doctoribus allegatur ex eodem Tridentino, ex quo ab Abbatibus remoueatur facultas conferendi suis subditis, Ordines maiores*

res; neque præter Tridentinum: mea ſententia: adinuenire eſt aliam ſanctionem, qua id ipſum inhibeatur. Quia tamen è regione damus vtraſq; manus aſſerentibus: facultatem prædictam, tãquam omnino ſublatam, non amplius vigere, idque non niſi vigore Sacræ Synodus Tridentinæ; cum ex eo tempore ceſſauerit, vt notant Doctores, neque ex diſpoſitionibus Pontificijs vlla alia, ad hanc derogationem faciendam, amplius videatur accedere; ideo in eam ſententiam: à quibuſdam auctoribus quoque inſinuatam: deueniendum, cenſemus, vt per Concilium Tridentinum firmiter ſtatuamus factam fuiſſe hanc derogationem, loco poſtremò allegato; eſtò inſufficienter, nec ex ſola verborum vi, ſed adiuncta, tum communi hominum acceptione, & interpretatione, quam vim legis habere, eſt in confeſſo; ab inde ſiquidem, ea verba, in hoc ſenſu fuerunt recepta, vſquè, & conſuetudine comprobata, aſſentiente voluntate Superiorum, & praxi Curiæ Romanæ. Quam nedum leges interpretandi, ſed eas etiam condendi, vim habere non ſit, qui hæſitet; ita vt ſtylus Curiæ ſupplendo in hac parte, quidquid in verbis Tridentini deſiderari poſſet, ad claram huiuſmodi derogationem efficiendam, eo ipſo quod ad illam, verba extenderit, non ſit infirmior ad hunc effectũ derogandi priuilegijs Regularium, quam ſi ea verbis diſtinctis expreſsè, per Tridentinum fuiſſent abrogata. Hactenus de facultate Abbatum, ad Ordines impartiendos, breui, & exoterico ſtylo, quoad propoſiti eſt inſtituti, dictum, ſufficiat,

40 *Quod dubium alterum ingerebat, eſt de Sacro Chriſmate; quo nimirum pacto, ab Abbatibus conferri queat, ſi eſt muneris Epiſcopalis, vt* in c. Quanto de Conſuetudine, *citato, & in* c. manus de Conſecr. d. 5. *ibi:* Manus

impositionis Sacramentum, magna ueneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, quam à Summis Sacerdotibus. *Et* c. vnico §. Per frontis, de Sacra Vnctione, dicitur; Cum cæteras Vnctiones simplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere, hanc Sacrę Confirmationis, non nisi summus Sacerdos, *idest* Episcopus, debet conferre.

41 *Cui facili negotio occurrunt Doctores, dicentes, his textibus nihil amplius concludi, quam eas functiones nulli conuenire, iure proprio, intrinseco, & inseparabili, nisi Episcopis, quemadmodum nec Potestatem Ordines conferendi, modo superius à nobis explicato. Qui tamen communi huic responsioni non acquiesceret, repensatio verborum: me quidem iudice: exequabit votum; vt enim Sacramentum Confirmationis dicatur integrum, & perfectum, vltra applicationem, requirit etiam confectionem Chrismatis, cum igitur nemo præter Episcopos Chrisma conficere sit potens, vt ex pluribus traditur à Scholasticis de Sacramento Confirmationis, optimè dixit textus, manus impositionis Sacramentum, ab alijs perfici non posse, quam à Summis Sacerdotibus; cui intellectui sequens textus allegatus inditium præbet manifestum, dum loquens, iam non de perfectione, consistente in confectione, & exhibitione, sed sola exhibitione: posteriori parte ipsius Sacræ Confirmationis: non amplius dicit, non posse, sed non debere, nisi Summum Sacerdotem eam conferre.*

Quamobrem sit assertũ, ita Chrisma cõferre, pertinere posse ad Abbates, seu inferiores Episcopo, vt per verba præallegata, nullo modo in cõtrouersiam vocetur; Cardo totius difficultatis in eo nunc est, vt videamus, vnde efficaciter hoc deducatur.

Et quidem non adducimur cum aliquibus, argumento deſumpto ab Adorandiſſimo Sacro Euchariſtiæ Sacramento, quod cum ſit omnium Sacramentorum culmen, inferat per rationem à maiori ad minus, in affirmatiuis vrgentiſſimam, potentem in Euchariſtiam, potentem, & quidem potiori iure, ſimul etiam in Confirmationem. Cum enim facultas Sacramenta conficiendi ſit inſtituta à Chriſto Domino, pro arbitratu, nulla ratione venire poteſt in conſequentiam, ſed eis dumtaxat tribuenda eſt, quibus ipſe Chriſtus eam voluerit attributam; conſtat autem Sacerdotem, qui & ſacrificulus dicitur: de cuius intrinſeca ratione eſt ſacrificare: inſtitutum fuiſſe ad conficiendam Euchariſtiam, in qua ſacrificium poſitum eſt; Nullibi verò, ne veſtigium quidem habemus, Chriſtum voluiſſe ſimplici Sacerdoti conceſſum conficere, aut miniſtrare Chriſma; quinimmò id muneris, paſſim per Canones, & Doctores remouetur à nudis Sacerdotibus, quatenus illud adiudicant ſolis Sacerdotibus Sūmis. Nec deſunt iſtiuſmodi inſtitutionis ſuæ congruentiæ, inter quas, ea eſt preſtò, præ cæteris; facultatem circa Euchariſtiam, eò expediuiſſe ampliorem fore, quam circa Confirmationem, quò illa præ hac incomparabiliter ad ſalutem conducit.

Sicut nec altero conſimili argumentandi modo permouemur; quod cum Abbati liceat, per Baptiſmum, verticem vngere: partem nobiliorem: perperam poſtmodum ei denegaretur per Confirmationem, frontis ignobilioris inunctio, tum quia non expedimur ab eadem merè arbitraria inſtitutione, nec Confirmatio tantæ eſt neceſſitatis, quantæ Baptiſmus: tū etiam eſto hic Confirmationem materialiter antecellat, hæc tamen, ratione plenitudinis Spiritus Sancti, quam operatur,

ſimpliciter Baptiſmo eſt dicenda præire.

42 *Poſſe nihilominus hanc facultatem Abbatibus competere, prorſus indubitatum reddidit* Sacra Congregatio *relata ſub* c. 3. Tridentini, ſeſſ. 7. De Confirmatione verſic. Non ſolum Epiſcopum. *dum cenſuit in hæc verba:* Abbates ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, de conſenſu tamen Ordinariorum, hoc Confirmationis Sacramentũ conferre poſſe. *Refert etiam* Sorbus *in additionibus ad* Compend. Priuileg. Mend. verbo. Ordines Sacri. *Et infra.* S. D. N. Conſulto reſpondit, non poſſe Abbates vti facultate conferendi Sacroſanctũ Confirmationis Chriſma, niſi Ordinarius loci conſenſerit, & quemadmodum, & quamdiù placuerit ei. Qui verò eſt nullius Diœceſis, habetque iuriſdictionem, vt ſupra, poteſt accerſere, quem maluerit Catholicum Epiſcopum, pro miniſtrando Chriſmatis Sacramento, non obſtante c. 5. reformationis ſeſsionis ſextę.

Nil aduerſatur alia eiuſdem Sacræ Congregationis *declaratio, annexa ſimiliter eidem* Tridentino, *in prætermiſsis*, ſub c. 3. de Confirmatione, *ibi:* S.D.N. Gregorius, ex ſententia Congregationis, reſpondit, Abbatem priuilegiatum, omnia, quę ſpectant ad Epiſcopum, poſſe exercere, præter quam non poſſe Chriſma, & ſacros Ordines conferre, & Sacramentum Confirmationis miniſtrare, cum ea, quę ſunt Ordinis, requirant ſpecialem mentionem, nec inferioribus Prælatis inueniantur conceſſa; & licet exceptio firmet regulam, non tñ ampliat vltra eius naturam, vt comprehendat ea, quæ ſunt aliàs reſeruata, & de quibus eſt facienda ſpecialis

mentio. *Prædictis ſiquidem verbis, Pontifex nihil aliud ſibi voluit, quàm eam facultatem, non venire ſub generali indulto Abbatis priuilegiati; hoc eſt, per Priuilegium benedicti. Namque benedictio tribuit ſanè vim ordinandi, vigore Sacrorum Canonum, Chriſmandi autem, non item, de quo in Sacris Canonibus nulla adeſt mentio, proinde conſequitur ad hoc requiri ſpecialiorem, & expreſſam conceſſionem. Quæ aũt, quanta, & qualis, extet de hac re, Abbatibus conceßa facultas, pendet ex proprijs vniuſcuiuſq; Cõgregationis priuilegijs.*

43 *Hoc mihi quidem certũ, & exploratũ omnino eſt, hanc facultatem, nedum Abbatibus, verum etiam ſimplici cuiquam Sacerdoti, poße à Papa impertiri, per* c. Peruenit 95. d. *vbi* Greg. Papa *permittit Græcis, quod in Epiſcoporum abſentia, liceat Sacerdotibus confirmare, propter ſcandalũ obortum. Et* Conciliũ Florentinũ *in inſtructione Armenorum, teſtatur legi, per Summũ Pontificem, id Sacerdoti quondam indultũ.*

44 *Vbi* Gloſſa *inibi* verbo, Concedimus, *ſubnectit quæ ſequũtur:* Omnia ſacra, quę recipit Presbyter, ex delegatione Papę, cõferre poteſt, vnde Diaconus põt conferre Diaconatum, & Confirmare in fronte. *Concordat alia* Gloſſa in c. Manus cit: verb. Irritum, *dicens.* Ex demandatione Papæ, quilibet conferre poteſt quod habet, vnde ordinatus Ordinem, quem habet, conferre poſſet, & confirmatus Confirmationem.

45 *Concinit identidem* D. Hieronymus, aduerſus Luciferianos *ſcribens*. Quod ſolus Epiſcopus, impoſitione manuum, tradat Spiritum Sanctum, eſt potius propter honorem Sacerdotii, quam ex neceſſitate legis. *Qui tandem concludit* ſolum conſiſtere in

Ecclesiæ arbitrio, quod reseruetur Episcopo, aut quod alijs etiam concedatur, cum hoc non sit diuina lege determinatum.

46 *Tandem ne tertiam illam insolutam difficultatem prætereamus, De Consecratione Ecclesiarum, solis Episcopis attributa, in* c. Aqua. hoc titulo. *Huiusmodi facultatem, priuilegio concedi posse, constantissimè docemus, maiori nulla difficultate turbati, in hac concessione, quam in alijs supra.*

47 *Atquè ita de facto concessa reperitur nobis, per priuilegia citata, Leonis 9. Abbati S. Mariæ de Picciano, Aquilæ; & Ioannis 19. Abbati S. Mariæ in Organo, Veronæ. Concedentium facultatem consecrandi Ecclesias; sed vberius suo loco, hæc dixerimus è re nata.*

48 *Ad alteram partem bipartitæ superius Potestatis accedentes, ad Potestatem videlicet Iurisdictionis. Hanc itidem constituimus duplicem; alteram in foro interiori, & pænitentiali, quam Sacerdos accipit exercendam in Corpus Christi Misticum, quod est Ecclesia; Alteram in foro exteriori, quam diuersimodè Episcopi, & Abbates, Regularesque Superiores accipiunt.*

49 *Quippe quod ad dignitatem Episcopalem iure proprio multa conueniant, vt sunt causas matrimoniales cognoscere, publicas Pænitentias imponere, Indulgentias concedere; & quorum mentio fit in* c. Accedentibus, de excessu Prælatorum; *Quæ alijs inferioribus nequeunt conuenire, nisi iure priuilegiorum, aut legitimè præscripta consuetudine, vt dicto c. ibi:* Quidam Abbates suis finibus non contenti, manus ad ea, quę sunt Episcopalis dignitatis, extendunt, de causis Matrimonialibus cognoscendo. Iniungendo

do publicas pœnitentias, Concedendo etiam Indulgentiarum literas; & similia præsumendo. *Et infra*; Firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa, super huiusmodi valeat se tueri; *Vbi* Glossa verbo, legitima, *subdit*, puta consuetudo præscripta; *Quæ dat iurisdictionem, ex Iuribus, quæ ibi adducit*.

50 *Cætera verò, quæ Potestatis Iurisdictionis Episcopalis sunt, erga suos subditos, Prælati Regulares possunt; Cum enim olim, ea possent Episcopi, in Religiosos, non minus, quam Clericos Sæculares, suos subditos, fit vt obtenta per Regulares, exemptione ab Ordinarijs, illa eadem auctoritas Episcopalis remanserit, & perseueret penes Superiores ipsos Regulares, tanquam Papæ Vicarios, qui est immediatus Religiosorum Superior: vt suis locis abundè.*

51 *Signanter autem Abbates possunt omnia, quæ sunt Iurisdictionis Episcopalis, si Ecclesiam habeant pleno sibi iure subiectam*, c. Auditis de præscriptionibus. *ibi*: Verum tanto tempore probantur, per testes, ab Abbatibus Ecclesiæ de Heutescham pleno iure possessæ, vt videantur in eis, Episcopale ius legitimè præscripsisse.

52 *Et facit quod communiter docent Doctores, Ecclesiam, dum inferiori Prælato conceditur, à Potestate eripi Diœcesani, ita ut nullum ibi ius Episcopus retineat exercendum; pariformiter facit exemptio, eius naturæ, secundum omnes, vt ius quodcumque prohibeat Episcopis, in Ecclesijs exemptorum.*

53 *Tunc verò Abbates Ecclesiam pleno sibi iure subiectam intelliguntur habere, cum circa illam, Potestate pro spiritualibus,*

libus, & temporalibus gaudent. Glossa in c. Abbates de priuilegijs in sexto, verbo. Pleno iure, & c. Quoniam per confessionem. De Priuileg. *ibi:* Vt nullus Episcopus Ecclesias vtroque iure illi subiectas, interdicto supponere, &c. *& in fine*, vel ad Ecclesias vtroque iure sibi subiectas. *Vbi Glossa vtrobique explicat, in spiritualibus, & temporalibus.*

54 *Poteruntque Abbates, nullius Diæcesis si sint, habeantque territorium separatum, & Diæcesim propriam, respectu cuius, dicentur Diæcesani, omnibus prorsus fungi, quibus Episcopi in sua Diæcesi, ijs nihilominus exceptis, quæ sunt Ordinis Episcopalis.*

Vnde Sacra Congregatio *apud Barbosam verbo, & Criminales sub* c. 20. sess. 24. Tridentini de Reform. *in quo decernitur, vt causæ Matrimoniales, & Criminales, Episcopi tantum Iurisdictioni relinquantur; declarauit hoc Decretum non extendi ad illos, qui nullius sunt Diæcesis.*

55 *Qui verò Abbas proprio caret territorio separato, quãuis exemptus, in Diæcesi alterius esse dicetur* c. Cum Episcopus De officio Ordinarij in sexto. *ibi:* Episcopus in quolibet loco suæ Diœcesis non exempto, potest pro Tribunali sedere. *Ex quo liquet, locum exemptum esse in Diæcesi, &* c. de Monialibus de sent. excom. *ibi:* Moniales per Episcopum, in cuius Diœcesi Monasteria fuerint, absoluantur. *quod Glossa ibi, verbo, per Episcopum, intelligit etiam de exemptis.*

56 *In qua Diæcesi cum sint Abbates exempti, poterunt nihilominus, in suos subditos, quicquid iurisdictionis in iure conceditur Episcopo, erga suos, sub hoc nomine Episcopi, &*

facit ſenſum, Epiſcopus, ideſt, habens Epiſcopalem Iuriſdictionem, vt tenet communis.

57 *Contra* Gloſſam in c. Abbat. 18. q. 2. verbo, Epiſcopalia, *vbi docet, Abbates, quamuis exemptos, teneri primò Epiſcopalia iura petere, quia habere exemptam Eccleſiã, eſt pleno iure ipſam poſſidere, in ſpiritualibus, & temporalibus, vt ſupra, quod eſt, inibi nullum ius Epiſcopum exercere poſſe. Non ergo tenentur Abbates exempti iura Epiſcopalia petere, quæ nil aliud ſunt, quàm iura iuriſdictionis*, c. Cum querente. De officio Ordinarij, *vbi enumerantur ſub nomine, Obedientiæ, Subiectionis, Reuerentiæ, Inſtitutionis, Deſtitutionis, Correctionis, Reformationis, Cenſuræ Eccleſiaſticæ, & Iuriſdictionis omnium cauſarum ad forum Eccleſiaſticum de iure ſpectantium; quæ omnia Abbates exempti pleno iure exercent in ſuos.*

58 *Fatemur nihilominus plura poſſe Epiſcopos in ſuos Diæceſanos, quæ non conceduntur Abbatibus, in ſuos ſubditos, licet exemptis, cum non habeant Diæceſim; non enim eorum eſt leges ferre, interdictum locale ponere; aut attentare conceſſa Epiſcopis, vt Sedis Apoſtolicæ delegatis; quia electa eſt Perſonæ induſtria; aut permiſſa Epiſcopis, cum clauſula, & limitatione excludente alios inferiores, habentes vi velis, iuriſdictionem Epiſcopalem, atque exemptos. De quibus nos in proprijs locis abundè.*

59 *Poteſtas igitur Iuriſdictionis, Ordinis, & Dignitatis Epiſcopalis, ex dictis competit Abbatibus, diminuta veruntamen, ita vt particula, quaſi, quæ de ſola iuriſdictione videtur expreſſa*, c. Abbates de Priuileg. in ſexto, *ibi:* In quos (ſcilicet ſubditos) Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem

iurisdictionem Abbates obtinent, *ad reliquas duas Potestates sit extendenda.*

Et quidem de Potestate Iurisdictionis, eam esse dumtaxat quasi Episcopalem, Vltra auctoritatem Canonis praecedentis, consequitur etiam manifestè ex hucusque dictis.

Idem dicendum de Potestate Ordinis, quatenus eam non habent proprio iure, Vti Episcopi, & quam habent iure Priuilegiorum, intra, aut extra ius commune, non extenditur ad omnes functiones Ordinis Episcopalis, scilicet nunc ad Maiorum Ordinum, & numquam ad Presbyteratus collationem, sicuti nec ad Chrisma conficiendum, aut ad Episcopos consecrandos.

Id ipsum de Potestate dignitatis Episcopalis, cum eam non habeant regulariter, nec iure proprio, sed priuilegiario, aut præscripta consuetudine, si qui habent de Matrimonialibus causis cognoscere; pænitentias publicas imponere, & fortè Indulgentias elargiri.

60 *Quæ tamen particula non obuiat, quin Potestas iurisdictionis, ordinaria insit Abbatibus, cæterisque Prælatis Regularibus quibuscumque, cum competat ex concessione perpetua, & ordinaria;* Panormitanus *sequutus Bartolum* cap. Quoniam, de Officio Delegati §. certum, n. 1. *Nec non ratione officij, Vel dignitatis, aut consuetudinis, cuiusmodi ordinaria est*, ex l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio. *& ex communi consensu Doctorum. Immò ipsi Officio, aut Dignitati, non autem Personæ concessa: Vt per se constat: & non alterius qualitatis ab ea, quæ residet in Episcopis, ex communi Doctorum assensu, ex quibus omnibus, & alijs quæ possent adduci, hæc Iurisdictio, tãquam Verè, &*

propriè ordinaria canonizatur. adiuncta Gloſſa in c. cum ab Eccleſiarum, verb. Eccleſiaſtica, de offic. Iud. Ord. *quatenus firmat iuriſdictionem datam per Collegium, vel Vniuerſitatem, eſſe ordinariam, ibi:* Quilibet Prælatus collegiatę Eccleſię, licet ſubſit Epiſcopo eſt tamen Iudex ordinarius in Plebe ſua, & habet iuriſdictionem cognoſcendi, & excommunicandi. Illum dico Prælatum, hoc facere poſſe, & talem iuriſdictionem habere, qui à Collegio venit electus, aut Vniuerſitate, c. 1. de Elect. Et idem intelligo, ſi pręficiatur Vniuerſitati, ab eo, qui habet adminiſtrationem, cum iuriſdictione, puta Epiſcopo.

61 *Ex qua particula,* licet ſubſit Epiſcopo. *corruũt manifeſtè cauillationes denegantium idcircò Prælatis Regularibus ordinariam Poteſtatem, quod ſubſint Ordinum Generalibus, & alijs Capitibus. Eòque magis, quod Monaſteriorum Prælatis Summis, dum antiquitùs Religiones Epiſcopis ſubijcerentur, ordinaria nihilominus erat iuriſdictio, vnanimi conſenſione Doctorum.*

62 *Vicarijs quidem ipſorum, Prælatis præſentibus, nulla ineſt iuriſdictio ordinaria, ſed ea tantum, quæ ſibi permittitur, aut impartitur ab eiſdem, ſolum in hoc Religioſis cæteris præeminentes, quod ipſorum ſint partes, confeſſiones audire, officinas perluſtrare, leues, ac diarios defectulos redarguere, & obſeruantiam curare; nil tamen ex concernentibus forum contentioſum, penitùs ſibi arrogando.*

63 *Vtiquè amotis, aut vita functis, vel quomodolibet abſentibus Prælatis, per diem integrum, vt ſummum, reuerti prohibitis, per conſuetudinem, eſt adiudicata eorum Vica-*

rijs, vniuersa auctoritas, & iurisdictio Prælatitia, ordinaria; Cui consuetudini vim adesse, tribuendi iurisdictionem, & Potestatem, vnanimi sensu Doctores colligunt ex c. Duo. De officio Ordinarij, *ibi:* Est in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas, nihil iuris præ cęteris habere, nisi quantum Sacri Canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo.

Idque de magis in Vicarijs, qui non à suis Prælatis, sed à Communitate, puta à Capitulo, vel Definitorio fuerint instituti, vt moris est in nostra Congregatione.

64 *Porrò Prælati Regulares possunt, quam habent, Potestatem, alijs ex causa demandare habetur* c. finali, *iuncta* Glossa. De officio Ordin. *ibi:* His, quibus ex officio in certis casibus competit, illos absoluere, qui incidunt in Canonem sententiæ promulgatæ, licet alijs huiusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire. *Vbi* Glossa, verbo. casibus, *bene subdit,* si cui committatur hoc ex priuilegio; *Potestas enim data per priuilegium perpetuum, proprijssimè dicitur competere ratione officij, quatenus priuilegium huiusmodi, reale magis, quam personale, adheret Dignitati, primò, exin (media Dignitate) Personæ; quod insinuatum est, per particulam:* In certis casibus: *hoc est, cum sit facta Potestas ex priuilegio competente ratione Dignitatis, vt ibidem* Glossa *expendit, quæ extendendo, subijcit.* Idem intelligo in omnibus alijs excommunicationibus, quod illi, qui Ordinario iure, vel delegato à Principe, possunt absoluere, possint etiam committere vices suas, cum viderint expedire, dummodò Delegatus habeat iurisdictionem; Atque adeo

Digitized by Google

delegatio, vel commiſsio ſit ratione officij, ac proinde per priuilegium perpetuum.

Quæ conditio eſt animaduertenda, nam ſi alias nudum; & certum tantummodò miniſterium committatur, non ratione dignitatis, & officij, cui fuerit annexum, & attributum per priuilegium perpetuum, nequibit exequutio illius alteri demandari, vel delegari c. vltimo de officio Delegati, *ibi:* Nulli, cui fuerit commiſſum excommunicare, vel abſoluere, &c. liceat hæc de cętero alijs demandare.

Atque hoc doctrinæ modo, Prælatorum Poteſtas, quæ, & qualis ſit, vt à Summo Pontifice impartita eſſe demonſtretur, in præſenti capite concludatur.



CAPVT II.

ORDO DVM CONFERTVR, VERVM PROPRIVMQ; CONFICITVR SACRAMENTVM.

ELENCHVS.

1 *PResbyteri Poteſtas duplex, ad Sacrificandum, & laxanda peccata.*
2 *Vtramq; Apoſtoli, diuerſo ſub tempore, habuere.*
3 *Presbyteratus, vtriuſque reſpectu, verè ac propriè Sacramentum.*
4 *Paulus pri. ad Timot. c. 5. explicatur.*
5 *Manus impoſitio, & Oratio diſcriminantur.*
6 *Ad remittenda peccata, Sacramenti inſtitutio non ordinata.*
7 *Character, Sacramentalis Ordinationis, effectus.*
8 *Huius Sacramenti materies quæ.*
9 *Vna totalis, eſſentialiſq; ex duabus compoſita.*
10 *Ordinatio in Epiſcopum, verè Sacramentũ.*
11 *In quo Character imprimitur, à Sacerdotali Charactere diuerſus.*

Digitized by Google

12 *Patres, & Canonistæ Sacramentum esse docent Episcopatum.*

13 *Scripturarum testimonia, Ordinem ostendentia Sacramentum, vniuersa de Episcopatu loquuntur.*

14 *Episcopatus an numerum Sacramentorum adaugeat septenarium.*

15 *Qui cum Presbyteratu conueniat.*



Ifariam superiori capite, Ordinis secuimus Potestatem, in Presbyterali alteram, alteram in Episcopali Ordinatione collatam. Nunc in vtriusq; collatione, verum & proprium confici Sacramentum, operæ pretium est, vt rei fert dignitas, pergere demonstratum.

1 *Gemina confertur Presbytero in eius Ordinatione Potestas, ad sacrificandum Prior, dum dicitur ordinando,* Accipe Potestatem offerendi sacrificium, &c. *exhibente Episcopo ad tangendum Calicem, & Patenam cum Hostia; Posterior ad remittenda peccata, dum in fine Ordinationis profertur:* Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c. *Super Presbyterum manus Episcopo imponente.*

Binam hanc Potestatem, re alteruitrum discriminari, inde manifeste conuincitur; Quod posterioribus verbis. Accipe Spiritum Sanctum, &c. *Nondum prolatis, nequiret ordinatus à peccatis absoluere; cui tamen sacrificandi esset facultas, antecedentium verborum vi,* Accipe Potestatem offerendi sacrificium, &c. *Quorum tamen vigore ex tunc*

qui ordinatur fit Presbyter, dicente Pontificali: Qui ordinati sunt Presbyteri, *ac proindè paulò post, cum Episcopo consecrat, nondum ad absoluendum recepta Potestate.*

2 *Tum magis, quod Apostoli, non in vna, & moraliter eadem Ordinatione, sed longum post interstitium temporis, vtramq; Potestatem acceperint; In vltima enim cœna, per verba.* Hoc facite in meam commemorationem; *Ordinati fuere Presbyteri, cum absoluta Potestate sacrificandi,* Tridentino *teste* sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 1. *Post Resurrectionem deindè Christi: Vt concors est omnium sensus: constituti sunt Iudices, cum absoluta, & alia, ab antecedenti, Potestate absoluendi à peccatis, per verba:* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.

Tametsi deindè hæc Potestas ad absoluendum, redigi prohibeatur ad actum, absq; altera Iurisdictionis, vt elucidabitur infra, Cum quo nihilosecius manet, non spectare primariò ad Potestatem Iurisdictionis, absolutionem ipsam à peccatis, sed ad Potestatem hanc Ordinis. Quod infra similiter demonstrabimus. Quæ omnia conferentes, meritò idcircò, Sacerdoti vltra Potestatem sacrificandi, hanc alteram distinctam absoluendi à peccatis, vi Ordinationis, firmiter profitemur attribui.

3 *Secundum quam vtramq; Potestatem, est Ordo Sacerdotalis verum, ac proprium Sacramentum. Nec enim sub aliqua disiunctione, partitioneuè loquitur* Tridentinũ sess. 23. de Sacr. Ordinis c. 1. *ibi:* Si quis dixerit, Ordinem, siue Sacram Ordinationem, non esse verè, ac propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum: Anathema sit. *Quod etiam definierant antea* Bracarense, Calce-

donenſe,& Florentinum *æquipollentibus verbis*.

Concilijs dictitauit vnanimis Patrum ſententia; e quorum numero Auguſtinum *vnum ſufficiat allegare, cæterorum ſententiam referentem*, lib. 2. contra Parmen. c. 13. *ibi*: Ipſi :*ſcilicet Donatiſtæ*: explicent quomodo Sacramentum Baptizati, non poſsit amitti, & Sacramentum Ordinati poſsit amitti ; Si enim vtrumque Sacramentum eſt (quod nemo dubitat) cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt. *Quibus nihil expreſſius ad pronunciandum Ordinem, Sacramentum non minus; quam Baptiſma: Hoc autem verè, ac propriè Sacramentum eſſe ipſis etiam temporibus Auguſtini, nec ipſi negabant Hæretici: quanto magis inter Catholicos Patres, eodem Auguſtino teſtante, nulla de hoc vmquam eſt audita contentio?*

Et iure quidem optimo. Cum Sacramentum ſit extrinſeca viſibilis cæremonia, à Chriſto Domino inſtituta, ad Gratiā ſignificandam, & conferendam; ex cuius bene inſtructæ, ac communiter receptæ definitionis partibus, ſi probatum manſerit Ordinationi munus Gratiæ conferendæ, uoti compotes erimus, cum de cæteris nemo detrahere quicquam valeat.

Illud autem quam facili ſimul, & efficaci negotio? Siquidem nil apertiùs, ac frequentiùs in ſacris literis, quam in Ordinatione Gratiam comparari. Ad Timot. 1. c. 1. *ibi*: Admoneo te, vt reſuſcites Gratiam, quę in te eſt, per impoſitionem manuum mearū. *Et ad eumdem* c. 4. *ibi*: Noli negligere Gratiam quę data eſt tibi, per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij. *Hoc eſt: de mente omnium expoſitorum: cum per manuum impoſitionem, te*

initiauerim, in exequutionem reuelationis, qua Deus mihi impoſuit, vt te Ordinarem Presbyterum.

4 *Rurſus ibidem c.* 5. Nemini citò manus impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. *Quam impoſitionem exponunt communiter Interpretes, de Ordinatione, translata ex græco vocabulo, ſignificatione, quod manuum extenſionem importat. nullo autem modo de nuda Oratione explicandum. vt perperam explicare conati ſunt hæretici.*

Licet enim Sacramentalia verba, formam aliquam præſeferant deprecatoriam, nihilominus pro quocumque, vel iniquiſſimo, licitè quis deprecans qui deindè ordinando peccatores, communicaret alienis peccatis? Cum tamen ex eo quod ad Gratiam, in Ordinatione ſuſcipiendam, indignè quis accederet, peccatum in non inſcium Ordinantem refundi Apoſtolus doceat.

5 *Cuius rei ſpecimen, eò eſt etiam manifeſtius dare, quò in Scriptura ſæpenumero recenſentur, vt diſtincta, orare, & manum imponere.* Actorum 6. *ibi:* Cum oraſſent, impoſuerunt eis manus, & 13. *ibi:* Ieiunantes & orantes, imponenteſq; illis manus, dimiſerunt eos.

Vt proindè auertatur mirum, quod huic veritati, vbique aſtipulentur Patres. Greg. in lib. Reg. 4. c. 5. *ibi:* Qui promouetur, bene foris vngitur, ſi intus virtute, ideſt effectu Sacramenti roboretur. Ambroſius de dignit. Sacr. c. 5. *ibi:* Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. Et Sozomenus lib. hiſt. c. 10. *ibi: ad Martirem.* O Beate recens baptizatus, & purificatus, & mox inſuper Sacerdotio auctus; & vtraq; hęc, peccatorum expiationi eſſe, Deus conſtituit.

Verbis id ipsum explicitis definiuit tandem Tridentinũ sess. 23. de hoc Sacr. c. 3. *ibi:* Si quis dixerit, per sacram Ordinationem, nõ dari Spũm sanctum: Anathema sit.

Porrò, non qualiscumq; gratia, sed habitualis, & à peccatis iustificans, in hac Ordinatione confertur; Vt enim scribit Apostolus pri. ad Timot. c. 1. Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis. *Quis autem ignoret, hoc munus proprium esse iustificantis Gratiæ, adducere vnà secum virtutes omnes? Quas inter dilectio, quæ & charitas, cuius speciale est, absq; Gratia iustificãte, in animam non introduci, Theologorum Schola vniuersa consentiente.*

Id quod ipsamet ordinatoria verba prætendunt: Accipe Spiritum Sanctum, &c. *Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Ideò Sanctus, aut quia sanctificat quem non reperit Sanctum; aut quia sanctitatẽ adauget, quam reperit, iuxta illud* Apocal. 22. Qui Sanctus est, sanctificetur adhuc.

6 *Caue ne credas, Sacramenti institutionem ordinari ad redimenda peccata; ex hinc enim Eucharistia verum non esset* ***Sacramentum**, quæ ex sua institutione, nec redimit, nec iustificat, sed ordinatur tantummodò ad incrementum iustitiæ iam iustificati, Vnde illud* ad Corinth. 11. Probet autem se ipsum homo, *idest à peccato se emundet*, & sic de pane illo edat, &c. *Sed ordinatur ad eam Gratiam cõferendam, quæ si peccatum repererit, illud etiam sit potis expellere, cuiusmodi habitualis esse dignoscitur.*

Atq; hanc dari in hoc Sacramento, mirificè decuit Dei omnipotentiam, cuius perfecta sunt opera. Deut. 32. *Vt nimirum collationem Potestatis sacrificandi, & absoluendi, omne id pariter consequatur, quod ad eius perfectum faciat*

exercitium: res, quam perpetuò vel in ipsis et Potentijs naturalibus obserues; propterea in Baptismate, cum Character imprimitur, qui passiuam det Potestatem, licitè, & validè recipiendi cætera Sacramenta, probè inferunt Doctores, conferri simul etiam habitualem Gratiam, sine qua eadem dignè non datur sumere.

Atqui, cum sex alijs Sacramentis, hæc sunt Ordinationi communia; Præter habitualem Gratiam, accedit Characteris impressio, seu supernaturalis cuiusdam productio qualitatis, per quam conuenit Ordo quidem cum duobus Sacramentis, Baptismatis, & Confirmationis, differt verò à cæteris, Characterem neutiquam imprimentibus.

7 *Sacramentalis Ordinationis effectus, non minus est Character, quam Gratia: Proindè firmata iam istius collatione, & de cõsequio Character imprimitur: vtrinq; .n. compar est ratio.*

Quin etiam de Charactere militat magis, nam verba, Accipe Spiritum Sanctum, ad absoluẽdum: & Accipe Potestatem ad sacrificandum, *plus tendunt ad Potestatem in substantia, quam ad licitum, & perfectum eius vsum, vt liquidò ex se constat. Hinc ni velimus diminutã fateri Presbiteralem Potestatem, confiteamur necesse est, aut nouum Characterem, aut impressi nouam realem extensionem.*

Siquidem nulla est excogitabilis superadueniens Potestas Ordinis, citra nouam Characteris superadditam entitatem. Si Theologi ex Potestate noua, axiomate irrefragabili, nouũ rectè colligunt Characterem, vt qui detur, aut tanquam Potestas, aut Potestatis in signum.

Consonant vnanimiter Patres, Cyprianus de Operib. Card. *Christi ibi:* Baptismum repeti, Ecclesiasticę prohibent

hibent regulę,& ſemel ſanctificatis,nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere,nemo ſacros Ordines ſemel datos,iterum renouat. *Et* Auguſt. lib. 2. contra Parmenianum c. 13. *ibi:* Vtrumq; Sacramentum eſt, & quadam conſecratione datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur. ideò enim in Eccleſia vtrumque non licet iterare.

Quod Patrum aſſertum, & Eccleſiæ inſtitutum, non iterandi Ordinationem, corruit non admiſſo indelebili Charactere.

Tridentinum *propterea Characteris impreſſioni, in ordine, ſub eiuſdem cenſuræ contextu, ſimul etiam indelebilitatẽ annectit*, ſeſſ. 23. de hoc Sacr. c. 4. *ibi:* Si quis dixerit, per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, aut per eandem non imprimi Characterem, vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe; Anathema ſit.

8 *Huius porrò Sacramentalis Ordinationis materiam efflagitanti: Sacramentum quandoquidem ſine materia non conſiſtit: paucis exponam; præter exhibitionem inſtrumentorum, ipſam manuum Epiſcopalium impoſitionem, materiam autumant Scholaſtici.* D. Thomas, *cum ſuis,* in 4. diſt. 25. quęſt. 1. art. 1. *& alijs affirmantibus abſque manuum impoſitione, Ordinis, neque integrari, neque perfici Sacramentum.*

Hinc c. Presbyteri, de Sacramentis non iterandis, *definitur non eſſe repetendam Ordinationẽ, ſed nihilominus ſupplendam manuum impoſitionem, ſi fuerit prætermiſſa.*

Quam etiam manuum impoſitionem, allatæ ſcripturæ tanquam eſſentialiter requiſitam, deputant manifeſtè, dum ſoli

Spiritus Sancti infuſionem adſcribunt, ſecus oſtenta, quæ accidentalis eſſet conditio, eſſentialiter deindè conticeſceret requiſitam, quod nefas eſſet, de Sacra Scriptura, omnibus numeris abſoluta enunciare.

Concilia immò non aliam eſſentialiter prærequiſitam cæremoniam agnouere. Cartaginenſe 4. c. 3. *ibi:* Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, manũ ſuper caput eius tenente, &c. *Et* Tridentinum *loco citato, ibi:* Si quis dixerit, fruſtra Epiſcopum dicere, Accipe Spiritum Sanctum: Anathema ſit. *Quæ verba ſunt manus imponentis Epiſcopi.*

Siuè deindè eam Apoſtoli inſtituerint, Chriſto permittente, vt innuitur, c. Presbyteri. de Sacramentis non iterandis. *Ex quo eſſet colligere, Apoſtolos non fuiſſe ordinatos per manuum impoſitionem, vt re vera non habetur expreſſum, ſicuti neq; oppoſitum. Siuè inſtituerit Chriſtus vlterius, quamuis non in ſpecie, ſed ſolum in communi, Apoſtolis mandans, hanc, aut illam materiam prout iudicauerint expedire, vt deſignarent. Quicquid enim dicatur, illud ſemper pro indubitato retinendum, qualemcumq; ab Apoſtolis deſignatam materiam, aut formam, habendam tanquam à Chriſto deſignatam, vt qui ſuis Apoſtolis hanc, vel permittendo, vel demandando, attribuerit facultatem.*

9 *Atq; ita ex duabus partialibus, vna integratur totalis eſſentialiſquè materies huiuſce Sacramentalis Ordinationis, nempè ex Epiſcopali inſtrumentorum exhibitione, & manuũ impoſitione; Quod aliquando Concilia de alterutra meminerint non coniunctim, nil te miri afficiat; ſolam namq; opportunè curarunt aſtruere partem, ab impudenti hæretico ali-*

quo tunc denegatam. Inde est quod Florentinum assignauerit pro materia, exhibitionem instrumentorum, nulla facta mentione impositionis.

At contra, Cartaginense, & Tridentinum *manuum impositionem, statuerunt, instrumentorum exhibitione, altera comparte, nullatenus commemorata.*

Quod idem prorsus de forma duplici partiali hoc in eodem Sacramento enunciatur, nimirum de verbis, Accipe Potestatem sacrificium offerendi, &c. *& de alijs*, Accipe Spiritum Sanctum; Quorum remiseris, &c.

Ita tamen, vt ex pluribus hisce formis, ac materijs, non nisi unum Ordinis coalescat Sacramentũ, sicuti vnum adhuc, quod ex duplici Potestate, scilicet sacrificandi, & absoluendi, & consecutiuè ex duplici Charactere, & ex secunda Gratia, qui est alter effectus huius Sacramenti, integratur, nisi eãdem esse Gratia contendas, subindè modificatam, & vnicum pariter Characterem; impreßum quidem sub prioribus verbis, directis ad sacrificandum, extensum deindè sub verbis posterioribus, directis ad absoluendum, per physicam tamen, & realem modi superadditi, non autem moralem extensionem, vt infra de Charactere Episcopali; ex quo posteriori modo dicendi, maior videretur consolidari vnitas Sacramenti.

10 *Ad Ordinationem verò Episcopatus gradum facientes, alteram Capitis huius partem. Eam itidem Sacramentum esse, perfacilè demonstratur, cum per eam non minus, quam per Sacerdotalem Ordinationem, conferatur tum Gratia, tum Character, qui effectus sunt Sacramenti Ordinis.*

Nec ambigendum de Gratia, quia si Doctores in Presbyteratu eam venati sunt, ex recta Sacramentorum admini-

 stra-

ſtratione, qui negaturi ſint in Epiſcopatu, ob eandem rationẽ? quin etiam quædam Ordinis altioris habet Epiſcopus, ad quæ: ſi communi doctrinæ eſt locus: nequit Sacerdos purus pertingere, quocumque Priuilegio ſpeciali fulcitus, aut quauis auctoritate donatus. Vt de confectione Chriſmatis, communiter, de Presbyteratus, & Epiſcopatus collatione, plerique.

Quod ſi ad onera Matrimonij ſubeunda: naturalis contractus genus: & ad cæteros Ordines exercendos, de quibus non adeò graue negotium, Gratia nihilominus confertur; quid ni deindè ſit infundenda, ad Epiſcopalis muneris exercitium ſupernaturalis Ordinis, ac longè maioris difficultatis?

11 *Nec item ambigendum de Charactere, à Sacerdotali diſtincto, datur quippe Epiſcopo in ſua Ordinatione noua Poteſtas Ordinis, ſupra Sacerdotalem, ad Ordinandum nimirum, & Chriſmandum; quæ abſq; nouo Charactere, non aduenit, vt ſuperior doctrina conuincit.*

Id quod colligere datur à fortiori ex Poteſtatibus Diacono, & Subdiacono attributis, pro ſingulorũ muneribus exercendis; per quas communior Doctorum ſententia diuerſos infert Characteres. Si enim vnus, vel etiam extenſus realiter Character, in his Minoribus exercendis non ſufficit, qui tandem ſatis erit in longè amplioribus, & ab inuicem diſiunctiſſimis functionibus, Sacrificandi, Confirmandi, & Ordinãdi?

Porrò ſi vnus idemque eſſet Character vtriuſq; Ordinati, Presbyteri ſcilicet, & Epiſcopi, Tridentinum *non dixiſſet anathema,* ſeſſ. cit. c. 7. Si quis dixerit, Epiſcopos habere Poteſtatem communem cum Presbyteris; *vnus enim idemq; indiſtinctam etiam Poteſtatem importat.*

Ex quo Charactere habet quidem Epiſcopatus, vt nequeat

iterari; quemadmodum Presbyteratus: Ratio quippe non iterandi: vt ex Patribus, & Tridentino docuimus: ex sola Characteris impressione consurgit.

12 *Sed enim redeundo ad principale, si præter Rationem, expostuletur Auctoritas, obuia statim est concors antiquorum Patrum sententia, Episcopatum verè proprieq́ Sacramentum esse, asseuerantium; quibuscum Canonistæ substinent Vniuersi*, in c. Cleros 21. d. & c. Perlectis 25. d. *Vsque adeò vt Recentiores aliquot oppositum asserentes, à graui nota non liberet* Vasquez, *& bene*; Petrus *enim* Soto *nostram sententiam prædicat de fide certam, contrariam periculosam* Michael Medina, teste Ægidio à Coninch.

13 *Quippe cui nulla suppetunt amplius testimonia Scripturarum, ad probandam Ordinationem esse Sacramentū. Quæcumq́; enim ea sint, de Episcopali Ordinatione testantur. Vt illud* Primę ad Timot. c. 1. 4. & 5. *supra relatum, de Ordinatione Timot. ad Episcopatum. Et aliud* Actorum 13. *de Ordinatione Pauli, & Barnabæ pariter in Episcopos.*

Hinc Patres confudêre aliquando: quod superiori capite adnotauimus: Presbyterum cum Episcopo; Presbyteratum autem esse verè Sacramentum iam demonstrauimus.

Nec distinctius de ijs loquitur Tridentinum, *cum scilicet l. c. indistinctè dicat anathema*, Si quis negauerit Spiritum Sanctum dari per Sacram Ordinationem; & per verba. Accipe Spiritum Sanctum. *Quæ tamen eadem vsurpantur in Ordinatione Episcopi, & Presbyteri, eoq́ magis quod* c. 3. *ad probandum Ordinationem esse Sacramentum, conferens Gratiam, mox positis vtitur testimonijs, Epistol. ad Timot. in qua de Timot. ordinatione ad Episcopatum,*

eſſe ſermonem, tenet communis opinio.

14 *Verum igitur Ordinem conſtituimus Epiſcopatum, ſed quem? quid ni dicamus aut vltra ſeptimum, aut reuocatum ad Sacerdotalem? neutrum ſiquidem improbabile. Primo quidem non obuiat* Tridentinum, *ſeptem tantummodò numerãs Ordines* ſeſſ. cit. c. 2. *quia eos dumtaxat ibi recenſere intendit qui: vt iiſdem Tridentini verbis utamur;* ad Sancti Sacerdotij miniſterium ordinantur, quò dignius, ac maiori cum veneratione exerceri poſſit, *alium tamen Ordinem, qui ſupra Sacerdotium conferatur nullatenus inficiando. Sicuti nec inficiati ſunt Patres, duos Ordines vocitando Sacerdotium, & Epiſcopatum.* Anacletus Epiſt. 3. c. 2. *ibi:* Amplius quam iſti duo Ordines Sacerdotum, nec nobis à Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt. *Et* Damaſus Epiſt. 4. *ibi:* Quia vt pręfixum eſt, Ordines ſunt duo tantum in Eccleſia, ideſt Apoſtolorum, & 72. Diſcipulorum.

Aut diximus reuocatum ad Ordinem Sacerdotalem, ſeu Presbyteralem, quo caſu, Septenarium Ordinum numerum non tranſiliremus; nihilq; incidit ſcrupuli, cum relationem vterque dicat, Presbyteratus ſcilicet, & Epiſcopatus, ad facultatem Euchariſtiæ conficiendæ, Ille ſiquidem dat efficere, efficiendi Hic Poteſtatem.

Iuxtà quam relationem, & habitudinem ad Euchariſtiam, quamuis cæteri etiam Ordines numerentur, tamen cũ vno Presbyteratu non coeunt, neq; genericè, neq; ſpecificè, ſicut Epiſcopatus: quippe Euchariſtiæ conficiendæ reſpiciunt miniſterium, quo ad modum dumtaxat, non quo ad ſubſtantiam, quatenus ſcilicet venerabilius illud reddunt; nullatenus

nus autem sicut Episcopatus concernunt veram, realemq; in eius substantiam potestatem.

Qui simul ideò cum Presbyteratu incedit, non tamen plusquam sub vna generica, vel si mauis, analogica etiam ratione. quatenus: facultate in substantia conficiendæ Eucharistiæ ambos connectente: Presbyteratus efficere, Episcopatus efficiendi dat facultatem. Specifico cæteroqui intercedente discrimine, quod Presbyteratus potentiam dicat Eucharistiæ faciendæ, Episcopatus verò eãdem potentiam posse impedire, & modum eius exercendæ præscribere, quoad locum, tempus, aliasquè circumstantias meri Presbyteratus limitem transcendentes. Et simul etiam eãdem facultatem importat alijs communicabilem, quod Presbyteratui nullatenus, vt vidimus, potest competere.

15 *Præter quam analogicam conuenientiam inter Presbyteratum, & Episcopatum, alteram insuper est assignare, per quam, in Ordinem vnum, meritò possint redigi, quia videlicet in Episcopatu essentialiter Presbyteratus includitur, non secus ac eadem dicitur cum Castitate Virginitas, altera vtpotè alteram continente. Non enim est Episcopus consecrari, qui aut Presbyter ante non fuerit, aut simul, & semel Sacerdotio, & Episcopatu non initietur. Quid amabò Episcopus, nisi Summus Sacerdos; vt Catholicorum passim resonant testimonia?*

Dissimile est de Diaconatu, & Presbyteratu, quamuis enim nil prohibeat Presbyterum ordinari, Diaconatu non insignitum, & tamen hoc fungi, quia superior Ordo præcisè inferiorem continet eminenter; Episcopatus tamen quod includat essentialiter Presbyteratum, non est illo eminenter Supe-

rior, ſed idem prorſus cum eo, cum quadam tamen alterius cuiuſdam Poteſtatis: modo explicato: acceſſione, immò ex hac præcisè; quæ ſuperadditur, ratione eſt, ipſo Presbyteratu inferior.

Idem de Characteribus horum Ordinum dicas; cum enim vnuſquiſque partialem ſuum conferat Characterem, ex quibus vnus integratur totalis, ſi Character Epiſcopalis accipiatur totaliter, alterum ſuperabit Sacerdotalem, tanquam includens, At ſi præcisè, ac partialiter vterq; ſumatur, proculdubio Epiſcopalis, ratione mox poſita, Sacerdotali concedet, ſicut munus contribuendæ Poteſtatis ad Eucharistiam, muneri ipſius conficiendæ Euchariſtiæ profectò impar.

Hactenus de Ordinationis Sacramentalis Poteſtate.



CAPVT III.

SACRAMENTI QVAE ESSENTIA, NATVRAVE.

ELENCHVS.

1 *SAcramentum lucidissimè definitur.*

2 *Rebus, ac verbis Sacramentum perficientibus, quæ naturalis insit proportio, ad eius effectum significandũ.*

3 *Totum compositum quo pacto Sacramenti signet effectum.*

4 *In Sacramento aliud est compositum methaphysicum.*

5 *Sacramentum, naturale quid nullatenus nuncupandum.*

6 *Sacramentum, quod est à Xp̃o Domino institutũ, materia, et forma cõstat determinatis.*



VBerrimæ quasi messis, in Superioribus, semina iecimus, Sacramenti naturam, vel essentiam prælibantes. illiusq; primarium effectum, qui est gratia, non quæuis, sed habitualis, à peccato emundans, nec non secundarium, qui est Character, à tribus tantummodò Sa-

Digitized by Google

cramentis impreſſus. Singula modo ſingulis complectenda Capitibus.

1 *Sacramentum itaque eſt res ſubiecta ſenſibus, quæ ex Dei inſtitutione, Sanctitatis, & Iuſtitiæ, tùm ſignificandæ, tùm efficiendæ, vim habet. Hanc quidem omnium lucidiſſimam definitionem, ne dum Catholicam, Pius Quintus in Cathechiſmo promulgauit, Scholaſtici Theologi meritò inter cæteras, magnificiunt. Duo hinc in Sacramento dignoſcimus, alterum, quod ſubiaceat ſenſibus, alterum, quod ſit diuinitùs inſtitutum.*

Materia ſiquidem, & forma eſſentia Sacramenti perficitur, auctoribus Florentino, *in* Decreto de Sacramentis, *&* Tridentino ſeſſ. 14. de Sacr. pæn. cap. 2. *ſtant materiæ loco, res ipſæ, pro formis verò ſunt verba, quorum nil ſubterfugit ſenſum.*

2 *Induunt ſanè res ipſæ rationem materiæ. quia licet naturalis eis competat aptitudo, ad Sacramenti effectum ſignificandum, vt puta ablutio exterior in baptiſmate ad ſignificandam ablutionem interiorem; cum tamen illum ſignificent ſub confuſa quadam, & ambigua ſimilitudine, vt per ſe patet, indigent per aliud, ad certam, & clariorem ſignificationem contrahi, & aptari.*

Verba verò v.g. in Baptiſmate. Ego te Baptizo. *rationem induunt formæ; porrò ex naturali, & humana eorum impoſitione, determinatè, & expreſsè, ſecundum ſonum, quem reddunt, naturaliter ablutionem, exprimunt, nec quamlibet, ſed interiorem, ex inuocatione Sanctiſs. Trinitatis, ad naturalem effectum nequicquam inuocandæ. Secundum quam determinatam ſignificationem, res ipſas, ſupra quas proferuntur,*

tur, ab indeterminatione extrahendo, actuant.

3 *Ex quo deindè composito, significatio resultat, ad effectum Sacramenti denotandum, requisita; non enim sufficit sola materia, cuius scilicet significatio, nullatenus est determinata, seu expressa, sed tantum aptitudinalis, & in potentia, vt determinatè significet. Neque sola forma, quæ nullius est significationis, sine materia, vt de se constat; Ipsum verò compositum physicum, licet ex se nequeat esse signum infallibile, tamen est proportionatum, vt indicauit,* Augustin. Epist. 23. *ibi:* Si Sacramenta quãdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. *Diuinæ suauis prouidentiæ maximus index, cum potuisset cætera entia, ad significandũ sacramentalem effectum, assumere, ea nihilominus elegit, cum quibus similitudinem, & proportionem, esset adinuenire.*

Estq; hæc significatio proculdubio naturalis, quatenus ipsum compositum physicum, suapte natura accommodatur ad sacramentalem effectum significandum, expressè, ac determinatè, quacumque diuina institutione circumscripta.

Minimè verò infallibilis, vt dicebamus; estò enim compositum ipsum physicum, ex se, determinatè, & expressè significet effectum sacramentalem, sub disiunctione tamen id præstat; aut verè, aut falsè, neutrum autem determinatè; quod ex Christi institutione accedit, quatenus ipse instituit, ordinauitque compositum illud ex materia, & forma, collationem veram, ac infallibilem sacramentalis effectus significare.

4 *Et hoc est alterum quod præmittebamus in Sacramento, nimirum ipsam Diuinam institutionem, vnde recipit Sacramentum significationem sacramentalem omninò certam, ac*

Digitized by Google

infallibilem; cui tãquam supernaturali, subijciatur naturalis illa, quam suapte natura physicum gerebat compositum; Indeque resultet aliud totum metaphysicum, & morale: quod est totum integrum Sacramentum perfectum, atque completum: quatenus aggregatum ex materia, & forma subijcitur, velut materia, significationi sacramentali infallibili procedenti à Christo, veluti metaphysicæ formæ perficienti.

5 Fit hinc vt Sacramentum, absolutè loquendo, nequeat dici quid naturale à Christo, Deo, & Homine, non institutum; licet enim totum aggregatum ex materia, & forma, re vera sit naturale compositum, tum quò ad significationem illam dubiam, licet explicitam, tum quò ad exequutionem, cum fiat, & exerceatur, seù perficiatur viribus naturæ, quæ sufficienter ponunt ex se formam supra materiam; Significatio tamen alia infallibilis, tota est à Christo. Non secus, eo quia rationalis anima creatur à Deo, nequit dici, quod viribus solius agentis materalis, & corporei, homo fiat; estò secundum partem corpoream, solius viribus eiusdem agentis, ex materiæ potentia educatur.

6 Fit amplius, vt in Sacramento, tùm forma, tùm materia, determinatæ sint exhibendæ, illæ prorsus, quas Christus instituit, secus nullum absolutè fieret Sacramentum. Erit autem non antecedens, sed consequens necessitas, scilicet ex Christi Domini institutione, ad hoc, vt infallibilem effectum, Sacramentum valeat importare. Cæterùm potuerat pro materia, & forma vniuscuiusque Sacramenti, Christus quamlibet aliam rem determinare, illi infallibilitatem significationis attribuens, simul atque ab hominibus fuisset assumpta: nil enim prohibetur Deus, ad supernaturalem effectum, qua-

libet vti creatura, seu instrumento, vt infra.

Neque Potestas aliqua facta est Ecclesiæ immutandi; quæ Christus tanquam essentialia Sacramentorum instituit, vt Tridentinum *docuit* seſſ. 21. cap. 2. *ibi:* Poteſtatem Eccleſiæ in celebratione Sacramentorum eſſe, ſalua illorum ſubſtantia, ſtatuendi illa, quę conueniunt ſuſcipientium vtilitati, & Sacramentorum venerationi.

Quod reliquum superest supra positæ definitionis; ad vim pertinens sanctitatis, & Iustitiæ inducendæ, latius in sequentibus enodabitur.



CAPVT IV.

SACRAMENTA NOVAE LEGIS, EFFICIVNT GRATIAM QVAM SIGNIFICANT.

ELENCHVS.

1 *Acramenta nostra neutiquā causas Gratiæ, sed signa dumtaxat mysterium repræsentantia fidei, aut supernaturale eorum significatum, instar picturæ: verbaque sacramentalia minimè consecratoria, sed solum concionatoria, inscitè, & impiè deblaterant Nouatores.*

2 *Baptismatis, & Pœnitentiæ Sacramentis, luculentissimè conuincuntur.*

3 *Gratiam à Sacramentis verissimè, propriissimequè causari, testantur scripturæ.*

4 *Quamquam haud à causis veluti principalibus.*

5 *Ut explicandus Paulus ad Hebr. 10. & ad Rom. 3. in quibus videtur oppositus.*

6 *Quomodo Petrus in sua Epist. cap. 3.*

7 *Id ipsum docuere Patres, explicaturque Augustinus aliquibus in locis subobscurus.*

8 *Concilia item, maximèquè Tridentinum, firmissimè statuere.*



Na inter Catholicos difficultas, eaq́; celebris est, de præsenti efficientia Sacramenti, quæ nimirum illa sit, an Physica, an Moralis. cæterùm decantant omnes intemeratum ortodoxæ fidei dogma: nempe Sacramentum quodlibet illam efficere Gratiam, quam significat. Nos agitatam inter Catholicos difficultatem, in posteriora capita transferentes, in præsenti ex allata definitione nacti occasionem, Hæreticorum deliramenta, medicina salubri, ex scripturarum, Patrum, & Conciliorum, sanabimus testimonio.

1 *Nouatores Sacramentis maximè detrahentes, ea non plus concurrere ad Gratiam, quam vt signa nobis repræsentantia fidei mysterium, aut significatum eorum supernaturale, quod hoc ipso credentes, iustificemur; voluere.*

Iuxta quem falsissimum intellectum, Sacramenta nequirent causare Gratiam, nisi quatenus excitarent ad fidem, per quam homo deindè iustificetur; aut ad Gratiam, vel iustificationem assequendam dirigatur. essent proindè nostra Sacramenta, instar picturæ, & paria cum aliquibus antiquorum, testimonia tantummodò erga nos, Diuinæ beneuolentiæ.

Nec essent vera instrumenta Gratiæ, nostræq́; iustificationis, sed meræ causæ per accidens, ex quo proponant fidei obiectum, per quod deindè iustificemur, ex opere operantis, non autem operati.

Verbaq́; Sacramentorum essent dumtaxat concionatoria, non autem consecratoria, seu non verè efficacia ad influendũ

in Gratiam, & ad causandam illam, per quam homines iustificentur, & Deo formaliter consecrentur.

2 *Hæc tamen impia eorum commenta, facilè expunguntur; Baptismatis enim Sacramentum præsupponit in adulto fidem actualem, in ratione dispositionis.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Marci cap. 16. Si credis ex toto corde licet. Actor. cap. 8. *Et insuper præsupponit attritionem, quæ est ex fide, per quam lethalem detestetur culpam, si eiusmodi reus extiterit; tanta enim esse debet peccatoris ad Deum conuersio, quanta fuit auersio, vt inueniatur rectè dispositus ad remissionem percipiendam: Qui ergo deblaterant, in hoc Sacramento, fidei tantum excitationem ponentes?*

Pœnitentiæ itidem Sacramentũ præsupponit fidem actualem, se tenentem ex parte materiæ ipsius; non enim peccatorum confessio, legitima est, nisi voluntaria, & ex attritione procedens; neq; ex hoc igitur, Sacramentum institutum est in excitamentum fidei, ad iustificationem directæ, in rõne operis operantis, quod sit distinctum ab opere operato, s. Sacramẽto.

Nullum deindè ex reliquis, Sacramentum ipsam antecedit fidem, quorũ non fuit institutio ad producendam iustificationem; sed illius augumentũ, quam nisi vnà cum fide repererint, ab ea inseparabili, nil sanè cõferent, quantum ex propria institutione, & suscipientis intentione; vt consequenter nec ista sint ad fidem excitandam, sed ad vsum alium instituta.

3 *Nempè ad conferendam diuinam Gratiam, vel primã, vel secundam, quam ex Sacramentis propriissimè, & verissimè conferri, tam apertè scripturæ fatentur. Ex Baptismate quidem,* Ioan. cap. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. Ad Titum. 3. Saluos nos fecit per la-

uacrum regenerationis. *Ex confirmatione*, Actorum, 8. cum vidisset Simon, quia per impositionem manuū Apostolorum daretur Spiritus Sanctus. *Ex Ordine*, 2. ad Tim. 1. Admoneo te, vt resuscites Gratiam, quę est in te, per impositionem manuum mearum. *Particula autem, ex, &, per, veram causalitatem important.*

Insuper ex Pænitentia, Ioan. 20. quorum remiseritis peccata. *Ut autem Sacerdos, in sermonis proprietate, dici queat peccata remittere, quis non videt, esse opus, vt eius absolutio verum sit huiusce remissionis instrumentum? Ex Eucharistia* Io. 6. Caro mea verè est cibus. *quis autem ambigit cibum esse veram causam vitæ? vnde & subditur*: qui manducat me, viuet propter me. *Ex extrema demum vnctione Iacobi* 5. Oratio fidei saluabit infirmū: *per orationem autem designatur huius Sacramenti forma, depræcatorijs composita verbis.*

4 *Tametsi nequeant Sacramēta dici causæ principales habitualis Gratiæ remittentis peccata, oīs quandoquidē iniuria peccati fit Deo, vt inde ad ipsum pertineat remissio, prohibetur autem inferior, iure proprio, in res Superioris. hinc in scripturis oracula*, Ego sum qui peccata deleo, Isai. 43. quis potest remittere peccata nisi solus Deus? Lucæ c. 7.

- *Immò neq; tanquam causæ principales, causabunt eam, in innocēte à peccato; cum enim hoc, quod per Gratiam aufertur, sit habituale, idest quædam sordes inficiens animam, ex actu præcedēti peccaminoso impressa, consistens in Gratiæ carentia, seu priuatione, quæ non est quid physicum, proindè nec potens physicè obluctando, Gratiæ introducendæ officere: de consequio non minor prærequiritur virtus ad ipsā Gratiā introducendā,*

quocumq; circumſcripto peccato, quàm crimine quouis exiſtente, per ipſam expellendo, & remittendo. En Scripturæ itaq; ancipiti gladio, confoßos hæreticos.

5 *Quibus minimè eſt propugnaculo* Paulus, ad Hæb. 10. *ibi:* iuſtus ex fide viuit. *Enim quia non plus intulit, quam iuſtificationis fidem, eſſe radicem; vt* Trident. ſeſſ. 6. de iuſtificat. c. 8. *ibi:* Cum Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſię Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſsit, vt .ſ. per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanę ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis. *Quod locum habere intelligas etiam in Sacramentis; tum quatenus nulla operatio ſupernaturalis: ſi quæ in aliquibus ex ipſis interuenit: ſine fide conſiſtit; tum etiam generaliter; quia ſuſcipiens Sacramentum, vitio infidelitatis laborans, iuſtificationem in illo non recipit.*

Nec etiam ad Rom. 3. Arbitramur autem iuſtificari hominem per fidem, quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. *Nam ſi ea verba intelligantur de iuſtificatione extra Sacramentum, non ſignificant fidem valere pluſquam radicaliter, vt ſupra. Sin verò de iuſtificatione in Sacramento, cum verificentur de ſolis Sacramentis, baptiſmatis, & pænitentiæ, inſtitutis ad iuſtificationem, important dumtaxat, fidem prærequiri in baptiſmate, vt diſpoſitionem ſuſcipientis adulti, & in pænitentia, vt partem materiæ, vltra quam tamen, ad iuſtificationem requiritur inſuper cauſalitas ipſius Sacramenti, quæ eſt Gratiæ productio, & producta*

Gratia, quæ est iustificationis forma.

6 *Amplius neq; Apostolicæ Sedis stabilis petra, eos communit, in sua* Epist. c. 3. *ibi:* Quod & nos nunc similis formę saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientię bonæ interrogatio in Deum. *Vt hinc non sit fidei tribuenda iustificatio, tantum obiectiuè; aut radicaliter, seù tantum dispositiuè, sed vt soli, atq; adeò integræ, ac totali causæ. Etenim inibi interrogatio, methonimicè sumitur, ea scilicet, quæ est effectus, pro interiori ablutione, quæ causat, significans baptisma non iustificare per ablutionem externam, sed per internam in infusione Gratiæ consistentem; habet enim sic ablutus, bonæ suæ conscientiæ testimonium.*

7 *Patres autem prædicauère constantissimè, Sacramenta inenarrabilis esse virtutis, ad sanctificandum, nec sanctificare, nisi ex Sancti Spiritus præsentia descendentis, & Sacramentum consecrantis, quæ passim nobis obuiam fiunt in suis operibus. Quibus loquutionibus nullus est locus, dum Sacramenta concurrerent, fidei tantum proponendo obiectum, ad modum prædicationis verbi diuini. Immò minus prodessent ad iustificationem, quam ipsa prædicationis verba, quæ fusiùs fidem eãdem proponunt, suadentq; efficaciùs, quam pauca, nudaq; verba sacramentalia.*

Neq; Augustino *alia fuit sententia*, tractatu 80. in Ioan. *ibi:* Vnde est tanta virtus in Aqua, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? nam & in ipso verbo est aliud sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, sic Actorum 13. fide emun-

dans corda eorum. *Vbi, vt exponunt interpretes, loquitur Augustinus, tam de verbis prædicationis, quam consecrationis, data occasione, ex verbis prolatis in concione* Ioan. 15. Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis: *& quia subiungit:* hoc verbum fidei quod prædicamus. *Neq; inquam, aliud sensit Augustinus: qui, aut hoc loco voluit verbum baptismatis, vim emundandi habere, per fidem Ecclesiæ, radicaliter, quia videlicet deficiente fide in Ecclesia, iustificandi quoque baptizatum, deesset intentio, vnde minister, cuius esse debet intentio peragendi, quod facere Ecclesia intendit, defectu huius legitimæ intentionis in ipsa Ecclesia, neutiquam conficeret Sacramentum, nec elueret baptizatum. Ex quo* Augustinus *idem concludit:* Verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, & offerentem : *nempe ex intentione :* etiam mundet infantes.

Aut voluit Sacramentalibus verbis vim iustificandi haud inesse, ex sono materiali, sed ex significatione spiritali, qua vim huiusmodi Deus imprimit Sacramento. Quod est, ab obiectiua fide, moraliter iustificationem procedere: non enim, quia dicitur, idest ex materiali sono, transeunter expresso, sed ex spiritali significatione, quæ intellectu percipiente, creditur, ac permanet obiectiuè, habet Sacramentum, tãquam à ratione formali, quod iustificet, & hoc pacto, Baptisma, fide, nempe significatione, quæ est in ipso, cor suscipientis emundat.

Et non tam verba consecrationis, quam concionis dici possunt, quamuis dispariter, emundare, his mundantibus, fide media actuali, quam auditoribus, fidei obiectum proponendo, persuadent, quatenus ex ea conuertuntur ad Deum, illis

vero medio ipso fidei obiecto, quod est sacramentalis significatio, quatenus ex hoc, Deus vim Sacramento imprimit iustificantem, vel quatenus ipsamet significatio, est ratio moralis ad iustificandum in Sacramento.

Nec aliud voluit idem Augustinus lib. Quæstionum noui testam. quęst. 56. *modo is liber eius fuerit: ibi:* nec poterit donum cęleste consequi, qui se per aquam, non per fidem communiri credit; & serm. 30. de verbis Domini, *ibi:* Baptismus, qui semel adhibetur, per fidem mundat.

8 *Tandem post Arausicanum, Mileuitanum, Senonense, & Florentinum, victoriam cecinit* Tridentinum Concilium sess 7. de Sacramentis, can. 5. *ibi:* Si quis dixerit, hęc Sacramenta propter solam fidem nutriendam, instituta fuisse: anathema sit. Et can. 6. *ibi:* Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis, non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem Gratię, vel Iustitię. anathema sit. Et can. 8. *ibi:* Si quis dixerit, per ipsa nouę legis Sacramenta, ex opere operato, non conferri gratiam, &c. anathema sit. Can. autem 2. *præcedente cæteros, dixerat* Tridētinū, *ibi:* Si quis dixerit, ea ipsa nouæ legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ, non differre, nisi quia cęremonię sunt alię, atq; alij ritus externi. anathema sit.

CAPVT V.

SACRAMENTVM POENITENTIAE, EX INSTITVTIONE, PER INTERIOREM GRATIAE INFVSIONEM, DELET PECCATA, NVLLA ALIA EXTERIORI DEI REQVISITA CONDONATIONE.

ELENCHVS.

1 *INstitutum Pœnitentiæ Sacramentum, ad peccata delenda, innuunt ea verba: Accipite Spiritum Sāctum, quorum remiseritis, &c. Quæ perperam aliò extorquent Hæretici.*

2 *Antiqui Catholicorum aliqui, de hoc Sacramento docentes, non minimum suspiciosi.*

3 *Quo item Sacramento, pæna æterna, tum sensus, tum damni tollitur, & aliqualis pæna temporalis remittitur.*

4 *Quonam pacto retinere peccata, de hoc Sacramento verificetur.*

5 *Item institutum ipsum, ad producendam gratiam, orthodoxè iam definitum.*

6 *Neq; mortale, neq; veniale peccatum, extrinseca sola Dei condonatione remissibile, sed aliquo reali de nouo posito, cuiusmodi in remissione mortalis, est gratia.*

7 *Quod verum adhuc, si creatus homo in puræ fuisset naturæ statu.*

8 *Vltra Gratiam, pro expellendo peccato, neutiquam requisita Dei altera extrinseca condonatio.*



Peccatis emundantem Sacramenta omnia; efficere Gratiam, hucusque præmisimus. Non ita tamen, vt ex institutione propria singulorum, id contenderimus esse, cum peculiare duobus tantum, Baptismati scilicet, & Pænitentiæ, vltrò confiteamur, idcircò non erit abs re, de ipsius Pænitentiæ Sacramenti vi, in præsentiarum non nihil disserere, Potestatem quandoquidem Ordinis, quæ Prælatis inest, de qua nostra hæc instituitur disputatio, ampliat maximopere.

1 *Contra quam; plenitudini Gratiarum, quas Christus Dominus, in nos abundè effudit, inuidi oblatrantes infensissimi hostes perpetui hæretici, verba in primis iniquè deprauantes Sacrarum Scripturarum, & Conciliorum, quibus: inter alia Christi Domini in nos collata beneficia: illud potissimum incessanter superextollitur, quod perenniter duraturam in Ecclesia, instituerit Potestatem, ad remittenda peccata, remis, velisque contendunt, ad solam Potestatem in*

Baptiſmo exercendam coanguſtare.

Hos aduerſus, quia propoſiti noſtri non eſt dedita opera decertare, ſatis erit, pro hac impudentiſſima hæreſi refellenda, ſi verba penſentur, quibus ſignificatur adeſſe in Eccleſia viſibilia remedia, ſufficientia ad delenda peccata, eſſe generalia ad quæcumque peccata; nec enim minus neceſſaria erat Poteſtas remittendi Baptizatorum peccata, quæ vtinam enormiter non crebeſcerent, quàm paruulorum originale, & actualia adultorum, in præuia infidelitate commiſſa.

Quod prorſus Tridentina Synodus *Sacroſancta ſanciuit contra Nouatianorum dogma, efficaciter, æquè, ac luculenter, vt moris eſt* ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentię dicens: ſi ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam, in Baptiſmo ſuſceptam, conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum, ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum; quoniam autem Deus diues in miſericordia cognouit figmentum noſtrum, peccatoribus vitæ remedium contulit, qui ſe poſt Baptiſmum in peccati ſeruitutem, & Dæmonis Poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quod Dñs tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus inſufflauit in Diſcipulos ſuos dicens: Accipite Spũm Sanctũ, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Sed .n. vt iniquè, ſic & doloſè, alij id ipſum detorquent ad Poteſtatem factã prædicandi, & eo ipſo per prædicationem, excitandi fidem; beneficio cuius relaxentur ſubindè peccata. Nã præterquam quod Diſcipuli iam antè audiſſent. Prȩdicate Euangelium omni Creaturę. Matth. & Marc. vlt. *nec ad*

prædicationis exercitiũ opus eßet speciali facultate, cũ quilibet sufficienter instructus, de se prædicare sit potis. Quomodo verbũ ligandi, q habetur, Matth. 16. *ibi:* Tibi dabo claues Regni Cęlorũ; quodcũq; ligaueris, &c. *Et verbũ, retinẽdi,* Io. 20. Quorũ retinueritis, &c. *extorqueri queant ad prædicationẽ?*

2 *Hinc iam suspectos habeto Tridentino antiquiores DD. alioqui grauissimos, q disseminarint, per pænitentiæ Sacramentũ, non remitti, sed solũmodò declarari culpam remissã, per antecedentem contritionem, quam idcircò ad hoc Sacramentũ; necessariò requirebant, nolentes attritionẽ sufficere; verè autem pænam dumtaxat temporalem, & propriè condonari.*

Multòq magis alios, docentes nec ipsam quidem pænã tẽporalem remitti, sed solam æternã, nõ quidẽ sensus, cũ hanc tolli vnà cũ præcedenti remissione culpæ, per contritionẽ asseuerarẽt, sed damni. Quo pacto consequenter aiebant, Cælũ nullatenus aperiri è vita decedentibus, hoc prætermisso Sacramẽto, quãuis post relaxatam culpã, eo quod deeßet clauis, qualem hanc traditã Potestatẽ appellarunt. Addentes postremò ad illudẽdas potius, quã ad enodandas scripturas, tribuẽtes Sacramẽto huic remissionem peccati, nomine peccati, venire, non culpã, sed solã illius pænam, iuxta phrasim ipsius Scripturæ alibi receptam.

Verũtamen post Tridentinum, citra magnam temeritatẽ, quin etiam sine manifesta hæresi, non denegatur, Sacerdotẽ, in sua Ordinatione Potestatem accipere, ad remittenda peccata, quò ad culpam, & maculam, nedũ, quò ad pænam. Nam inprimis idem Tridentinum *pluribus in locis, Baptismi, & Pænitentiæ æquifacit Sacramenta, in remittendo peccato; in confeßo autem est apud omnes, vel hæreticos, Baptisma fuisse institutum ad tollendam, tum pænam, tum culpam peccatorum.*

Deinde ſeſſ. 14. de Sacramento Pænitentię c. 2. *habet.* Hoc Sacramentum Pænitentię, lapſis poſt Baptiſmũ, ad ſalutem eſt neceſſarium. *Quæ ſanè nequeunt intelligi de remiſſione peccati venialis, ſicut nec pænæ temporalis ipſi debitæ: Cum enim non deſint plurima alia remedia, ad iſtorum expiationem, vt ſubdit idem* Tridentinum c. 5. *ibi:* Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, multis alijs remedijs, expiari poſſunt, mortalia verò nequaquam, ſed per ſolam confeſſionem; *Iam immeritò, & inconſequenter, Sacramentum iſtud dicetur neceßarium ad ſalutem. Immò omni prorſus effectu circa ipſa peccata careret, ſicque incideremus in illud, quod ab eodem* Tridentino *reprobatum fuit, ſequenti* c. 6. *ſcilicet* abſolutionem eſſe nudum miniſterium, declarandi remiſſa eſſe peccata: *contra id, quod communiter docetur, expellere inimicitias cum Deo contractas, ob lethalem culpam, vt idemmet* Tridentinum *expreſsè fatetur* dicto c. *ibi:* cum vniuerſa mortalia peccata, homines, iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confeſſione, à Deo quærere. *quam expulſionem, efficere, producendo in anima Gratiam: quæ habet delere culpam, non pænam, vt infra demonſtrabitur: idem* Tridentinum *antea tradiderat* ſeſſ. 6. de reform. c. 14. *ibi:* qui verò ab accepta iuſtificationis gratia, per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cum, excitante Deo, per Sacramentum Pœnitentiæ, meritò Chriſti ammiſſam Gratiam recuperare procurauerint.

Quod euidentiùs patebit adhuc ex ipſa nomenclatura peccati, quod ſimpliciter, & abſolutè prolatum, nemo inficia-

tur, quin culpam significet, tanquam potiorem ipsius intelligentiam; sumus autem in Sacramentis, quæ iuxta communem sententiam, requirunt vocabulorum proprietatem, germanam, & potiorem significationem. Item ex particula solueris, *per quam ipsa Potestas attributa fuit; quæ apposita indefinitè, æquiualet vniuersali, vt subindè cum culpa comprehendat, & pœnam.*

Sed vlterius, quì fieri potest, vt reseretur Cælum non dimissa culpa; cum certum sit, nihil coinquinatum: vt dicitur in Scriptura: illuc ingressurum? Cælum autem ab hac Potestate recludi, frequenter literæ sacræ decantant. Tibi dabo claues regni Cœlorum. Quæcumque solueris super terris, erit solutum & in Cælis.

3 *Non imus tamen inficias, quin similiter, hoc Sacramento, tollatur etiam pœna æterna, tum sensus, tum damni, nam hæc dependet à remissione culpæ, eod.* Tridentino *teste*, dicto cap. 14. sess. 6. de iustificatione, *ibi:* Pæna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, vna cum culpa remittitur.

Immò & aliqualis pœna temporalis remittitur, quatenus Sacramentum commutando pœnam æternam, in temporalem, tollit, sua efficacitate, aliquid pœnæ temporalis, alioqui debitæ, nimirum eam, ex opere operato, commutando in minorem, quam sine tali efficacia, cæteris paribus commutaretur. Immò cum proportione insuper ad maiorem, minoremuè pœnitentis dispositionem, illam amplius minuendo, ex opere operantis, adeout eandem pœnitus quandoquè remittat. Hæc quò ad remissionem respicientem non minus culpam, quam pœnam.

4 *Quia autem facultas tribuens remittere, dat ſimul & retinere; dictum eſt enim:* Quæcũq; remiſeritis, remittuntur. Quçcumq; retinueritis, retenta ſunt; *id ipſum quod de vno diximus, de altero quoq; dicendum ſ. comparatione culpæ, dici hoc Sacramentum retinere, licet non eodem modo, quo & remittere; non enim retinet, niſi indirectè, & ex conſequenti, quatenus, qui per illud iudicatur indignus, eo ipſo, quod non abſoluitur, culpa proculdubio remanet irretitus; ſecus verò remittere dicitur directè, eo quod per ſe, & primariò, in animam pœnitentis efficiat Gratiam, per quam formaliter peccata tolluntur, vt infra, qui eſt effectus verus, & directus iſtius Sacramenti.*

Comparatione item pœnæ dicitur hoc idem Sacramentum, retinere, indirectè tantum, eo ipſo, quod commutando æternam, in temporalem, pænitens temporali illa vincitur. Ni lubeat etiam interpretari, quatenus obligat ad ſatisfactionem implendam, quæ à Sacerdote abſoluente imponitur. Remittere autem, directè, quatenus ſatisfactio illa, quippe ſacramentalis, plus tollit pœnæ, quam ſi eſſet voluntariè eadem aßumpta extra Sacramentum.

5 *Porrò: quod ſpectat ad ſecundum punctum: hoc idem Pœnitentiæ Sacramentum, quo peccata ex inſtitutione tolluntur; inſtitutum adhuc eſſe, ad producendam habitualem Gratiam, per quam peccata remittuntur,* Tridentinum *identidem docuit* ſeſſ. 14. de Sacr. Pœnit. c. 3. *ibi:* Sanè res, & effectus huius Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo; *Nomine enim reconciliationis, nulli dubium eſſe debet, quin intelligat iuſtificationem, ſeù iuſtificantis gratiæ infuſio-*

nem, quia continuando sermonem de re, & effectu huiusce Sacramenti, subdit c. 4. *ibi:* Et quamuis: *s. attritio*: sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tñ eum ad Dei gratiam, in Sacramento Pęnitentiæ impetrandã disponit. *Stant itaq; pro eodẽ Recõciliatio, Iustificatio, et Dei gratia, quæ infunditur.*

Hinc sub Potestate remittendi peccata, quam accipit in sui Ordinatione Sacerdos, eo ipso subintelligenda necessariò vis conferendi Gratiam, qua sine, neutiquam peccata tolluntur; vt etiam relatum est supra, ex eod. Trident. sess. 6. de reform. c. 14. *ibi:* Qui per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum per Sacramentum Pœnitentiæ Gratiam ammissam recuperare procurauerint.

6 *Neutiquã inquã, .n. quia, cum facilẽ in peccata labamur,* vel .n. iustus in die cadit septies, Prou. 24. *vt meritò cum* Isaia, *heù nimium deplorare cogamur,* facti sumus immundi oẽs, & quasi pannus mẽstruatę, vniuersæ iustitię nostrę.

Cumq; adeò difficulter resurgamus collapsi, annuente ipso patientissimo Iob. Scio quod nõ iustificabitur homo cõpositus Deo c. 7. & Numquid iustificari põt homo cõparatus Deo, & apparere mundus, natus de muliere? c. 25.

Quandocumq; resurgimus, & à peccato liberamur, verè ex immundis, & iniustis, mundi, & iusti efficimur, quin iustificati simul, & beati, dicente Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, *& subindè etiam sancti.* Nos elegit ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati, in conspectu eius ad Eph. 1. *Quæ iustitia, munditia, beatitudo, & sanctitas, cum adeò tegat peccata, vt nusquam appareant in conspectu*

Dei: vt sonant Scripturæ: id certè euenire non potest, nisi per intrinsecam mutationem, ex reali infusione gratiæ, in animam pœnitentis.

Etenim fidelis Deus cum sit, qui nec fallere, nec falli potest, diuinis ipsius obtutibus, nihil occultari adeò consequitur, vt minimè fieri queat, quod peccator apud eum iustus euadat, quin interna renouatio intercedat, quæ propriè deleat quodcumque crimina eleant, tanquam horum formaliter expultrix, ipsis ad inuicem incompatibilis.

Quod ita verum est de mortali, vt nec veniale quoque tolli queat, per solam Dei condonationem liberam, sine effectu identidem cum eodem incompossibili, ex dictis, & ex infra dicendis; Quamuis habituali Gratia nihil opus, cum non sit eius priuatio, vt suppono, sed sufficiant detestationes formales, vel virtuales peccati huiusce.

Et quidem irremissibilitas mortalium criminum, absque reali mutatione in peccatore, per productionem nouæ alicuius rei ad extra, quam meritò ponimus esse Gratiam, qua per peccatum homo priuatur, cohæret optimè ex parte Dei remittentis. Cum namque Diuinis actibus liberis, cuiusmodi est peccatorum remissio, libertas non insit ab intrinseca entitate, quæ non libera, sed necessaria est, ac immutabilis: vt omnes consitentur: vtique consequitur, esse, ac dici liberos, per extrinsecam productionem effectuum, qui ita reciprocentur, vt nec actus sine effectibus, nec effectus sine actibus esse, aut concipi possint; alioqui non rectè se ponerent, ac remouerent: vt per se notum est.

Actus autem, quo Deus dicitur peccata remittere, liber est: vt supponimus vulgatum apud omnes: quarè eo ipso effectus

aſsignandus extrinſecus, cum quo ſic reciprocetur, vt impoſsibile ſit prorſus, quocumque alio circumſcripto, ſimul adinuicem non ſe poni.

Hunc autem effectum, non eſſe niſi Gratiam habitualem, tãquam vnicam iuſtitiam, & ſolam formalem cauſam iuſtificandi à peccato, Tridentinũ *in puncto teſtatũ reliquit, dicta* ſeſſ. 6. de Iuſtif. c. 7. *ibi:* Demum vnica, & formalis cauſa Iuſtificationis eſt Iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, iuſtitiã in nobis accipientes, &c.

Id quod magis etiam comprobatur, ex eo, quod cohereat ſimul, ex parte mortalis peccati remiſsi. Nam loquentes modò de ſtatu Gratiæ, in quo fuit homo creatus: peccatum mortale, aut conſiſtit in priuatione, aut in denominatione; ſi ponamus conſiſtere in priuatione ipſiuſmet Gratiæ, ſeu habitualis ſanctitatis, ex eo quod, ideò quis dicatur mortaliter peccare, quia ita recedat à voluntate Dei, per propriam voluntatem, aut alienam: vt comprehendamus etiam Originale: vt meritò priuetur Gratia, quam dono acceperit, aut quam accepiſſet, & cum qua creatus fuiſſet, niſi Protoparens peccaſſet. Et ita certiſsimum eſt, non poſſe remitti, & deleri, abſque reſtitutione ablati per priuationem, vt etiam mox demonſtrabitur.

Vel ſtatuimus in denominatione morali, ipſam priuationem conſequenti, per quam homo dicitur priuatus Gratia, & ita citra controuerſiam eſt, denominationem extrinſecam, ſicut & priuationem, neutiquam poſſe tolli, niſi aut amouendo ſubiectũ, aut ſubtrahendo fundamentum, aut introducendo oppoſitam formam, omninò incompoſibilem cum eiſdem, vt conſpicere eſt, de dextro, & ſiniſtro, & huiuſmodi. Cuius ratio in promptu eſt; cum enim huiuſmodi à Deo minimè conſeruentur, per poſi-

tiuum influxum, non enim reale quid ſunt, ſit inde, vt neque corrumpi valeant, manente ſubiecto, & fundamento, niſi per introductionem contrariæ formæ.

7 *Quod ſi loquamur de ſtatu puræ naturæ, ſi in eo creatus fuiſſet homo, id ipſum ēt dicendum eſt, quo ad realem aliquam immutationem, eſto .n. peccatum mortale, potuiſſet tunc deleri, abſq; gratiæ infuſione, tunc enim peccatum non conſtitiſſet in priuatione gratiæ, nec datæ, nec dandæ, vt ſuppono; non .n. homines ad ſupernaturalem beatitudinem ordinati fuiſſent, in cuius conſequutionem gratia, veluti ſemen, confertur. Nihilominus: ex dictis, quæ ad hoc nil minus conducunt: realis aliqua mutatio fuiſſet in animo peccatoris ponenda, proportionata nāli beatitudini cōſequendæ, ad quam fuiſſet creatus, quæ, etſi naturalis, vtpotè directa ad naturalem beatitatem, nihilominus, ex viribus naturæ, non poſſet ortum duxiſſe, ſed à Deo, velut offenſo, deriuanda foret, cum ſine remiſsione iniuriæ, nūquam intelligatur peccatum tolli, nec iniuria remittatur, niſi ab offenſa perſona, modò ipſa Superioris ſit expers, qualis eſt Deus.*

Eſtò etiam, quod poſſit Deus tollere reatum, nempe obligationem ad pœnam, cui per peccatū, quis euadit obnoxius, ſine mutatione in peccatore reatus, nam priuatio non eſt alicuius formæ poſitiuæ, vt eſt peccati macula, ſed fundatur in ſola Dei liberà voluntate, ideoq; per eam ſolam etiam nolentem amplius punire, tolli poteſt, nulla Dei interueniēte actione, ſola remota ipſa pœna, quæ alias irrogata, ſufficiens quidem eſſet mutatio in re, vnde ſumatur illa noua prædicatio Dei amplius nolentis punire.

Ea tamen reatus ablatio per meram Dei voluntatē nolentē punire, haud me hercle ſaluare poteſt iuſtificationem, quam requirimus in reconciliato peccatore; quatenus aliàs puniendus

pæna sensus, & damni, acceptetur ad beatitudinem, ea minimè persoluta. Non saluat quidem, nec sufficit sola, enim quia non est mutatio incompossibilis cum priuatione gratiæ, in qua sistit culpa peccati, cum fieri possit, vt pæna remittatur, culpa adhuc manente, quia de ratione priuationis est, vt non tollatur, nisi per oppositam formam incompossibilem.

8 *Vt hinc controuerti nefas sit, ipsam gratiam non indigere vlteriori Dei cōdonatione, ad expellendum peccatū, cū sub illius infusione, ex natura rei subintelligatur. Eò vel maximè, quod nullus alius effectus, præter ipsam gratiā est assignabilis ipsi cōdonationi respondens; quem tamen assignari oporteret: quandoquidem similes prædicationes, nil Deo superaddētes, nullatenus fieri, vel admitti possunt, absq; aliquo effectu ad extra, ipsis correspōdente. Ad quod* Tridētinū *locis citatis intendens, meritò proclamauit; Iustificationem non esse solam peccatorū remissionem, sed ēt sanctificationem, & renouationē interioris hominis per susceptionem gratiæ. Definiuit quippe, cōtra hæreticos, iustificationē includere essentialiter, præter gratiæ infusionē peccatorum etiam expulsionem, ita ut gratia positiua, sit formalis expulsio priuatiuæ formæ, in qua tota ratio peccati consistit.*

Qui amabò externū insuper confinxerimus fauorem, ad emūdandū hominē à peccatis, si ipsa infusa emundās gratia est interior renouatio, vnde ex iniusto fit iustus? nō .n. impij iustificatio: vt uerbis vtamur Trident. *dicta* seſſ. *6.c.4. aliud eſſe concipitur, quā* trāslatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statū Gratię, & adoptionis filiorum Dei, per secundū Adam Xp̄m Iesum Saluatorē nostrū. *Certū aūt est, terminos à quo, & ad quem, ad inuicem adeò pugnare, ut ex natura sua, alterutrum sese interimant. Ideoquè cum*

per infuſam Gratiam habitualem, homo ex filio iræ, filius fiat Dei, inuoluit profectò, quod ex non ſuperaddita vlteriori voluntate diuina condonante, & non imputante crimina, adhuc filius iræ remaneat, qui eſt terminus à quo, cum tranſitus ſit factus ad filiationem Dei, terminum ad quem, mutationis ſcilicet ſupernaturalis, conſiſtentis in iuſtificatione.

Quo circa: vt vela tandem hic opportunè recolligamus: iuſtitia nos à noſtris mundans exceſsibus, concipienda eſt realis, intrinſecùs animæ inhærens, gratuita qualitas, ita mũdificans, vt alia Dei non ſuperaddita libera condonatione remittentis peccata, ſola omnem eam conferat ſanctitatem, quæ definitur à Dionyſio 12. de Diuinis nominibus. Ab omni labe intemerata puritas; *& per quam ex peccatoribus, verè ſanctificemur, bonitatem adipiſcentes, & honeſtatem morum, in quibus, ſine querela appareamus coram Deo; aut ſi iam iuſtificati, ac amici Dei facti, eiuſque domeſtici reperiamur, per ipſam iuſtitiam, Chriſti gratia acceptam; amplius cooperante fide, boniſque operibus, euntes de virtute in virtutem, creſcamus, magiſque iuſtificemur, per acceſsionem ipſius iuſtitiæ Dei in nobis: ſicut ſcriptum eſt* Apocal. vlt. Iuſtus iuſtificetur adhuc.

CAPVT VI.

QVAE NATVRA, ESSENTIAVE CHARACTERIS SACRAMENTALIS.

ELENCHVS.

1 TVm Ordinis, tum Baptismi, Confirmationisq; Sacramentorum Character exprimitur in scriptura.

2 Quem vnanimis Patrum sententia asserendo, Doctores aliquot denegantes dudũ temeritate notauit.

3 Eosdem demũ Tridẽtina Synodus condẽnauit.

4 Non est autem Character, Relatio vlla, siue realis, siue rationis.

5 Neque pura Ratio pignoris, aut signi.

6 Sed realis qualitas, absoluta supernaturalis, in ratione actiui, vel passiui principij, in Anima.

7 Qui Character Baptismi, quiq; eius effectus.

8 Qui Confirmationis.

9 Qui Ordinis.

10 Quo pacto Characteri Ratio pignoris, & signi conueniat.


Triplicato cuniculo Hæreticorum molimina euertimus iam, Diuinam Gratiam: primarium Sacramentorum effectum: ex Scripturarum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum teſtimonijs comprobantes. Ad ipſum præſidij nunc quoque recurrentes, aſtruimus Characterem, effectum ſecundarium, non quidem omnium, ſed trium dumtaxat Sacramentorum: Baptiſmatis: Confirmationis, & ad rem noſtram: Ordinis. Explicaturi ſubindè hoc eodem capite, quis ille ſit, ex optima Catholicorum ſententia: vt nil deſit, quo ad hunc ſecundarium effectum plenè fecerit comprehendendum, quò Poteſtas Prælatorum nobis propoſita, omnimodè tandem eluceſcat.

1 *Ordinis itaque Characterem ex illo* 2. ad Tim. 1. *colligimus, ibi:* Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. *Vbi textus loquens de Gratia, ad munia Euangelica obeunda, oportet præter Gratiam ſanctificantem, quæ dat rectè agere, aliquid aliud importet, nimirum facultatem, ſeu ſignum eiuſdem facultatis, deſtinatæ ad illa peragenda, qui eſt Character Ordinis; tribuens ſimpliciter agere, de quo ibi loquitur textus, vt intuenti eſt meridie clarius.*

Generalius verò, Characterem colligimus, ex illo 2. ad Corinth. 1. Qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris. *Vbi præter vnctionē præſtitam, per ſanctificantem Gratiam, vt communiter explicatur, aliud adiungitur, quo ad inſtar ſigilli, obſignamur ad obtinendum aliquid, apud nos veluti oppigneratum, ius acquiritur, hoc autem eſt, quod Characterem appellamus, vt infra.*

Digitized by Google

Nec ulla tenus loco illi interpretatio quadrat de Sacramento ipso, quatenus per id, Diuinæ promissiones sigillentur: vt à veritate profugi, hæretici detorquere conantur: pertransit etenim Sacramentum, signo iugiter necessariò permanente.

2 *Astipulantur Patres, quos inter, Augustinus pluriès Characterem ostētans, dominicum ēt eum vocat, per quem amplius docet, aliqua Sacramenta non ammitti, quantūuis gratia sanctificante, virtutibus, ipsa quoque fide pereuntibus; sed etiam in pessimis hominibus indelebilem permanere: hinc ante Conciliorū decreta, per DD. aliquos, sola sunt temeritate notati, Characterē negantes, ueluti Patrum, & Ecclesiæ cōi dictamini cōtrariātes.*

3 *Iam verò de hæresi sunt ijdem damnandi, quos anathematizauit* Trid. sess. 7. de Sacram. c. 9. *ibi:* Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo .s. Cōfirmatione, & Ordine, non imprimi Characterē in anima; hoc est signū quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possūt. anathema sit. ***Quod idem ante definierat*** **Florentinum, in Decreto de Armenis, *superaddens, per alia quatuor Sacramēta, nullū imprimi Characterē. Hæc de ueritate Characteris.***

4 ***Quo ad naturam uerò, à negationibus exordiendo, vt moris est,*** *in rebus difficilioribus cognitu; firmiter asserimus, Characterem non esse: vt inter Catholicos dißeramus: Relationem, etiamsi illam realem dicas, & secundum esse, nam hæc impotēs est imprimi per se, sed consequitur tantùm ad fundamentū, ex quo resultat, vndè nec propriè dicetur imprimi. Nec signū eße relationem vsquam reperies, cum solum sit huius connotatiuum; secus neutiquam in alterius cognitionem induceret, contra definitionem signi; relatio enim secundùm se, non est nota, vti postulat esse quidquid ad aliud dirigitur significandum.*

Multòque minùs, Character erit relatio rationis, & extrinſeca tantum denominatio; tum quia eiuſmodi pariter non imprimuntur, nec aſſumuntur in ſigna, de quorum ratione eſt prius in ſe cognoſci, deindè in cognitionem ſignificati inducere. Entia autem rationis in ſe minimè cognoſcibilia ſunt; Tum quia Extrema vnctio, ob id, quod deputatur ad dimicandũ cum malis Angelis, & Matrimonium ad coniugalem ſtatum rectè ſubſtinendum, dicerentur Characterem imprimere, quod abhorret à communiter recepta veritate. Ex quibus, & ex alijs infra adducendis, conſequenter,

5 *Aſſerendum eſt ſecundo, Characterem non conſiſtere in pignoris ratione, ob quam in ipſo, ius quoddam reperitur, ad obtinenda vlteriora auxilia diuina, Ea ſcilicet v. g. in Baptiſmate, quibus pro temporum, occaſionumque opportunitate, alliciatur fidelis, & roboretur ad rectè ſuſcipienda cætera Sacramenta; & in Confirmatione, ad obtinenda ea auxilia, quibus intrepidè fidem ſuſceptam confiteamur: ac tandem in Ordine, ad obtinenda neceſſaria pro conſeruatione debitæ reuerentiæ, in functionibus Ordinis, eumque ritè, & honeſtè peragendum cum ordinantis prouentu.*

Nec itidem conſiſtere approbamus, in ratione ſigni, diſtincta à ratione pignoris, penès quam, per Characterem deputamur, vel in domeſticos, vel in milites, vel in Duces, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

In his, inquam, duabus rationibus pignoris ſcilicet, & ſigni, quamquam libentiſſimè, vtramq; damus Characteri, ad mentem Apoſtoli 2. ad Corinth. 1. *ibi:* Signauit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris. *nequit tamen eſſentia ipſius Characteris conſiſtere: Sunt enim mera entia rationis, & ad*

Digitized by Google

placitum, resultantia, ex mera institutione, seu impositione extrinseca Dei; fundata in eo precisè, quod quisque Character determinatè fiat per vnum potius Sacramentum, quam per aliud, à quo essentialem habet dependentiam, sicut omnis effectus à sua causa.

Ideòque sunt, nedum impertinentia: tanquam entia rationis: ad constituendā naturam Characteris in positiua qualitate, vt volumus consistentem, sed insufficientia ad eam nobis insinuandam, cum non resultent ex natura rei, sed extrinsecùs, ex mera impositione diuina. Simulq; quod non minus absurdi habet: Character esset frustatoria qualitas, si vt talis ad aliud non deseruiret, quàm vel ad prædicta, vel ad nudum quēdam ornatum, in quam ineptiam Iura vniuersa conclamant.

6 *Firmatis itaque præcedentibus negationibus: vt tandem gradum faciamus ad affirmationes: statuimus, Characterem* ***nihil aliud esse, quam realem qualitatem, absolutam, supernaturalem, consistentem vel in ratione principij actiui, vel passiui, in Anima.*** *Quid ni hoc asseramus, firmiterque teneamus; cum nec aliud quidem esse, aut concipi possit, quod per se imprimatur, animæq; inhæreat? vt inductione cuiq; fiet manifestum.*

Cum insuper nulla qualitas, realiter in anima inhærens, sit vtilis, nisi in ratione, vel actionis, vel passionis, vel formæ, vel principij actiui, vel passiui, vt habet S. Doctor q. de hac re. art. 2. in corpore? *Ex quibus non est, quod laboremus excludere rationes actionis, pasionis, & formæ, quæ à nemine reuocantur in dubium, superest ergo vt consistat* ***in ratione principij actiui, vel pasiui.***

Cum tamen audis esse principium actiuum, vel pasiuum; non intelligas exteriorum actuum; Ita ut Baptismalis Character,

racter, sit principium passiuum externæ susceptionis Sacramentorum. Character Confirmationis, principium actiuum externæ confessionis fidei: Character Ordinis principium, uel actiuũ, ad producendas in rerum natura, functiones Sacramentorum, Eucharistiæ, & Pænitentiæ, vel passiuum pro rectè, honesteq; ministrando in eisdem, secundum easdem extrinsecas functiones. Quorsum enim ad hos actus exteriores, naturales, exercendos, uel suscipiẽdos, ponamus vim supernaturalis qualitatis? Immò qui eam intrudimus, cum rei spirituali, omninò repugnet esse passiuũ principiũ materialis effectus, ut constat ex terminis?

7 *Quare: vt de singulis disseramus, cum non vna sit eorũdem ratio: dicendum omninò, Characterem Baptismi, consistere in quadam dispositione, ac supernaturali aptitudine afficiente animam, ad recipiendam gratiam, quam cætera Sacramenta producunt, inhærente in substantia ipsius animæ, in quam recipitur gratia, ac simul etiam in potentia ipsius animæ, vt innuit* S. Doctor loco cit. art. 4. *si tamen per illam, intelligatur potentia passiua obedientialis, per quam recipit anima ipsam gratiam, vt anima: alioqui remotè potens ex dicta potentia obedientiali: aptior insuper euadat, & proximiùs, ac magis disponatur, tali qualitate, ad eãdem gratiam recipiendam.*

Ex qua superaddita Animæ qualitate disponente, & adiuuante ad gratiæ receptionem, proueniunt ipsi animæ duo pervtiles effectus, nempè quod minori sit opus influxu, à gratiam producente, idcòque cum pari influxu, anima maiorem gratiæ portionem recipiat, quam cæteris paribus, absque illa dispositione reciperet; & quod receptam, firmiùs, tenaciùsq; conseruet. Non secus ac formæ ipsæ substantiales, fixiùs hærent subiecto in summo, quam in remisso gradu disposito.

Digitized by Google

Quia autem est dispositio ad gratiam, postulans permanere dependenter ex influxu animæ, in qua subiectatur: concurrit enim influxus subiectiuus, ne dum ad fieri, sed etiam ad conseruari ipsius formæ, vt tritum est apud Philosophos: ideò ipsa hæc dispositio habet etiam hinc permanentiam, iuxtà quod Character dicitur indelebilis, vt à virtute discriminetur eleuante Sacramenta ad Gratiam producendam, quæ ideò transit de mente S. Doctoris; quia effectus in fieri tantùm habet à sua causa pendere.

Nec sanè huiusmodi dispositio ad aliam formam est ordinabilis, quam ad habitualem Gratiam; hæc siquidem sola inter cæteras communes omnibus Sacramentis (prout hæc assignari debet communis, cum Baptismi Character detur in gratiam suscipiendi cætera Sacramenta, quod dictum sit ad excludendum Characterem aliorum duum, quæ supersunt Sacramentorum) fieri potest in carentibus rationis vsu, quibus cum saltem Confirmatio, ex communi impendi posit, Eo casu Character Baptismalis ociosus pœnitùs redderetur; ad susceptionem illius, nisi dirigatur ad Gratiam, quæ per eãdem Confirmationem confertur.

Cum autem huic dispositioni, nil ex Scripturis, aut Patribus refragetur, satisque eam astruat prædicta; sanè non contemnenda, vtilitas, eaq; possibilis sit: vt præmisimus: non est cur libenter non admittatur, ne cogamur Diuina opera arguere frustatoria. Tum potissimùm, quod si aliam excogitemus, non est cur potius in ipsa primum excogitata non acquiescamus, & vt potiorem à nobis satis comprobatam, non amplectamur ex animo, cui plurimum roboris etiam adaugetur, ex remotione cæterarum per sufficientem singularum explosionem.

Baptismali namque Characteri incongruit esse passiuum principium functionis aliorum Sacramentorum, vtpotè naturalis, & materialia dumtaxat afficientis; cum ad res naturales, naturalia principia sufficiant, nec consueuerint supernaturalia, esse principia naturalium, aut spiritualia conuerti ad materialia recipienda, vt satis de se constat. Nec itidem poterit Character, esse principium passiuum virtutis inhærentis Sacramentis ad producendam Gratiā, eadem ratione, cum hæc virtus sit materialis, vtpotè sensibili, ac materiali inhærens Sacramento; Sed neq; significationis sacramentalis eorumdem, cum hæc in solo ente rationis consistat. Quid ni ergo, sine vlla hæsitatione, dispositio dicatur ad Gratiam, quando hæc sola superest, ex sufficienti remotione aliarum, quæ possunt esse communes, cum omnibus Sacramentis, vt prætereamus Characterem, alterum effectum quidem, peculiarem tamen aliquorum, non communem ad omnia Sacramenta. Hæc de Charactere Baptismali.

8 *Character deinceps Confirmationis est & ipse dispositio passiua, non tamen ad Gratiam, sed ad recipiendum actum fortitudinis, ex parte voluntatis, et stabilitatē ex parte intellectus, veritatis fidei, in ordine ad ipsius sensibilem, externamq; confessionem, cum ab impugnatoribus pericula immineant desertionis, Proindè, quamuis Character recipiatur immediatè in eisdem intellectu, & voluntate, quo vtrumque possit disponere, vnus attamen dicitur vnitate finis, nimirum ex vna confessione intrepida fidei, ad quam ambæ illæ partialiter ordinantur potentiæ.*

Quas potentias disponendo, hoc obtinet, quod auxilia supernaturalia, per Deum præstita ad illos actus supernaturales eliciendos,

ciendos, intensiora, & expeditiora producuntur, quò recipiuntur in subiecto, intensiori suo concursu, aptius, & promptius concurrente ad receptionem.

Nullatenus autem hic Character Confirmationis, actiuum principium erit illarum vocum, quibus exprimitur fidei confessio; eo ipso enim quod hæc non nisi per oris ministerium efformatur, est naturalis, & posita interna voluntate efficaci, de se naturaliter, & sine supernaturalis alicuius virtutis additamento prodit ad extra. Vnde in hoc modo dicendi, supernaturalis vis esset potius ponenda in ipsa voluntate, vt ex ipsius imperio, talis confessio valeat prouenire.

Sicuti nec placet aliorum assertio, quod idem Character influat in supra positos actus bonos internos intellectus, & voluntatis, secus rationem indueret virtutis infusæ, qualis est quæcumque qualitas data à Deo, ad honestè supernaturaliter operandum; contra quod diximus permanere Characterem in hominibus perditissimis, omnibusque planè virtutibus destitutis. Et ita nequit esse actiuum principium confessionis externæ, aut internæ, sed verius ordinatur totus ad recipiendum, modo supra explicato, sicuti, & Character Baptismi, vt in his terminis, S. Doctor *expressit* art. 6.

9 *Demum Character Ordinis, quantum ex intrinsecis naturæ suæ, non incongruè diceretur dispositio itidem passiua, ad reuerentiam in ordinibus requisitam, præsertim in non relinquentibus post se aliquem supernaturalem effectum. Nisi* S. Doctor cit. art. 2. *posuisset vnum ex Characteribus, esse actiuam virtutem instrumentalem. Et nisi Sacerdotalis Character, tanquam omnium dignissimus, ordinatus ad effectus supernaturales Sanctissimæ Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, me-*

ritò requireret, præ alijs, prærogatiuam, concurrendi in ratione actiui principij.

Dicimus hinc, Characterem hunc Sacerdotalem physicè concurrere, in ratione instrumenti, ad imprimendam virtutem formis consecrationis, & absolutionis, per quam efficiant transubstantiationem in Eucharistia, & Gratiam in Pœnitentia.

Quem physicum concursum proportionaliter de Episcopali Charactere asserimus, ad virtutem imprimendam verbis, seù formæ. Confirmationis, & Ordinis, saltem Sacerdotalis, vt suo loco latiùs, in sequentibus apparebit.

10 *Atque ita, quò ad physicum munus Characteris, indiscriminatim sit dictum. Cæterùm non ambigimus, vt superius num. 5. adnotauimus in ratione pignoris, reperiri in Charactere Ius quoddam, ad vlteriora auxilia diuina obtinenda. Et præter hanc moralitatem pignoris, rursus aliam reperiri in ratione signi, quo ad certum statum, & munus aliquod deputamur; huiusmodi tamen moralitates nequeūt constituere, quin nec indigitare, cum sint entia rationis naturam Characteris, in positiua, ac reali qualitate consistentem, vt est hucusque monstratum.*

CAPVT VII.

QVAE SACRAMENTO DENTVR EFFECTIVAE CAVSAE, ET QVAE MINISTRO INTENTIO.

ELENCHVS.

1 *SAcramenti effectiuæ cauſæ tres, quarum Deus in genere cauſa principalis.*

2 *Chriſtus Dominus cauſa, & qua.*

3 *Homo quì cauſa; & an de facto, præter hominem, queat creatura alia nuncupari cauſa.*

4 *Quò verè miniſtret homo, opus eſt intentione.*

5 *Qua debeat ea eſſe.*

6 *Vt cenſenda Intentio Virtualis.*



DVO ſuperſunt adhuc ad completam naturam Sacramenti cognoſcendam, Alterum, quæ eius cauſæ effectiuæ, Alterum, quæ eiuſdem efficiens cauſalitas. Hæc, vt dicebamus, expleta veluti meſſe, ſpicilegij loco nobis erunt.

1 *Sacramentum igitur tres cauſas habet efficientes; Deum, Chriſtum Dominum, & hominem.*

Deus Sacramenti cauſa eſt, & quidem in genere cauſæ principalis, quò ad tria, nimirum quò ad Sacramenti inſtitutionem, quò ad virtutem illi ſuperadditam, in opinione eam admittentium, ſeu quò ad concurſum Dei ſupernaturalem cum ipſius Sacramenti potentia obedientiali, in opinione aliorum, & quò ad effectum ab eo pendentem; & ſanè cum hæc omnia ſupernaturalia ſint, aliundè nequeunt principaliter cauſari, quàm ab ipſo auctore naturæ ſupereminenti.

2 *Chriſtus Dominus ſecundum humanitatem, cauſa eſt inſtrumentalis: ſi loquamur quò ad inſtitutionem Sacramenti: propter auctoritatem ſibi factam à Deo: Hinc* Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacr. c. 1. *ibi:* Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis, non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.

Si loquamur quò ad virtutem Sacramento ſuperadditam, ad agendum, & quò ad eius effectum. Chriſtus Dominus cauſa eſt proculdubio meritoria, vt idem Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificatione c. 7. *ibi:* Huius iuſtificationis cauſæ ſunt, efficiens, miſericors Deus, meritoria, dilectiſſimus vnigenitus ſuus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus; inſtrumentalis Sacramentum.

An verò ſit cauſa inſuper phyſica, controuertitur inter Doctores. Et quidem Tridentinum l. c. *inſinuare videtur non eſſe cauſam pluſquam meritoriam, alioqui fuiſſet diminutum, hanc aliam reticens rationem phyſicæ cauſæ competentem Chriſto; neque euacuaſſet plenè titulum illius capitis; qui eſt, quid ſit Iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ. quando prætermiſiſſet*

hanc rationem causæ physicæ, eidem Christo tribuendam.

Quiq; Doctores ita substinent, nihil putant derogari excellentiæ Potestatis Christi, etiam supra ipsa Sacramenta physicè causantia. Excellentiùs quippe ducunt, esse causam principalem meritoriam virtutis, & effectus Sacramenti, & item instrumentariam institutionis illius. & posse eũdem effectum physicè causare, in ratione instrumenti, per solam suam humanitatem, sine interuentu alicuius Sacramenti, si vellet, quamuis de facto non causet, & eo ipso habeat totum id, quod iste modus causandi importet interioris perfectionis; & ita ipsum instituisse Sacramenta singula, vt sine interuentu alterius instrumenti causent; & meruisse ipsis per suam passionem, physicam efficaciam, quam habent.

Quibus autem persuasum est, humanitatem Christi, esse physicum instrumentum, ad effectum Sacramentorum, his tribuens vim supernaturalem, ne desit vlterius illi hæc etiam perfectio physicæ causalitatis extrinseca; his etiam placet, Deum Agentem principalem, duplici, eoq; subordinato, vti instrumento ad nostram iustificationem, nimirum Christi humanitate, & Sacramentis. Vt illa sit instrumentum coniunctum, Sacramenta verò instrumenta sint separata. Atq; adeò Christi humanitas sit instrumentum proximum, respectu Dei, & principaliùs, quam sint Sacramenta, quæ sunt instrumenta remota, quatenus in istis Deus, media humanitate, producit virtutem supernaturalem, ad agendum. Vel in opinione dicentium, Sacramenta agere per solam potentiam obedientialem; quatenus in eisdem Deus media humanitate, concursum præstat necessarium proportioni, & applicationi Sacramentorum, ad supernaturalem effectum.

Vt consequenter Sacramenta ab humanitate Christi dependeant in operando, & non è contra. Sitq́ humanitas causa vniuersalis, cum in ijs omnibus operetur; quin etiam causa veluti principalis, comparatione Sacramentorum, cum in hæc influat secundum voluntatem; atq́ Sacramentorum operatio tùm à voluntate, tùm ab influxu eius dependeat,

3 *Homo demum est Sacramenti causa, quò ad naturales, et materiales quidem functiones, physica principalis, vt de se constat, quò ad Sacramentalem verò significationem, moralis instrumentaria: principalis enim quò ad hanc, est Christus, qui institutor eam contulit Sacramentis, quantacumque humana opera nullatenus comparabilem.*

Huc spectat illud Pauli ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. *quatenus homo institutus est à Christo, minister Sacramenti, non ad effectum quemcũq́ naturalem, seu naturalem significationem, nempè quæ verbis inest, suapte natura, seu ex quauis hominum institutione: humanitùs siquidem, & sola facultate naturæ absq́ Potestate Christi Domini supernaturali, ea est attingibilis: sed ad supernaturalem significantiam, ad quam homo nequit pertingere, vt quæ à Christo manauit, & manare, necessum fuit.*

Ita verò homo est causa, vt præter hominem, de facto, nullam confingere possimus creaturam aliam, quæ sit causa. Vt Doctores tãquam de fide docent. Tum quia Christus dixit solis hominibus: Baptizantes eos, &c. Quorum remiseritis peccata, &c. Hoc facite in meam commemorationem.

Tum quia voluit, Sacramenta constare rebus, & verbis: verba autem secundum consuetum morem intelligendi, non

sunt nisi voces naturales, & eo ipso humanæ. Huiusmodi non essent, quas Angelus corpori assistens, ederet, veluti ab intrinseco principio non deriuantes.

Quamquam, vt S. Doctor aduertit, bonus Angelus, si ministraret, putandum esset validum Sacramentum, ex permissione, vel commissione Dei supra institutionem. cum de Angelo bono nequeat aliter præsumi.

4 *Ipse autem homo, vt sit verè ministrans, opus habet intentione, vt* Florentinũ *decreuit,* in decretis Eugenij, *&* Tridentinum sess. 14. de Sacr. c. 6. *definiens Sacerdotem nihil agere, cum desit animus seriò agendi, atq;* sess. 7. c. 11. *anathematizauit ibi:* Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia.

Equissima profectò definitio, cum verba humana non sint, nisi significatiua, idest prolata ex intentione significandi, cuius defectu in amentibus, & dormientibus, seu in aliquibus animalibus edoctis articulare voces, verba non dicuntur humana, sed ea solum humana dici possunt, quæ fuerint expresiua intentionis internæ, seu explicitè, & distinctè, ab ijs, qui cognoscunt significatiuam vim idiomatis; seu implicitè, & confusè, vel virtualiter, ab ignorantibus, ex intentione nihilominus proferentibus verba, ad effectum, ad quem significandum fuere imposita, communiterq; sint vsurpata.

5 *Atqui intentionem dicimus prærequiri, non quidem conferendi Gratiã, seu sacramentalem effectũ. hanc etenim neutiquam necessariò expostulat validitas Sacramẽti, vt hinc hæreticus neq; intendens, neq; credens conferre Gratiam, & Sacramẽti effectũ, validũ nihilominus Sacramẽtũ efficiat. Ex eo præcisè q;*

Sacramentum intendat efficere. quamuis nec ipſe verum crederet Sacramentum, atq; ſimul expreſsè, nollet ſuſcipientem illo iuſtificari, adeòut ſi putaret iuſtificandum, non ei miniſtraret; ſatis tamen erit intentio faciendi, quod Eccleſia facit, vt ex Tridentino adduximus.

Cæterùm ad validitatem Sacramenti, non ſufficiet eadem intentio, ſi ſit habitualis, ea nempè, quæ præceſſerit, actu tamen non exiſtat, quamquam non retractata, vt patet in Amente, qui ſanè non validè v. g. baptizaret. Requiritur verò præſens intentio, ſaltem virtualis, cum in rerum natura, adeſſe debeat ea intentio, quæ datura eſt Sacramento, ſacramentalis ſignificationis effectum.

6 *Quæ quidem intentio minimè ex eo eſt virtualis, quod virtus exequutiua fuerit ad opus applicata, ex præhabita intentione, in qua perſeueret, ſeu quod ſit in illa virtute, vis impreſſa ad ſui applicationem, quamuis iam deſierit intentio. nam vis hæc, ſeu applicatio externa, minimè ſufficit ad augendum, aut continuandum meritum, ſicuti re vera, ex continuatione, vel multiplicatione operum augetur, niſi ſimul etiam operatio adſit voluntatis; cum ſit Theologorum communis doctrina, in externo opere, ſupra voluntatem internam, meriti nihil adiungi. Deindè qui poteſt intelligi illam applicationem externam, ſeu impreſſam vim, deſeruire ad operationes diſcontinuas, immò interruptas, ſæpè ſæpius etiam impertinentes ad primam operationem, ad quam potentia eſt applicata? Et tamen in eis operibus diſcontinuis, interruptiſq; dicitur virtualis intentio adeſſe. Sicuti ſi Sacerdos ad Eccleſiam celebraturus pergeret, quamuis interea interruptus, aut ſpectaculo, aut conſalutationibus, diceretur nihilominus cum celebra-*

ret, virtualem intentionem habere. Superest ergo quod virtualis intentio, supra applicationem, vel virtutem, aliquid amplius superaddat.

Cumq; nil aliud fingi possit, exploratum manet quod virtualis intentio, sit voluntas actualis finis in actione, cum actuali aduertentia, id quippè sonat intentio. At voluntas, aduertentiaquè remissa adeò, vt homo non aduertat, dum agit, nec recordetur posteà illam habuisse, vt contingit, & sufficiens est in rebus ex longo vsu assuetis, v. g. in pulsatione fidium, quemadmodum ex aduerso, si opus sit arduum, & insuetum, non perficietur sine intentione notabiliter expressa, & sensibili, quæ dicitur intentio actualis.

Ita ut intentio virtualis, sit etiam actualis, sed tamen ab hac distinguatur, quod actualiter non percipitur, propter eius remissionem, sicuti animaduertitur actualis, cum sit notabilis, quia nihilo seciùs illa verè, & realiter est in actu; dicatur tamen virtualis: quia quamuis modica, habet nihilominus virtutem intentionis actualis, quatenus in huiusmodi actibus, ex habitu procedentibus, sufficiat perindè, atq; actualis in alijs non habituatis requisita.

CAPVT VIII.

VIS MORALIS SACRAMENTIS INEST, AD CAVSANDAM GRATIAM.

ELENCHVS.

1 MOralis cauſalitas quæ.
2 A morali cauſalitate quì finalis diſcreta, in aliquorum ſententia.
3 Quì ſecundum alios.
4 Quomodo prima finis cauſalitas, Amor.
5 Quid ſit Agens à fine moueri.
6 Ordinatio rerum, & actionum ad bonitatem, tamquam ad finem, quæ.
7 Res extrinſecè ad finem, ordinatæ, ab eodem cauſantur extrinſecè.
8 Vnum eſſe propter aliud, minimè dicit modum realem ſuperadditum, in creatis.
9 Maximè in ijs, quæ Deum habent opificem.
10 Sacramentis moralis cauſalitas concedenda, ex Baptiſmatis Sacramento.
11 Exquè Sacramento Pœnitentiæ.
12 Deus gratiam conferre Sacramenti intuitu, vt intelligendus.

13 *Moralis cauſalitas, exemplo plumbei denarij, fulcitur egregiè.*

14 *Ad mentem Doctoris Angelici.*

15 *Deum producere gratiam, Sacramentorum intuitu, haud eſt producere eorumdem cum dependentia.*

16 *Moralis cauſa longè aliter Deum, et aliam phyſicam cauſam intelligentem mouet.*

17 *An, et quomodo Deus determinetur ab alio, ad extra.*

18 *Qui modus determinandi nequit competere Creaturis.*

19 *Vt explicandus reſpectus, quo Deus determinatus dicitur, et quomodo per hunc reſpectũ Deum dici determinari, explicandum.*

20 *Sacramenta mouendo Deum, ad productionẽ gratiæ, quid in ea productione importent.*

21 *Vberior de hac re doctrina ad vſq; numerũ 26.*



Aſtigatis 4. huius tractat. cap. Hæreticorum deliramentis, inficiantibus Sacramentorum vim effectricem gratiæ; controuerſiam nunc celebrem Catholicorum aggreſſi, vtrum ſcilicet moralis, an phyſica ſit eiuſmodi Sacramentorum cauſalitas, ſi pro inſtituti ratione, quieta & pacali methodo noſtram ſententiam docuerimus, in explananda Sacramentorum natura, eſſentiauè, non erimus imminuti. Id

præſenti capite, & ſequentibus exoluemus.

1 *Principio autem: ne quis veſtibulo hæreat: moralem cauſalitatem Sacramentis attribuentes, eam explanare operæ pretium exiſtimamus. Quam hoc loco Scholaſtici omnes, à phyſica cauſalitate ità diſcriminant. quod moralis nullum in agente principium importet intrinſecum, ad operandum, ſiue quo re ipſa effectus ad extra ponatur; ſed tantum quemdàm intuitũ, quo morale agens reſpicitur à phyſico, dum extra cauſas phyſicè ponit effectum; cauſalitas verò phyſica, intrinſecum hoc principium in agente, maximè præſeferat; Vt ideò phyſica cauſa, iure principium vnde motus, conſueuerit communiter nuncupari.*

Ex quo autem moralem cauſalitatem in hoc intuitu collocamus, ob quem cauſa phyſica ſuum effectum producit, difficultas ingeritur, num eadem ſit cauſalitas hæc moralis, cum illa metaphorica cauſæ finalis, cuius etiam intuitu agens operatur. Cui breuiter ſatisfaciendo de more, ſtatuimus eandem nullatenus eſſe.

2 *Sed toto cælo alterutrum determinari. Etenim finalis cauſalitas, ſecundum Doctores aliquos, conſiſtit in motione voluntatis ad applicandas potentias, vt operentur in conſequtionem finis: quomodo finis cauſat per ſuam bonitatem apprehenſam, quæ eſt ratio non ſolum motiua, ſed item terminatiua poſtea actionum ſui gratia productarum, iam non amplius vt apprehenſa, ſed vt effecta iam, poſitaq; in rerum natura. ita vt ipſa quoque apprehenſio concurrat ad producendum effectum, non quidem vt Ratio, quæ, cauſandi, ſed vt conditio, intellectiua in hominibus, ſenſitiua in brutis, ſimilitudinaria, ſeù vicaria in rebus inanimatis; quatenus naturæ propenſio ſtat ipſis loco*

cognitionis. Hinc finis cauſare dicitur ſecundum eſſe, non reale, ſed intentionale, & obiectiuum, & ad ſe ipſum, non verò ad aliud aſſequendum.

Moralis verò cauſalitas, in alterius conſecutionem inſtigat, cuius bonitas ad operandum alliciat, præter intuitum ipſius cauſæ moralis; aliundè quippè quis ad operandum ſollicitatur, non ſemper ex ſola bonitate cauſæ mouentis, cum non ad bonum illud, ſed ad aliud aſſequendum operetur.

Quod ſi aliquando operandi illicitum ex ipſa mouentis cauſæ bonitate petatur, iam non mouebit vt futura, ſed vt præſens: cum neutiquam conſequenda ſuperſit, ſed eius intuitu, ſiue ad eius præſentiam aliquid aliud præſtetur. Sit exemplo, moueor ad domum alienandam, ad præſentiam pecuniæ, quæ mihi commodo, vtilitatiquè eſt.

3 *Eadem finalis cauſalitas, in aliorum ſenſu, & veriùs, non conſiſtit in motione hac voluntatis, ſiue in amore finis, quem vt aſſequatur, agens ad operandum inducitur; ſed in ea ordinatione, quam dicunt res ipſæ, & actio agentis, ad finem; quo pacto cum proportione vocabuli, cæteræ cauſalitates explicantur; nam effectiua, dicitur emanatio, materialis, receptio, formalis, informatio. Demum finalis, erit ordinatio.*

Non, inquam, conſiſtit in illa motione voluntatis, ſiue in affectu erga bonitatem finis, quatenus indè potentiæ per imperium voluntatis applicentur ad operandum.

Ex hoc enim dicendum conſequeretur: vt dicunt ſic opinantes: cauſalitatem finis ſemper eſſe quid antecedens actionem propter illum agentis, hoc ipſo quod eſt prædicta motio inducens ipſum agens, ad operandum.

Sed enim hoc male dicitur. Cum enim amor ipſe ſit pro-

pter finem, eo quod eliciatur in ordine ad finem, vtiq; deberet aſſignari alia motio ipſam impulſionem amoris præcedens, quæ ſit cauſalitas finis, cuiuſmodi non eſt aſſignabilis, cum motus omnis prædicto ab amore incæperit, quatenus finis ante omnia voluntatem ad ſui amorem inclinat, non quidem per actionem præuiam, ſed per ſe ipſum in ratione obiecti illius amoris.

Accedit quod in communi hominum exiſtimatione, nil ſit aliud finem cauſare, quam aliquid propter ipſum fieri: quì igitur cauſalitas finis præcedet fieri rei, ipſamq; actionem, qua operatur agens propter finem?

4 *Quarè ante actionem agentis finis non cauſat, ſed tantùm eſt potens cauſare per amorem ſui; qui amor ſi conſideretur vt eſt prima operatio agentis exercita propter finem, directa, ordinataq; ad ipſum conſequendum, dicitur prima cauſalitas finis, à qua incipit ipſe cauſare.*

At ſi accipiatur quatenus dependenter ab ipſo agens per electionem, & exequutionem mediorum, applicatur ad operandum propter finem, non eſt cauſalitas finis, ſed ratio per quam finis cauſat; amor quippè connotat bonitatem finis, ob quam res ordinantur ad ipſum.

5 *Hinc quod dicitur; agens moueri à fine, intellige tãquam ab obiecto, & ab hac motione vtiq; cauſalitas finis incipit: at ipſa quoque eſt ordinata ad finem, & antecedit alias omnes ipſius finis cauſalitates, in ſubſequentibus operationibus cõſiſtentes: cum tot ſint cauſalitates finis, quot actiones agentis inter ſe ſe ſubordinatæ, conducentes ad finem: quo ſenſu verum eſt, agens prius moueri à fine, quam operari, & finem inter cauſas primum locum ſibi vendicare.*

6 *Itaq; cauſalitas finis in ordinatione rerum, aut actionum*

Digitized by Google

ad bonitatem, tanquam ad finem, cuius gratia, aut ſunt, aut fiunt, poſita eſt: vt vtramq; cauſalitatem, ſcilicet in fieri, & in facto eſſe comprehendamus: ſiue ſiſtat hæc ordinatio in ipſa motione, affectu, complacentia, & amore voluntatis, non quatenus ea voluntas trahitur ad deliberandum, & per deliberationem, ſeù determinationem potentiæ, ad ſuas deindè operationes inducuntur, ac applicantur; ſed quatenus ipſæ met in ordine ad talem finem, & in gratiam ipſius tàm complacentia, quàm deliberatio excitantur.

Siuè ſiſtat in operationibus potentiarum, indè motis, & emanatis; quatenus ipſæ quoque exercentur ad eundem finem; quæ ordinatio ipſis conſideratur ineſſe, quà fuerunt directæ ab intellectu, & ad eundem finem imperatæ à voluntate, ut pharmaci ſumptio ad conſequendam ſanitatem; niſi ſint de genere operationum intrinſecè, & ſuaptè natura collimantium ad illum, vt ſic enim, non ſolum ordinationem extrinſecam, verum etiam obtinerent intrinſecam.

Siuè tandem ſiſtat in aliquibus etiam effectibus, per ipſas operationes in gratiam eiuſdem vlterioris finis productis, vt euacuatio per prædictam pharmaci ſumptionem cauſata, ſtudio eiuſdem ſanitatis obtinendæ.

7 *Res autem: vt completè de hac cauſalitate dicamus: ſolum extrinſecè ordinatæ, ex quo dependēter à voluntate fiant ad certum finem, extrinſecè pariter cauſantur à fine; vt ſ. ordinationē conſiſtentem in actione, qua prodeunt in Ordine ad talem finem habent annexam, quæ eſt cauſalitas finis. Cumq; ordinatio realiter in ſola earum productione ſit ſita, quatenus illarum productio tendit ad talem finem, ideò ne dum in facto eſſe, ſed etiam in fieri, iure à fine cauſari dicuntur.*

8 *Hæc sanè in creatis causalitas, seù ordinatio ipsi productioni extrinseca est, ni placeat assignare in ipsis rebus seù actionibus modum realem superadditum, ob quem iure dicantur elicitæ in ordine ad finem: vt discriminemus ab eisdem, si sine vllo, vel saltem sine illo fine prodijssent: qui sit modus essendi propter aliud, ad instar consimilium modorum in cæteris causandi generibus, alterius scilicet in alio, qui est causalitas materiæ, alterius ab alio, qui est causalitas efficientis,*

Sed tamen exceptis rebus, quæ Deum habent opificem, optimè sine tali modo saluamus vnum esse propter aliud, puta deambulationem propter sanitatem: nimirum coniungendo ipsam deambulationem cum voluntate, à qua imperatur, ita vt, nec in sola deambulatione, nec in sola volitione, sed in vtraq; simul tendentia illa deambulationis ad finem collocetur, in deambulatione in recto, in volitione in obliquo; sumendo deambulationem prout connotat volitionem, cui subordinatur, & per quam ad talem finem exercetur: sic, vt connotatio nil aliud, quam extrinsecam denominationem importet. tunc enim vnum fieri propter aliud, rectè subsistit per volitionem, quæ nouiter voluntati accedit, cum mutatio in re, pro fundanda tali denominatione sufficiens, hoc casu habeatur.

9 *Quia verò immutabili Deo nullatenus accrescit interna volitio, ob quam res, ab eo fieri ad vnum potius finem, quam alterum dicatur. Ideò, aut modus indiuidualis essendi rerum pro variatione finis, est variandus, vt substinentibus rem à Deo fieri, per entitatem suam, non per actionem distinctam placet.*

Aut est modus in ipsa actione ponendus, vt alijs ex aduerso distinctam actionem astruentibus, arridet; In quò posita sit causalitas finis, idest ordinatio illius actionis ad finem, secluso,

quod rei, per talem actionem prodeunti, quicquam superaddatur; cum actio vaget extra entitatem effectus, denominatioq; tàm in agente, quod agat propter talem finem, quàm in effectu, quod fiat in ordine ad talem finem, per modum, quẽ constituimus in actione, saluetur, qui erit modus indiuidualis essendi illius actionis, vt fusè num. 19. & sequentibus.

Haud itaque, reuertendo ad id, in cuius gratiam hæc præmisimus, finalis causæ, moralisquè, in causando, identitatem veram existimato.

Nam illa secundum veriorem hanc opinionem, in ordinatione, seù habitudine ad finem posita est.

Hæc verò consistit præcisè, & immediatè in ipso mouere voluntatem, vel vt se applicet ad operandum, puta ad deliberandum de aliqua re, aut ad amandum aliquem, vel ad applicandas alias potentias ad operandum, iuxtà ea tamen quæ diximus num. 2. & 3.

10 *Hanc porrò, ita explicatam causalitatem moralem, proculdubio Sacramentis tribuimus. non quod eisdem causalitatem physicam, aliquos recentiorum sequuti, denegemus, cum eam sequenti capite, apprimè ipsis Sacramentis competere, pro virili demonstrare sit animo; sed ne cupientes euitare Carybdim, incidamus in Scyllam; quod plerisq; in hac controuersia contigit, qui dum mordicùs physicam causalitatem volunt astruere, penitus moralem tollunt è medio.*

Et quidem Baptisma fictè susceptum, recedente postmodum fictione, Gratiam conferendo, nequit illam conferre nisi moraliter. quì enim physicè causabit Sacramentum, cuius nulla pars actu existit? Nulla, inquam, cum in præsenti casu nequeat recurri ad vltimã particulã, vel indiuisibile aliquid Sacramẽti,

Et eo magis, quod nihil physicum, transactæ partes post se reliquere, cui physica causalitas possit ascribi. Ipsa verò significatio practica, vt formalis ratio, Sacramentis inhærens, sicut non est entitas physica, ita non physicè, sed tantùm moraliter causare est potis. quod nihil aliud sonat, nisi Deum, intuitu significationis, ac partium omnium transactarum Sacramenti, siuè, quòd idem est, totius integri Sacramenti iam elapsi intuitu, gratiam homini Sacramentato postmodum conferre.

11 *Idipsum pariter dicito, quandocumque pænitentiæ Sacramentum validum quidem, sed informe contingit: quod euenire in sequentibus clarebit: tunc siquidem Sacramentum, quã gratiam non valens, dum ministratur, physicè conferre, amoto deindè temporis decursu, impedimento, vtique, non nisi tamen moraliter, causabit; quod euidenter innotescit, semel admisso, quod sine Sacramento pænitentiæ in re, vel in voto, nequeat homo iustificari; cum enim confeßus, post emißam confeßionem, putans prudenter se legitimè confeßum, ad eam, nec in voto, amplius non obstringatur, secus existimatio non esset prudens; superest, ni velimus hunc, omni prorsus remedio Sacramentali destituere, per illud idem pænitentiæ Sacramentum, iam in re sumptum, & eo ipso impos physicè iustificare, cum iam sit, ex suppositione, transactum, moraliter tantum iustificari in quantum Deus illius intuitu Sacramenti iam transacti, accedente postmodum debita dispositione, illum pænitentem, se solo, immediatè iustificat.*

12 *Intuitu dicimus Sacramenti; licet enim Sacramentum quodlibet non contineat in se honestatem, vel bonitatem aliquã mouentem Deum, ad conferendam gratiam, vti preces, Christi paßio, merita, & similia continent: cuius honestatis, boni-*

tatiſq; defectu, nequit quidem vi Sacramenti, gratia conferri, tanquam ipſius præmium: tamen intuitu ſignificationis gratiæ, quam ex inſtitutione diuina contraxit, ipſa diuina gratia, in ratione gratuiti doni, vtique poterit conferri.

Eiuſmodi quippè doni impetrationi, ſignificatio illius à Deo Sacramentis tributa, ſat eſt. Qua immò ſignificatione, ne dum mouetur, ſed etiam Deus ad conferendum cogitur, ne infidelis, veritatem ſcilicet ſignificationis à ſe impoſitæ, decipere dicatur.

Ex qua item ſignificatione conſequitur gratiam, & infallibiliter, & etiam dependenter ab ipſa conferri; ob quam dependentiã Sacramentum aliquo modo in gratiam influens, eo ipſo cauſalitatis moralis veram ſortitur rationem, diſcretæ à quauis alia, per quam gratia independenter à Sacramento producatur; quam cauſalitatem moralem exercet in ordine ad Deum, quatenus ipſum mouet ad phyſicè cauſandum, ita ut hoc caſu, Deus cauſet per actionem diuerſam, ab ea, qua ſine vllo, aut ſine illo puta cum alio intuitu cauſaret.

13 *Rem noſtram valdè accomodato confirmamus exemplo, de plũbeo denario, quem Princeps inſtituerit ad tempus, cum promiſſione ad eius poſtea exhibitionem, centum v. g. argenti libras erogandi. Erit .n. tale ſignum, vel aliud quodcũq; vera cauſa moralis promiſſi, & debiti, quod per ipſum ſignificatur. Ita ſit de Sacramẽto reſpectu gratiæ. Prætermiſſo namq; quod denarius plũbeus non ſignificet tàm expreſsè, quàm Sacramentum ratione verborũ; in cæteris uidetur per ratio vtrobiq; nam, tum plũbeus denarius, tũ Sacramentũ ſignificant rem promiſſam infallibiter conſequendã; cum enim interceſſerit promiſsio, in inſtitutione, illius impartiẽdæ, teneaturque inſtitutor veritatem ſeruare ſignificationis impoſitæ, certè res promiſſa, citra infidelitatis notam, nequit denegari:*

qua tamen inſtitutione ſecluſa, quomodo plumbeus denarius ad impetrandas argenti libras, ita Sacramentum ad gratiam aucupandam nequaquam dirigeretur. Immò hoc rerum ordinis improportionem contrahit præ illo, cum gratia ſit ordinis ſupernaturalis, Sacramentum verò in genere entitatis naturalis.

Nec quidem fallimur in exemplo, quaſi non ea plumbeo denario competat cauſæ moralis ratio, quam deindè Theologi vnanimiter agnoſcunt in Sacramento. Et quod enim inter hæc aſſignabis diſcrimen? Fortè Chriſti Domini de Sacramentis inſtitutionem? At huius ad inſtar, in plumbeo denario, ſimilis reperitur Principis inſtitutio. An Chriſti merita pro diſcrimine adduces, adeò ſub Sacramenti cauſalitate præintelligenda, vt non niſi eorũ virtute, habeat Sacramentum promiſſam iuſtificationem conferre? Sed hoc nihil ad rem; nam meritorum ratio, quamuis inſtitutioni intrinſeca, Sacramenti tamen cauſalitati extrinſeca eſt: non ne tritum inter Theologos Aphoriſma, Sacramenti omnium conſenſu receptæ definitioni innixum; Sacramentum cauſat: quia ſignificat? Ergo merita inſtitutionis, equidem Sacramenti, at non cauſationis ſunt cauſa.

Vrgebis fortè ex eo, quod Princeps valoris plumbei inſtitutor nummi, neutiquam conferat argenti pondus, ob rationem aliquã in ipſo plumbeo nummo contentam, qua moueatur, & obligetur ad illud erogandum; cum per plumbeum nummum ſolius promiſſionis admoneatur, ex qua deindè promiſſum exoluat. Sed quid poſtea? niſi quod plumbeo nummo, præciſa inſtitutione, nulla ſit virtus ad mouendum, ac proindè non pluſquam ratio ſigni ei competat. Sed hoc idem adamuſſim quadrat quoq; de Sacramento; ſicut enim præciſa inſtitutione, nihil valeret ad gratiam ſignificandam, & multò minus conferendam; ita accedente poſtmodũ

inſtitutione, ſubintrat moralis cauſalitas, quatenus reſultat in re inſtituta rei promiſſæ ſignificatio, ſeù repræſentatio; ſanè vtrobiq; compellens inſtitutorem ad promiſſum exoluendum, ni velimus denegare Principem, ita moueri, obligariuè ſua poſſe promiſsione, ſicuti Deus ipſe indiſſolubili lege obligatur.

Tandem nec eſt quod ad rationem meræ conditionis, ſine qua non quaſi Princeps non moueatur à nummo, ſed à ſeipſo, ratione fidelitatis, quam ſibi debet, confugias. Eſt namq; in propatulo, illud, quo ſolo poſito, ponitur effectus, & quo ſublato, aufertur, veriſsimam cauſæ, non conditionis, ſine qua non, induere rationem; cum conditio ea tantùm ſit, qua cauſa applicatur ad agendum, et nihil ſupra; vt patet de ignis approximatione ad paſſum. nummū autem inſtitutum, quis neget huiuſmodi eſſe, quo poſito, ſtatim ſequatur effectus, nulla alia re poſita, velut cauſa morali, cum nil aliud ſit, cuius intuitu conferatur argentum?

14 *Nec refragatur* S. Doctor q. 62. art. 1. in corpore *dicens*. Si Sacramenta eſſent ad inſtar denarij, non eſſent pluſquam ſigna gratiæ, cum tamen non ſolum ſignificent, ſed etiam cauſent gratiam. *Non enim idcircò Sacramentis adimit cauſalitatem moralem; ſed tantùm intendit Sacramentis, vltra cauſalitatem moralem, conſiſtentem in ratione ſigni, aſtruere etiam phyſicam; ſubdit enim, Sacramenta cauſare ad modum inſtrumenti, quod certè non niſi, de mente ipſius, cauſa phyſica eſt, agens non per virtutem propriæ, & congenitæ formæ, ſed per motum principalis agentis; vnde & concludit, per ea Deum operari, tanquam per inſtrumenta, cum* Apoſt. ad Tit. 3. Saluos non fecit per lauacrum regenerationis. *Vt ideò S. Doctor aſſerens Sacramenta eſſe pluſquam ſigna gratiæ, cum ſignificent, & cauſent, voluerit, nedum cauſare, ſignificando, quæ*

est causalitas moralis, sed etiam vera, et absoluta causalitate, quæ est physica; cum sola physica causalitas, per antonomasiam, simpliciter, absolutéq; causalitas vocetur, vbi cæteræ causalitates in proprietate sermonis, non nisi causæ cum additamento consueuerunt appellari. Cum .n. indubitatū fuerit apud S. Doctorē, sicut ēt est apud oēs Theologos, significationem Sacramentorū importare causalitatem moralem; quid est quod addit supra causalitatem signi; dum dici, non solum significant, sed etiam causant, si non est physica causalitas, morali nulla alia, præter ipsam, superstante?

15 *Porrò causalitas hæc moralis Sacramentorum, nullam Deo imperfectionem impingit. Non enim Deus, eo quod producat gratiam intuitu Sacramentorū, dicetur operari dependenter, idest per virtutem receptam ab ipsis, sed tantum moueri ad operandū, quod, cum non sit virtutem ab alio accipere, nullam implicat imperfectionem. Sicut nec cum dicitur Deus iustificare intuitu passionis Christi, aut glorificare intuitu meritorum, & miracula intuitu Sanctorum precum efficere, inter quæ illud fuit insigne glorificationis Christi, dependenter ab ipsius humilitate.* Humiliauit semetipsum; propter quod Deus exaltauit illum 2. ad Philipp. 8.

16 *Estò ex causæ moralis motione, imprimantur species in causam physicam intelligentem, quibus permoueatur ad operandum. Deo tamen, nullis indigenti speciebus ad cognoscendum, imprimi indè non sequitur, sicuti creaturis, quæ opus habent, motiuum quod prius ignorabant, agnoscere, vt impellantur ad agendum; ratione cuius nec incongruit denominare, Deum indè aliquo modo ab extrinseco determinari ad agendum; licet enim secundum actum immanentem, cum eius substantia identificatum, dum vnum intuitu alterius operatur, non ideò determinetur ab altero,*

cum actus diuinus nequeat habere à quo profluat, ſeu producatur; tamen ſecundùm reſpectum connotatum ad extra, quo attento, operatio diuina ad extra, libera dicitur, & contingens, ſcilicet quò ad denominationem reſultantem in Deo, & extramiſſionem effectus redundantem in creaturis, & in quo completur ratio determinationis diuinæ, iure concipimus, & denominamus, Deum ad operandum, ab altero determinari, cum indè tota mutatio refundatur in creaturam, ſuperaddita Deo, non pluſquam noſtro modo concipiendi, noua, & temporali denominatione.

17 *Cum cæteroqui actus diuinæ voluntatis infinitus, idem ſemper manens, & immutabilis, uim omnem, omnemq; perfectionem cuiuſque determinationis, ſcilicet volitionis, & nolitionis, reſpectu quorumcumq; obiectorum, in ſe ineffabiliter cohibeat; vt ideò primarium obiectum, nec varietur, nec variari poſſit, vtrumq; ipſa obiecta ſecundaria diuerſa illi obijciantur. hinc cum ex ſe non habeat vndè diuerſas, & nouas determinationes volendi, aut nolendi aliquod obiectum, ſubire queat, quia ſemper eſt idem ad illas idcircò fundandas aſſignatur reſpectus prædictus, iuxta quem, re ipſa, determinationem, ſeu dependentiam alicuius producendi, intuitu alterius, Deo verè impingimus.*

18 *Quod ſecus accidit in creaturis; cum enim actus voluntatis createæ, non ſit infinitus, ſed limitatus, determinatuſq; minimè omnia obiecta, ſed aliquod tantum ualet reſpicere; cumq; ſit ex ſe indifferens ad quodcumq; ex ſe, ad vnũ potius, quam ad aliud, nequit determinari, vndè ab eodẽ obiecto, quod reſpicit, determinari conſequens ſit. quarè quod ſit talis actus, habet ab obiecto, ad ꝙ tendit, & ex cõſequẽti variabilis, ac denuo producibilis eſt, pro varietate eorũ, quæ ſucceſſiuè uoluntati obuiam fiunt. Ex quo ſequitur neutiquã fas eſſe, impingere volũtati createæ, ꝙ moueatur,*

seù determinetur ad volendum aliquod, intuitu alterius obiecti, nisi actum realem eliciat, & in se recipiat, dependenter ab illo, quo fit vt eius determinatio per solum extrinsecum respectum, vt accidere diximus voluntati diuinæ saluari nequaquam possit.

19 *Qui quidem respectus in Diuina voluntate, optimè positus, & explicatus esto, per realem relationem ex parte creaturæ, in intrinseco, indiuidualiq; modo actionis fundatam, & per ipsam exindè denominatiuè etiam in effectu resultantem; ex qua relatione consurgit id quod communiter perhibetur, actionem nempè, & effectũ ex determinatione diuina, hoc est ex voluntate Dei, mota ex tali obiecto, siuè volente illum effectum producere intuitu talis obiecti, resultare. Sunt namq; determinatio, actio, & effectus, ita correlatiua inter se, vt sicuti posita actione, seù effectu in creatura, eo ipso ponitur determinatio in Deo, ita è conuerso posita determinatione in Deo, indè resultet actio, & effectus in creatura, quæ omnia statim elucidabuntur.*

Adhuc vlterius explicamus optimè, quo nam pacto, per hunc respectum, Deus determinetur ad huius productionem effectus: hoc est determinari noscatur; siue quo nam pacto, hic effectus specificus, & determinatus: quod veriùs dicitur, cum omnis mutatio sit ex parte creaturæ: proficiscatur à Deo, quippe quod, posita ex parte creaturæ, relatione effectus, ad Deum, ceu ad causam, importante modum actionis indiuidualem, vt diximus, tanquã fundamentum, & connotante effectum, prout volitum, & productum per Dei voluntatem, media tali actione, intuitu talis obiecti tanquam terminum, ponitur id totum, quod prærequiri videtur ad determinandũ. Quo etiam modo, in illa relatione dicitur compleri, & perfici determinatio libera, & contingens voluntatis diuinæ; non quidem secundum perfectionem actus intrin-

secam, & necessariam, secundum quam, cum sit infinita, semper manens eadem, & immutabilis, apta est respicere quodcumque obiectum, sed quatenus per antecedentem relationem sortitur, quod actualiter vnum potius respiciat obiectum, quam aliud.

20 *Itaq; in re nostra, cum ponamus Sacramenta mouere Deũ, ad producendam gratiam, vt sint causæ morales, consecutiuè asserimus in actione eiusdem gratiæ productiua, esse quendam modum indiuidualem, hoc est ipsam actionem esse indiuidualiter talem, in quo fundetur relatio, seù qui sit ipsamet relatio transcendentalis, per quam gratia hæc, quæ de se, & secundum substantiam posset produci, independenter ab alio, uel dependenter ab alio motiuo, dicatur modo esse volita, ac producta à Deo intuitu Sacramenti. ita vt modus, & respectus actionis, seù ipsa actio, quod idem est, fiat ex ipsa volitione diuina: quia enim Deus vult, ideò actio emanat, sicut & effectus producitur: non verò præcedat ipsam volitionem; & rursus cum necessariò importetur, & connotetur, quod quia talis, ideò fiat à Deo, hoc est ex prædicta volitione diuina: fiunt enim denominationes in Deo cum mutatione ex parte creaturæ: ideò ipsam uolitionem diuinam producentem, per huiusmodi explicamus respectum transcendentalem, nempè per ipsum modum actionis, quod est per ipsam actionem indiuidualiter talem, & prout variatur respectus, variamus ipsam volitionem; dicimusque ex hoc respectu pendere, quod Deus se determinet ad ita volendum; cum nequeat vnum consistere, absq; altero. Cæterùm nulla per hoc Deo aduenit noua volitio, nec illa, quam semper in eo fuisse concipimus, habet rationem actionis, sed principij actiui, operatur namq; per actionem, scilicet per eam; quæ recipitur in creatura: vt ideò, ne detur actio actionis, oporteat eße principium.*

21 *Sed libeat adhuc de contingenti hoc actu diuinæ voluntatis, humanæ imbecillitati, quò clarius illum apprehendat, ſequentia meditari. Equidem relatio, qua Deus reſpicit gratiam, vt effectam intuitu Sacramenti. Et denominatio, qua eandem dicitur velle, & actu efficere, cum ſint contingentes, nequaquam reſultant in Deo, ex actu ſuæ volitionis intrinſeco, qui ſemper vnus, idem, ac immutabilis eſt; Sed ex tali actione, qua Deus taliter efficit gratiam, nempè cum ea dependentia à Sacramento, intuitu cuius, ſiue à quo mouetur ad illam efficiendam. Quæ actio non eßet talis, quocumque alio modo eandem gratiam ipſemet Deus efficeret.*

Quoaduſq; igitur hæc actio indiuidua non admittitur, nequit Deus hoc pacto dici reſpicere, ſeu denominari velle, & efficere gratiam; ſicuti non poſita cauſalitate, cauſam cauſare, affirmare nequimus, cum hæc correlatiua ſint, quorum vnum ortus, idem interitus.

Siquidem velle Deum conferre gratiam, intuitu Sacramenti, importat eam conferre per actionem mediam, ſumentem ſuam indiuiduationem à dependentia Sacramenti, quippè eius intuitu confertur. Quò fit vt Deum velle, ſeu efficere, quod idem ſunt: non enim diuina volitio eſt actio effectiua, ſed actiuum principium, vt diximus, omniſq; actio tenet ſe ex parte effectus: gratiam intuitu Sacramonti, quò ad duplicem contingentiam, quam importat, alteram ſcilicet producendi, alteram taliter producendi, nempè intuitu alterius: cum vtraq; ſit Deo extrinſeca, teneatque ſe ſolum ex parte creaturæ: neceſſariò pendeat ex indiuiduatione, quæ in actione, eius gratiæ productiua, eſt reſpectus tranſcendentalis; quatenus actio Deum reſpicit, à quo fit, & gratiam, ad quam tendit; Importatur namque per illam duplicem

contingentiam, talis actio in indiuiduo, ex vnius indiuiduatione oriatur, vt ad talem potius effectum, quam ad alium, ſeu in hunc modum quam in alium, tendere Deus ipſe dicatur, tanquam ex fundamento relationis, qua Deus referri ad eum effectum contingentem, ad quem non refertur intrinſecè, aut immutabiliter, concipiatur.

22 *Ita vt talis modus indiuidualis, reſpectus ſit actionis quantum ad Deum, veluti ad agens; Ex quo namque ponimus Deum ita velle, ab eo tanquam ab agente, indiuidua ea actio conſurgit, quæ ſanè in rerum natura non ſurgeret, Si, aut Deus nollet gratiam, aut eam alio modo mallet efficere. Quomodo conſideratus hic reſpectus, in genere ſcilicet actionis, vtiquè eſt ipſa volitione, ſeu determinatione diuina poſterior, cum effectiuè dependeat à Deo, velut actio ab efficiente, quamuis ſit deindè prior denominationē, ſeu prædicatione, quæ Deo accreſcit, eò quod voluerit, & taliter, ideſt, prout motus à Sacramento, gratiam, ipſius Sacramenti effectum, voluerit; ita vt is idem modus indiuidualis, ſit inſuper fundamentum, ex quo relationem deindè reſultare ponamus in Deo, per quam ad effectum ſibi contingentem, tanquam ad illum, quem voluerit, & cauſauerit referatur; nam nullo pacto diceretur Deus voluiße, vel cauſaſſe effectum, & hunc potius, quam alterum, vel hoc potius modo, quam altero, niſi actionem ab eo factam ad illum effectum, & illo modo producentem, in re ponamus; cum enim idem, & immutabilis Deus maneat in ſe ipſo; vt dicatur voluiſſe potius, quam noluiße, ſiuè hoc modo, quam alio, aliquid eſt ſuperaddendum creaturæ, vltra effectum, qui idem, & ab alia cauſa, & alio modo exilire valuißet; quod in eo modo indiuiduali actionis, cum nihil aliud ſuperſit, aſſignari neceſſum eſt.*

Quæ proindè relatio in Deo, vt in causa, ad talem gratiam; velut effectum, & relatio eiusdem gratiæ taliter factæ, nempè intuitu Sacramenti, in ratione effectus, ad Deum, vt ad causam, ex tali actione indiuiduali, tanquam ex fundamento, dependet, resultatq; iuxtà quod hæ relationes posteriores ipsa sunt actione, cum ex fundamento relationes consurgant, & non è contra.

23 *In quo sensu Deum determinatè velle, & causare, vel causasse gratiam, intuitu Sacramenti, hoc est induci, seu inductum esse à Sacramento, ad causandam gratiam, oriri, seu dependere, dicendum est ex sibi extrinseco respectu, se nimirum tenente ex parte creaturæ, cum oriatur ex indiuiduali actionis modo, consistente in sui ipsius transcendentali respectu, namq; actio se ipsa respicit causam, & effectum, vtpotè medians inter ipsam causam, & effectum; essentialiter proficiscens ab ea causa, & essentialiter in eum tendens effectum. Non quidem quod actus intrinsecus Dei, seu Dei virtus ad causandum, vllo modo à creatura dependeat, cum sit diuina ipsa essentia, necessaria, independens, ac immutabilis, sed quod relatio, & denominatio, Deo per hoc attributa, ipsi merè extrinseca, sicuti etiam effectui relatio est extrinseca, resultans in eo, quà volitus, & causatus à Deo; cum idem effectus, per actionem diuersam fieri potuisset, nequeat ipsi Deo, non dependenter tribui ab actione; qua posita relatio ponatur, & qua ablata, eadem auferatur, cum relatio essentialiter in ipsa actione fundetur; nisi enim huiuscemodi actionem ponamus, vndè denominationem Dei sic agentis, & volentis fas esset desumere? Etenim idem effectus: vt diximus: produci etiam independenter potuisset à Sacramento, & Deus ipse idem semper manet inuariabilis, & immutabilis; vt propterea non aliud, quam actio sufficiens mutatio ex parte creaturæ, superfit pro fundanda supra*

poſita prædicatione Dei, volentis, & producentis gratiam, intuitu Sacramenti, hoc eſt Dei, moti à Sacramento, ad producendam gratiam. In qua quidem motione, vt abundè ſupra explicatum eſt, poſita eſt moralis cauſalitas Sacramentorum.

24 *Quibus ſic poſitis, & explicatis, eia faceſſant plus æquo, leporum more, formidoloſi quidam, qui ad præcauendum: vt ſuadent: periculum in modo loquendi, ne ſcilicet, aut Deum mutari in ſe, aut in ſuis attributis dependere à creatura, conciperemus, ea circumſpectione, & cautela, in re propoſita docuere fore loquendum, qua Deum quidem vnum velle, vt ſit aliud, non autem moueri ab alio, ſeu vnum velle propter aliud, vel intuitu alterius, loquamur: ſicut & Deum ſe determinare ad volendum, importare quidem dicamus actionem indiuiduam, proficiſcentem ab ipſo, non tamen ipſum Deum, ex ipſa indiuiduali actione pendere. Atquì non eſt quod lepores inſequamur auritos, cum conueniamus re, nec ſit diſſenſio niſi in modo loquendi, præſertim, quod reprobare vſitatos modos loquendi, eſſet, aut penitùs cauſalitatem moralem à Sacramentis auellere, aut ipſam ſaltem captu, & explicatu reddere difficiliorem, cum hic modus cauſandi, totus poſitus ſit: vt fusè ſupra explicatum eſt: in mouendo agente ad operandum, propter quod agens, intuitu eiuſdem cauſæ moralis, & dependenter ab ipſa, agere dicatur.*

25 *Quò circa omni prorſus occurrentes hæſitationi, diſtinguendo ſubnectimus, quod ſi, velle, moueri, dependere, & ſe determinare, ſumantur pro entitate, quam in Deo arguunt infinitam, æternam, & immutabilem, Deo non attribui de nouo, nec dependenter ab alio procul dubio ſcientes, fatemur cum ipſis, dici nullatenus licere; Deum velle, moueri, ſe applicare, dependenter ab extrinſeca indiuiduali actione, quæcumq; illa ſit; cum enim Deus*

ſummè infinitus, illimitatæ perfectionis ſit, ne dum non indiget, ſed neque etiam rationem vllam, aut communem, aut ſpecificam, aut indiuidualem ſuæ volitionis, ſeu ſuæ entitatis: quod in idem recidit: ab extra poteſt haurire: ſiquidem infinitas: vt de ſe conſtat: vniuerſas rationes, modos, & perfectiones, vnà ſimul comprehendit, ac cohibet.

Iuxtà igitur hunc modum concipiendi: manus dando præfatis Auctoribus: firmiter aſſeueramus, Deum, velle, moueri, & ſe applicare, non aliud ſonare, neque alio modo vſurpandum, quam Deum importare talem actionem indiuiduam, illam ſcilicet ponendo ad extra, ſeu extra ſe mittendo, in ratione principij actiui: iuxtà ſuperius notata; à qua proindè actione, tantùm abeſt, quod velle diuinum dependeat, ſeu dici poſſit dependere; quin veriſſimum, & conſtitutiſſimum ſit, è regione, totum eſſe eiuſdem actionis eſſentialiter dependere ab ipſo velle diuino, nec alio modo eſſe, ne dum ratiocinandum, ſed neq; etiam loquendum, aut enunciandum.

26 Quia tamen velle Dei, ſe applicare, ipſumq; moueri ab extrinſeco Sacramento, ad volendam, & producendam gratiam, effectum ipſius Sacramenti, communiter vſurpantur, non ſecundum entitatem Deo intrinſecam, & conſubſtantialem, ſed dumtaxat ſecundum præciſam rationem relationis, prædicationis, & denominationis, ipſi Deo contingenter aduenientis, & qua nouiter, ac contingenter Deus dicitur velle, & vnum potius, quam aliud, ſeu vno potius modo, quam alio, quæ prædicata de ipſo Deo antea non enunciabantur.

Cumq; huiuſmodi enunciationes, ſeu prædicationes, ex actione ad extra indiuiduali, effectiua effectus Sacramenti, in Deo conſurgant. ita ut hæc duo, actio ſcilicet effectiua, ex parte crea-

turæ, & denominatio efficientis, ex parte Dei, ſe ſe in ratione fundamenti, & relationis, mutuò ponant, & auferant; non eſt quod formidemus, liberè, citraquè omnem ſcrupulum, & dubietatem, abſolutè enunciare, Deum vnum velle propter aliud, ipſumque moueri, & ſe applicare, & determinare ad volendam, & eo ipſo cauſandam gratiam: effectum Sacramenti: intuitu eiuſdem Sacramenti, ſeu dependenter ab ipſo. Eò vel maximè, quod moralis cauſalitas Sacramentorum, ſimiles omninò exigat loquendi modos.

In quibus ideò ſumus paulò longiùs immorati, quò moralem ipſam Sacramentorum cauſalitatem, hucuſq; ſtrenuè vindicatam, hiſce loquutionibus, veluti ouantes, ad ſecuritatem adduceremus Triumphi.



CAPVT IX.

PHYSICA ADHVC VIS, AD GRATIAM EFFICIENDAM SACRAMENTIS INEST.

ELENCHVS.

1 *Physica causalitatis à morali discrimen.*

2 *Scripturarum, Conciliorumq; loqutionibus, physica causalitas indicata.*

3 *Prior casus, in quo particula, per, physicam causalitatem non innuit.*

4 *Posterior alter.*

5 *In cæteris physica causalitas semper euincitur.*

6 *Per instrumentum tantum morale, quempiam physicè suum promere effectum, inauditum.*

7 *Particula, ex, scripturarum, causalitatem physicam liquidò monstrat.*

8 *Cui Tridentina Synodus apprimè concinit.*

9 *Vocabula absolutè prolata, pro potiori significato supponunt.*

10 *Physica causalitas ab oppositis vindicatur.*

1  *Nter Charybdim, & Scyllam, securo ibit cursu nauigium, si qui Sacramentis non ademimus moralem gratiæ causalitatem, non denegemus hic physicam: quam superiori capite num. 1. à morali discriminauimus, per reale actionis principium intrinsecum; siuè primarium, siuè secundarium, quod illa importat.*

2 *Et quidem plerique Theologi in nostram coiuere sententiam; quot quot habentur de Sacramentorum efficientia Scripturarum, Patrum, Conciliorumq; oracula, alium congruum intellectum non recipere suadentes.*

Iure edepol. ea præsertim, quibus per Sacramenta gratiam Deus producere perhibetur; ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Moguntini c. 11. *ibi:* Per quæ Sacramenta, velut apta instrumenta, & remedia, suæ gratiæ nobis munera impartitur Deus. *Et alia sexcenta; communis enim hominum sensus, ac interpretatio, hunc loquendi modum physicæ causalitatis coarguit: duobus casibus exceptis.*

3 *Prior, cum causa principalis physicè ediderit instrumentum, vel illius virtutem, tametsi instrumentum non nisi moraliter deindè influat in effectum; sic Deus dicitur iustificare per fidem, quæ non nisi moraliter influit in iustificationem, ex quo eam physicè in animam infuderit. dicitur effundere in nos Spiritum Sanctum per Iesum Christum, quòd Christi constitutionem, non nisi quidem meritoriè influentem in gratiam, physicè causarit. dicitur patrare miracula per Sanctos, quippè ad eorum opera meritoria physicè concurrat, estò hæc in ea non nisi impetratoriè influant.*

Ratio fundatur in trito Philosophorum placito, causam causæ dici causati causam. Ex eo enim principalem causam dici necesse

eſt cauſati cauſam, ſi phyſicè in mediam, ſeu inſtrumentalem cauſam influxerit, quidquid ſit, deindè, num cauſa principalis ad cauſatum actu concurrat, vel non; aut cauſa media, vel inſtrumentalis, phyſicè, an moraliter influat in idem cauſatum.

Hinc generans, per ſemen phyſicè cauſare effectum dicitur animatum, ex quo ſemen phyſicè emiſerit, quamuis actu dehinc nihil influat in illius effectum. Nec refert, hunc effectum phyſicè attingi à ſemine, ubi effectus inſtrumentorum antedictorum, non niſi moraliter attinguntur ab ipſis; etenim iſtiuſmodi loquutionis vis tota ſiſtit in influxu cauſæ principalis in cauſam mediam, ſeu inſtrumentalem, qui vtrobique phyſicus, emergendi effectus in cauſa eſt; vndè ſi cauſa principalis in eum inſuper influat, immediato phyſico influxu, non eſt deindè quod cauſa media, ſeu inſtrumentalis, tunc concurrat pluſquam moraliter, vt contingit in tribus relatis caſibus prioribus; ſi verò cauſa principalis phyſicè non influat, cauſam tunc mediam, ſeù inſtrumentalem phyſicè influere opportet, vt in poſteriori.

In quo caſu, quì ſaluabimus, Sacramenta ad gratiam moraliter tantùm concurrere, cum ex dictis Sacramenta non operentur moraliter, niſi vt ſigna, quo modo non deſcendunt à Deo, phyſicè, ſed per ſolam inſtitutionem moralem? Vt igitur ex hoc capite prædictus loquendi modus verificetur, Sacramentis phyſicam cauſalitatem adiudicemus, opportet.

4 *Poſterior caſus eſt, cum inſtrumentalis cauſa, de ſe apta, & inſtituta ad agendum phyſicè, & ex accidenti impedita, ſola cauſa principali phyſicè operante, ad effectum tunc concurrit non niſi moraliter; ſic Deus per Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ tranſacta, recedente poſtmodum fictione, ſeu debita diſpoſitione accedente, iuſtificare perhibetur. Ratio eſt in promptu, quia præ-*

Digitized by Google

dicationes desumuntur ex eo, quod per se, & vt plurimum inest, nulla contingentium, seu rarò euenientium habita ratione. Actio siquidem ad tempus habile, perindè, ac si tunc prodijsset, retrotrahitur: Ceu Monasterium communiter dicitur per Monachum succedere in hæreditatem delatam eidem, tunc temporis ad capiendam hæreditatem, ob professionem inhabili; quippè ad tempus habile ante professionem, quando Monachus, & subindè Monasterium, ipso medio, hæreditatem iure apprehendißet, delatio retrotrahatur. Qui casus physicæ causalitati Sacramentorum: eo saltem temporis, quo obex non intercedit: permirificè fauet, longè quod obsit.

5 *De cætero prædicta præpositio, per, non vsurpatur, nisi causa principalis, aut aßumat instrumentum, ad physicè causandum, vt in instrumento physico coniuncto, aut illi adæquatam physicam virtutem conferat ad agendum, vt in instrumento physico separato conspicere est. Hinc Doctores ad verificandum eiusmodi modum loquendi; qui voluere Sacramenta assummi à Deo, quò ad potentiam obedientialem, per concursum supernaturalem extrinsecum eleuatam; & qui effectiuam uirtutem physicam supernaturalem Sacramentis superaddidere.*

Nos verò: quò propiùs scripturarum germanum accedamus ad sensum: vtramq; instrumentalem physicam causalitatem, inferiùs Sacramentis atribuemus; nimirum per virtutem realem supernaturalem superadditam, & per potentiam obedientialem, eiusdem virtutis ope eleuatam: ita vt integra, adæquata, & proxima effectiua potentia physica, ex vtraq; vna consurgat.

6 *In quam physicam causalitatem eò libentiùs descendimus; quod sit inauditum, quempiam physicè suum exercere effectum per instrumentum tantùm morale. Quis enim vnquam dictus*

Digitized by Google

eſt phyſicè occidere per hominem, ſolo conſilio, aut mandato moraliter ad homicidium concurrentem? Quis realiter ſoluere debitum, ſine pecunia, per ſolam ſchedulam, concurrentem ad ſolutionem non niſi moraliter? quì per cauſalitatem moralem priorem, conſiſtentem in permouenda cauſa phyſica ad operandum, ipſa cauſalitas phyſica poſterior, conſiſtens in exequutione illius operationis, ad quam mota ſupponitur per cauſalitatem moralem, vnquam phyſicè influet in effectum? ſanè imperceptibile eſt, nedum inueriſimile poſterius phyſicè influere per prius. Ne igitur vis ſit verbis illata, ſimilem modum loquendi, de vera cauſalitate phyſica neceſſe eſt exponamus.

7 *Quam præter particulam, per, amplius conualidat particula, ex,* Io. 3. *ibi:* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. *communiter recepta de phyſica cauſalitate, eò magis hoc loci, quò extenditur ad Spiritum Sanctum, quem phyſicè influere in regenerationem ſpiritualem, nulli reuocatur in dubium.*

8 *Concinit Sacra* Synodus Tridentina ſeſſ. 7. de Sacram. cap. 6. *definiens in hæc verba.* Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantùm externa ſint. anathema ſit. *Quæ antecedenti can. 2. diſtinguendo inter Sacramenta nouæ, & veteris legis: indixerat ſimiliter anathema aſſerenti.* nouę legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cęremonię ſunt alię, & alij ritus externi. *Hæ quidem, & aliæ huius generis auctoritates permultæ, ægerrimè exponerentur de ſola cauſalitate morali; denegantes ſiquidem phyſicam cauſalitatem noſtris Sacramentis, quì amabò diſcernemus inter hæc, & antiquæ legis Sacramenta, è quibus Circumciſio cauſa*

moralis communiter agnoscebatur, & quarè non eßent hæc nostra Sacramenta signa tantum externa? Hanc itaque Tridentinū *apertissimè intendit physicam causalitatem, quam firmauerat etiam antea,* Florentinum in litteris vnionis, *definiens* Sacramenta nouæ legis differre à Sacramentis veteris legis, quia continent gratiam, & rectè sumentibus conferunt.

Eamque fuisse mentem Tridentini *expressiùs quoque suadetur* ex sess. 6. de Reform. c. 7. *Vbi loquens de causis iustificationis in Baptismo; intra enumerata causarum alia genera: quæ non nisi propriissima palàm designat: deueniens ad causam instrumentalem;* instrumentalis, *inquit*, Sacramentum Baptismi; *quod prius Moguntinum, Florentinum, aliaq; similiter docuere Concilia. Instrumentum autem propriissimè supponere pro physico, neutiquam pro morali: cum solæ causæ physicæ, non morales propriè causæ dicantur: Philosophorum nullus addubitauit: cum igitur eo loci cæteræ causæ commemoratæ à Tridentino, pro propriissimo causarum genere rigorosè sumantur, quorsum sola instrumentalis, lato vocabulo, impropriè deindè sumetur?*

9 *Sanè Theologorū, et Iuristarum, vocabula, absolutè prolata, supponere pro potiori significato, vbique gentium tritum est. Sic homo pro viuo, non pro picto; ad ignobilius siquidem significatum indicandum, vsus additamentum apponit. puta homo pictus; id quod de causis similiter est receptum; non significari causas morales, tanquam ignobiliores, nisi vocabulo moralitatis, aut æquipollentis apposito. Qua igitur fronte vocabula causarum, & instrumentorum, pluribi in Scripturis, Patribus, & Concilijs, simpliciter, & absolutè de Sacramentis enunciata, cum regulis vulgatis de propria causalitate physica forent exponenda, ad impropriam causalitatem moralem detorquebimus?*

Proh indignum Sacramentis detrahere! Hæc à Christo Domino instituta, in efficacissimum salutis remedium, ac simul in pignus, & testimonium diuini erga nos infiniti amoris; O quam suis absolutam numeris venerationem exposcunt! Eia quantamcumque fas est prærogatiuam eis libenter adiudicemus, longiùs absit ad illis detrahendum, vis verbis illata.

Tum magis quod, cum dicta regula in cæteris sit propria, & perpetua Sacramentorum ad summam certè in eorum causalitate peruerteretur iniuriam, ex quo aditus omnis obstrueretur Patribus exponendis, causalitatem Sacramentorum ineffabilem, & inexplicabilem vbiq; prædicantibus quantùm inexplicabile est, quod Spiritus Sanctus: vt illorum verbis vtamur: descendat materiam consecrare, per quam causet, & iustificet; vt propterea Cyrillus Alexandrinus *ad eam ineffabilitatem quadantenus elucidandam, scitè nobis eam proposuerit, per analogiam ad ignem, & aquam,* lib. 2. in Io. c. 24. *his verbis* Sicut viribus ignis, interiùs aqua calefacta, calorem efficit, non aliter, quam ignis, sic Spiritus Sancti operatione ad diuinam aqua reformatur virtutem, qua Baptizatum absterigat. *Quibus nil clarius ad euincendam physicam causalitatem, cum aqua non nisi physicè: vt in comperto est: calorem efficiat.*

Ecquam obsecro inexplicabilitatem subiret hæc causalitas Sacramentorum, dum non excedat moralem, cum nihil faciliùs, & communiùs inter fideles, cum agitur de pijs operibus? Horum siquidem intuitu, Deum iugiter gratiam conferre, nec minùs certè: nisi stet per operantes: quam per Sacramenta, apertè nos docent Scripturarum fidissimæ voces. Petite, & accipietis, &c. Quicumq; dixerit huic monti, &c. Si crediderit, & non hæsitauerit in corde suo, &c. *quamuis deindè ex parte*

te nostra, requisitorum defectu, quem ignoramus, tum Sacramentis adhibitis, tum alijs pijs operibus editis, an odio, vel amore se dignum, certissimè nesciat vnusquisq.

10 *Velis itaque, atque remis: quod aiunt: in hanc physicam causalitatem nobis eundum est; præsertim cum obiecta nullo negotio diluantur; quod enim dicitur, gratiam sacramentalem non effici, nisi moraliter per Sacramenta, vtpotè actualia inuoluentem auxilia, quæ non nisi post transactum Sacramentum: quando non est aptum physicè causare: conferuntur; nihil vel argutiæ habet, cum pro verificanda physica dependentia, sufficiat interpretari de gratia Sacramentali specificatiuè, vt loquuntur, idest de gratia habituali, conferenda à Sacramento nondum transacto, eò dicta gratia Sacramentali, quod ipsi adhæreat vis ad obtinenda auxilia; non autem reduplicatiuè; idest non secundum quod dicta auxilia precisè importat; nec est nouum in Theologia propositiones explicari in sensu accomodo. En tibi aliud* Augustini, *in sensu pariter accomodo communiter expositum* Ep. 23. Effectus remissionis peccatorum non est à Sacramentis, tanquam à causis efficientibus. & Cypriani de Baptismo Christi. Remissio peccatorum, siuè per Baptismum, siuè per alia Sacramenta donetur, propria est Spiritus Sancti, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet. *Verba equidem de principali causalitate, soli Deo competente concorditer explicata; iuxta scripturarum proloquium, quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? Cum qua tamen principalitate, instrumentaria adhuc physica causalitas nil repugnat.*

Nec magis aliæ auctoritates officiunt: si quæ sunt: tribuentes Sacramentis causalitatem moralem; vt enim sequenti capite


demonstrabimus: optimè physica, & moralis causalitas vno in Sacramento cohærent. Vbi ex aduerso Scripturarum, Patrum, Conciliorumque nullam inuenies, physicæ Sacramentorum causalitati loquutionem infensam. Vna Diui Bernardi, *quæ communiter circumfertur ab Aduersarijs, documento sit:* Sermone de Cœna Domini, *ibi:* Canonicus inuestitur per librum, Abbas, vel Episcopus per baculum, sic diuersas gratias Deus diuersis tradidit Sacramentis. *Quid enim fas inibi colligere, nisi diuersa suscipientes Sacramenta, diuersas item gratias consortiri? sicuti diuersis insignijs, diuersa item Iura assequuntur insigniti?*

Adeòut Doctores oppositi plumbeum pugionem in nos, auctoritatem quamlibet æstimantes, ex acuminato rationum dimicent ferro. Physicam inquiunt, causalitatem minimè pro verificandis testimonijs necessariam. miraculaq; non fingenda, absq; necessitate: eo minùs in re, quæ non nisi difficillimi captus, & explicatus, à sectatoribus summa per discrimina, defendatur.

Verùm, quod pro verificandis testimonijs superuacaneum iactitant, hucusque redarguimus, maxima ad id necessitate probata sententiæ nostræ: qua nihilominus necessitate seclusa, non esset comminisci miracula, cum nil minùs, Deum solo morali intuitu Sacramentorum, supernaturaliter immediatè gratiam conferre, quam vti Sacramentis, vt physicis instrumentis ad eam conferendam, miraculum foret: vtrobiquè enim est Sacramentis miraculosa vis infallibilis ad gratiam causandam, siuè sit physica, siuè moralis, sicuti & vtrobiquè intercedere miraculosam rei supernaturalis realem efficientiam necessum est, quam deindè à Deo effluere partialiter, vel totaliter, mediatè, vel immediatè, nihil ad rem.

Accedit quod auctoritates de patratione miraculorum per Humanitatem Christi, non minùs de efficientia morali, quam physica possent saluari; quas nihilo secius Doctores, ad extollendam illius Humanitatis Sanctissimæ dignitatem, de physica volunt interpretari. Quinimmò ad solam maiorem damnatorum confusionem, physicam adhuc causalitatem igni infernali, tanquam vindici diuinæ Iustitiæ attribuunt. Quid ni igitur eandem causalitatem Sacramentis adiudicabimus, quamuis citra necessitatem, cùm ad ipsorum, tùm ad Christi Domini meritorum: è quibus efficaciam depromunt: excellentiam, dignitatemque maximopere efferendam? ac simul etiam pro nostræ exercitio fidei, magis magisq; ad diuinam Omnipotentiam exaggerandam?

Nec vlla ditior messis honorum, quam obstetricante labore, humana parit industria. Hinc tantæ prouinciæ difficultatibus non euincendi, sed singulas obiectas, noster improbus labor euincat. Quod Deo auspice, cuius ad honorem desudamus, & gloriam, sequentibus capitibus præstare paramus.



CAPVT X.

PHYSICE, INSTANTANEE, AC SIMUL MORALITER, OPERANTVR SACRAMENTA.

ELENCHVS.

1 *AD physicam cauſalitatem, præ-requiſita actualis exiſtentia cauſæ.*

2 *Chriſti Paſsio, Reſurrectioq; noſtræ iuſtificationis, et reſurrectionis quo pacto cauſa.*

3 *Sacramentum non actu exiſtens, quì physicè cauſare dicendum.*

4 *Sacramentalis ſignificatio requiſita, et quomodo ad cauſandum physicè.*

5 *Habitualis gratia, & quæ ſacramentalis dicitur Sacramento tranſacto, moraliter tantùm à Sacramentis cauſantur.*

6 *Sacramenta licet entia ſucceſsiua, verè exiſtentia ſunt.*

7 *Operari per terminum, idem ac operari per partes, quarum ſit terminus.*

8 *Succeſsio duplex.*

Digitized by Google

9 Sacramenta cum per vltimam formæ particulã operantur, neutiquam per indiuiſibile operãtur.
10 Quomodò nihilo ſeciùs in inſtanti operentur.



AEc ſe ſe tibi cohærentium ſimul vno in Sacramento duarum cauſalitatum, primò obijcit difficultas. Sectantes enim phyſicam cauſalitatem, è regione ſe opponunt, quibus cauſalitas moralis arridet; viciſſim aſſerentes moralem, pænitùs omnem phyſicam de medio tollunt. Qua de re vno in Sacramento, utriuſq; cauſalitatis cohærentiam explanadã, adimus.

Aſſertores phyſicæ cauſalitatis quidam, aſque adeò eam Sacramentis attribuunt, ut indè Baptiſmi, Penitentiæq; Sacramenta fictè ſuſcepta, de quibus c. 8. meminimus, recedente poſtmodum fictione, vel longa poſt tempora, phyſicè cauſare contendant. Quibus fauere videntur Auguſt. lib. 1. de Bapt. c. 11. & Doctor Angelicus 3. p. q. 62. ar. 10. *docentes Deum, non minùs iuſtificare per Sacramentum quando eſt, ac quando non eſt.*

1 Sed enim ipſamet cauſalitas phyſica hos ſuos ſectarios euidenter redarguit, expoſtulans præſentem cauſam Ariſtotele *edocente* 2. Phyſicor. tex. 37. & 38. & 5. Metaph. c. 2. *ſub finem, effectus in actu, cauſas requirere exiſtentes in actu. quo quid æquius? immò ineuitabilius? Etenim ſine potentia effectiua, implicat cauſam operari; ſicut nec fieri, immò nec concipi poteſt, quin ea potentia, vtpotè accidentalis, eſſe ſimpliciter, atq; adeò actuale ſupponat. Quin magis, cum motus, virtuſq; effectrix: tota perſonante ſchola philoſophorũ: ſubiectum inhæſionis expoſcant, quì poterunt Sacramenta operantia per uirtutem, ſeu per motum ſupernaturalem à Deo receptum, non actu exiſtere, eorum virtute exiſtente,*

& nedum exiſtente, ſed etiam actualiter operante?

Adde potiorem nulla fingi poſſibilem rationem, qua præteritum valeat phyſicè cauſare, non item futurum; præſertim cum futurum ad eſſe naturaliter dirigatur, præteritum verò nequeat naturaliter reproduci. Et tamen futuro, Doctorum nemo phyſicam cauſalitatem vnquam adſcripſit. Immò interrogo, cur præteritum nequit, vi naturali, ſe ipſum reproducere, ſemel admiſſa ne præterita poſſe alteram à ſe diuerſam cauſare? Nonnè præexſtitiſſet cauſa ante ſuum effectum? Atquì ex hac non niſi præexiſtentia cauſæ requiſita ad cauſandum, idem ſe ipſum cauſare non poſſe, concordi ſagacitate venantur philoſophi.

2 *Neque* Sanctum Doctorem 3. p. q. 49. art. 1. in corpore, *& alibi, docentem, paſſionem Chriſti tot annorum centurijs elapſam, eſſe nedum cauſam meritoriam, verùm etiam phyſicam iuſtificationis, opponas. Habes ſiquidem vndè eius mentem probè elicias, nimirum ex communi interpretatione Doctorum, diſtinguentium, Chriſti paſſionem vtique iuſtificationem phyſicè cauſare, tamen ſumptam non formaliter, ſed tantùm fundamentaliter, quatenus caro iam dudum paſſionis ſubiectum, ea ipſa eſt, quæ nunc influit realiter in iuſtificationem. Eundem S.* Doctorem *ſimilieer explicato, dum* ead. 3. p. quęſt. 56. art. 1. ad 3. *Chriſti reſurrectionem, efficienter noſtram reſurrectionem aſſerit cauſare, quod Chriſti caro ab inferis iam reſurrecti, in noſtram influere habet reſurrectionem.*

3 *His igitur, aut alijs non obſtantibus quibuſcumque; in prædictis caſibus fictionis, procul omninò à Sacramentis cauſalitatem phyſicam eliminato; ni mauis ſolam phyſicæ cauſalitatis denominationem, non niſi ſecundum dici: vt loquuntur philoſophi: eis impingere; ex quo Sacramentum, ex inſtitutione phyſicum*

Digitized by Google

paratum inſtrumentum, iam quando adminiſtrabatur, ni obicem offendiſſet, vtique phyſicè operatum eſſet; vt ſit ille idem ſenſus quem c. antecedenti num. 4. adnotauimus; Deum ſcilicet per Sacramentum iam tranſactum phyſicè gratiam conferre, quatenus eam confert intuitu illius Sacramenti, quod inſtitutum, & ordinatum eſt à Deo, ad phyſicè cauſandum; quo ſenſu particulam, per, quam ſuperiori capite latè oſtendimus phyſicam importare cauſalitatem, ſartam tectamq; ibidem ſeruabimus.

Nec deterreat, quod Sacramentum nequeat, per ſignificationem ſacramentalem, merum ens morale, & meram relationem rationis, phyſicè cauſare; nonnè præter eam ſignificationem, continet etiam entitates phyſicas, nempè res, & verba, materiam, & formam? Quì igitur entitatibus ſaltem realibus realem itidem poſſibilem virtutem gratiæ effectricem adhuc denegabimus? ac ſubindè medijs ijs partibus toti etiam Sacramento, cum notum ſit, partes probè ſufficere ad denominandum totum? Sicut ergo ratione ſignificationis ſacramentalis, ſolius partis formalis Sacramenti, moralem cauſalitatem non denegamus Sacramento, æquum eſt, ne ratione rerum, ac verborum, alterius Sacramenti realis partis materialis, ei poſsibilem denegemus phyſicam, ſuas vnicuique attribuendo: quam tamen phyſicam cauſalitatem, non adiudicamus materiæ, & formæ, præcisè, ipſa circumſcripta ſacramentali ſignificatione.

4 *Non n. ignoramus eas, vt partes dumtaxat ſacramentales, phyſicam cauſalitatem ſortiri, quales vtiq; dempta ſignificatione prædicta non agnoſceremus, cum Sacramentum quidditatiuè ſignum rei ſacræ ſit, nec ad eam ſubeundam ſuaptè natura dirigantur; Sed ex mera Chriſti arbitraria inſtitutione fuerint prædeterminatæ; retenta tantùm ex natura ſi a quadam naturali ſi-*

gnificatione, ſibi ex communi etiam hominum vſu, & apprehenſione conſtabilita, per quam apta ſolum, & proportionata ad eam alteram ſupernaturalem ſignificationem ſubeundam reddantur.

Sed eo tamen cauſalitatem phyſicam materiæ, & formæ cum connotatione ſignificationis ſacramentalis aſcribimus, quam deindè eidem ſignificationi denegamus; quatenus animaduertamus, prædictam ſignificationem, in hac phyſica cauſalitate, locum habere, rationis ſub qua cauſandi, non verò, quæ, hoc eſt Deum nequaquam per ſignificationem phyſicè influere in gratiam, ſed per ſolam materiam, & formam; non niſi tamen partes Sacramentis hoc eſt ſubſtratas ſignificationi ſacramentali; per quam Sacramentum in ratione totius moralis completur; vt ideò cum audis, Deum cauſare per ſacramentalem ſignificationem, ſpecificatiuè tantùm, non reduplicatiuè intelligas, ideſt cauſare per entitatem realem Sacramenti, equidem ſubiectam; non tamen prout ſubiecta eſt ſignificationi ſacramentali; cum non cauſet per ſignificationem, tanquam per rationem cauſandi, ſed per meram conditionem ſine qua non; Ad excludendam eandem phyſicam entitatem, ſi non ſubeſſet: aut omnem aliam quamcumque, quæ tali ſignificationi non ſubſit. Vt indè non ſit hæc ſignificatio virtus quædam exequutiua, ſed extrinſeca ſolum ratio connotata; ſine qua non eſſet in phyſica entitate vis operatiua, ſeù à Deo non aſſumeretur ad operandum. Id quod etiam ſuperiori inſinuatum eſt capite.

Mirè id totum humanæ vocis ſchemate propoſuit, atq; ſimul expoſuit S. Doct. 3. p. q. 62. ar. 5. ad 1. *inquiens* Virtutē, per quā Sacramenta cauſant, eſſe ſimilem illi, quæ eſt in voce ſenſibili, ad excitandum intellectum, in quantum procedit à conceptione mentis. *Virtus ſiquidem vocis ſenſibilis ad exci-*

randum intellectum est quidem significatio moralis, & ad placitum; at non sola excitat, cum vox realiter concurrat ad imprimendas species in phantasia, quorum ope phantasmatum, intellectus deindè agens sibi species intellectuales adsciscit. Ut indè duplicem itidem ex æquo in Sacramentis agnoscamus virtutem, moralem scilicet, respondentem significationi vocis, & physicam, respondentem impressioni physicæ specierum, quem concentum viuidiorem, & consonantiorem insuper expressit particula: in quantum: vt enim vox non excitat intellectum, nisi vt significatiua conceptus, ad excludendas voces, quia nullius rei significatiuas, ideò nihil excitantes; ita prorsus inferre voluit S. Doctor, Sacramenta ni significarent, physicam vim nequaquam subeuntia ad operandum. quod nos etiam modò iudicauimus supra.

5 Quarè non plusquam moralis vis effectiua, Baptismi, ac Pænitentiæ Sacramentis informibus adiudicetur, quatenus nimirum recedente fictione, aut debita accedente dispositione, eorum iam transactorum intuitu, hominibus iam pridem sacramentatis, gratiam, quam ipsa Sacramenta, obice intercedente præstare nequiuerunt, Deus se solo liberalissimè confert. Quæuis similiter non plusquam moralis astruenda est vlterius Sacramentis, quòad consecutionem auxiliorum, quæ nomine sacramentalis gratiæ veniunt. Hæc enim conferuntur habitualis dumtaxat intuitu gratiæ, quatenus à tali Sacramento recepta, diuina institutione, ad ea ordinatur auxilia, transacto iam Sacramento. Cum hoc tamen, gratiæ etiam sacramentalis respectu, Sacramenta causas physicas nuncupato, specificatiuè tamen loquendo, nimirum physicas causas habitualis eius gratiæ, cui Dei institutione sacramentalitas, hoc est ius ad eadem auxilia, transacto iam Sacramento à Deo obtinenda, adhærent. Neutiquam reduplicatiuè,

nempè quò ad sacramentalitatem, ac ius præfatum, quod dubio procul, est morale tantùm, ac rationis ens, multòque minus quò ad ipsa auxilia, transacto Sacramento conferenda, homini Sacramentato; esset enim ne dum ridiculum, sed prorsus contendere impossibile, quod non existens actu, physicè operetur, vt explicatum est supra. Subindè absolutè enunciando Sacramenta gratiæ sacramentalis physicas causas, nusquam offendes; Cum sint vsu communi, iuxtà sensum accomodum, loquutiones acceptæ: nec virorum quispiam vnquam de aperto impossibili, sicut antecedenti capite adnotauimus, seriò disputarit. Cæterùm quandocumque Sacramenta actu existunt, & ad operandum nullum offendunt impedimentum, physicè causare, satis est eodem superiori capite demonstratum, & ex sequentibus enucleatiùs etiam illustrabitur.

6 *Sacramenta verò actu existere, entia licet sint successiua, luculentissimè liquet. Entia enim successiua, quis ibit inficias, per vltimam saltem particulam, verè, propriéque existere? In vltima namque particula, veluti in termino, in quo nulla alia superest pars acquirenda, & omnes acquisitæ sunt, integralis perfectio totius entis successiui, cunctis superioribus partibus connotatis, consistit.*

7 *Atque adeò per vltimam particulam causando, causare dicuntur secundùm se tota: operari enim per vltimam particulam, ac operari per omnes partes elapsas, vnum, & idem est: nam nisi præcessissent partes, vltima particula nequiret, vt terminus, earum omnium continere virtutem. Quarè quamquam sola vltima particula sit causa physica immediatè exequutiua, omnes nihilominus illæ partes præcessæ, præcipuè, ac principaliter causare dicuntur; ipsique toti Sacramento tota denominatio*

tribuenda, veluti toti homini, licet operetur per ſolas manus immediatè, quæuis aſcribitur operatio.

8 *Præterquamquod ſucceſsiuorum duo eſſe genera ſcimus; ſucceſsiuorum ab intrinſeco, & eſſentialiter, vti tempus, & motus; ac ſucceſsiuorum ab intrinſeco, & accidentaliter, ratione videlicet motus localis, per quem producuntur, vt ſonus: licet autem in ſucceſsiuis prioris generis, nequeant partes priores, & poſteriores ſimul produci, aut permanere; tamen in ſucceſsiuis poſterioris generis produci, aut permanere ſimul quis neget? partes ſoni ſint documento, quæ plures ſimul, & in eodem inſtanti, vtique exprimi queunt, quatenus ſonus ex linguæ, ac labiorum impulſu, tantam, ac determinatam aeris impreſsionem ſortitur; ex qua tantus, ac determinatus ſonus, compactis ſimul pluribus partibus conſtans, edatur; quæ partes eſtò etiam ſucceſsiuè emitterentur, & emiſſæ quis prohibet ſimul deindè permanere, ac durare, ad inſtar partium caloris, ſi ſubiectus aer, in quo ſubiectantur immotus perſeueret?*

9 *Hinc Sacramenta, quia cauſant per vltimam particulam, per aliquod indiuiſibile neutiquam cauſare, arguendum eſt: etenim illa vltima particula ſoni, qua Sacramenti forma perficitur, ſemper diuiſibilis eſt, & extenſa, tum ratione maioris, minoriſq; ſuæ latitudinis, cum reſultet ex tanta, ac tanta aeris compreſſione, miniſterio labiorum, & linguæ, ſecundum quam eſt determinata, ac tanta, habens multas partes ſimul; tum ratione ſubiecti, quod immotum perſeuerans, plures partes ſimul coagulat, ſeruatque.*

10 *Nihilominus Sacramenta cauſare in inſtanti, annuimus vltrò, nimirum ob formæ ſignificationem, quæ ipſorum formalis moralis eſt ratio; hæc quippè in inſtanti perficitur, cum ſit indi-*

 uiſibilis,

uiſibilis, non enim niſi completis partibus omnibus ſenſibilibus ſoni, ad ipſam repræſentandam directis, quæ vtique in inſtanti complentur, reſultat; quamuis enim motus localis incipiat extrinſecè, ſiuè per vltimum non eſſe ſui, determinata tamen qualitatis extenſio, per ipſum motum localem acquiſita, per primum eſſe ſui, incipit in inſtanti.

Quod in ſimili intenſione caloris, vt duo, cernere eſt; in qua, licet inſtans ſit extrinſecum motui, tamen termino caloris, reduplicatiuè vt duo, intrinſecum eſt. & in acquiſitione loci, in qua inſtans eſt intrinſecum vbi, reſpectu loci, cui correſpondet ipſa forma vbi modalis, licet ſucceſsiuè acquiratur.

Idipſum prorſus intelligas de ſono, prout eſt tantus, ac tantus, quo poßit exprimere, ſignificareq́ proferentis intentionem; nec.n. expreſsio, aut ſignificatio, equidem verbalis, non purè mentalis, ideòque conſiſtens in determinato ſono, ex quo deſumatur ſenſibilis expreſsio, ſiuè ſignificatio ipſa, alias exprimeret, aut ſignificaret; ad quam ſenſibilem expreſsionem, cum requirantur partes, Sacramenta liquidò in inſtanti, non tamen per indiuiſibile, ſed per partes phyſicè cauſare, tandem concluſum manet.



Digitized by Google

CAPVT XI.

CREATVRA EST AD CREANDVM ASSVMPTIBILIS.

ELENCHVS.



1 Acramenta per Characterem, vel ornatũ effectum in Anima, dici nequeunt attingentia gratiam.

2 Velut neq; per coniunctionem ipsius gratiæ cum Anima.

3 Creatura tum ad creandum, tum ad anihilandũ aßumptibilis.

4 Ad creandum infinita Virtus minimè requisita.

5 Creatio ab effectus creati entitate distinguitur.

6 Actio neutiquam in agente recepta.

7 Quì Deus sit sine sui mutatione Creator.

8 Actio in agente tantùm denominatiuè, quodq; extrinsecè perficit.

9 An, et qua actio reponenda in subiecto.

10 Creatio in creato effectu reposita.

Digitized by Google



Iuinam gratiam creari in Anima, non verò dè eiusdem educi potentia, Doctorum aliqui deputantes, de consequio, eam à Sacramentis physicè causabilem inficiantur, ex quo nolint, creaturam, nec etiam vt instrumentum, esse assumptibilem ad creandum.

1 *Ut verò quadantenus gratiam à Sacramentis physicè attingibilem substineant, ad Characterem, vel ad ornatum illum, quem cætera Sacramenta præter tria volunt producere, quidam eorum confugiunt; ratione cuius Characteris, vel ornatus, quem deindè gratiam comitetur, Sacramenta gratiam ipsam, eo ipso physicè attingere, ex consequenti denominentur.*

Atquì difficultatem seriò non effugiunt isti, eadem quippè viget, proindè atque gratiæ, de productione harum rerum, quæ non minus quem gratia sunt supernaturales. Prætermisso etiam, quod ille de cæteris quatuor Sacramentis ornatus gratis confingatur, quodque Character, ex quo ipsis etiam perditis hominibus, vt c.6. n.2. edocuimus, insit, cũ diuina gratia necessariò non coniugatur.

2 *Alij ad adnexionem gratiæ cum anima recurrentes, Sacramenta ideò physicè diuinam attingere gratiam decernunt, quod eiusdem colligationem physicè efficiant, ea prorsus ratione, qua homo entitatem animæ rationalis physicè attingere perhibetur, solùm quia physicè illam corpori adnectit, quatenus ad efficiendum formalem effectum, coniungere tantummodò formam cum subiecto satis esse sibi persuadent.*

Verùm nec isti difficultatem euadunt, etenim cum nil aliud sit efficere coniunctionem, seù inhærentiam accidentis, nisi edere accidens, in rerum natura, vt infra; de consequio coniungendo Sacramenta gratiam cum anima, eo ipso gratiam ipsam per physicam

productionem attingere, ex intrinsecis rei euidenter conuincuntur. Præterquàquod Concilio Florent. Decreto de Sacramentis, *definiente Sacramenta, non solum iustificare, sed etiam gratiam continere, & causare;* Arausicano, & Tridentino *Sacramẽtis vltra iustificationem: ipsam gratiæ cum anima coniũctionem, seu formalem informationem resonantem: gratiæ insuper causalitatem, seu attingentiam attribuentibus vt c. 4. n. 3. adnotauimus, hic modus loquendi vim apertam, ac manifestam infert.*

Superest itaque ex integro hæc altera difficultas biceps diluenda, quæ multis implicita quæstionibus, nobis Dædali labyrinthi ad instar obijcitur.

3 *Et quidem in primis falsum omninò reputamus, creaturam nequire, vt instrumentum Creatoris assumptam, creare. Quam .n. assignabimus implicantiam? Illam ne, quod quiret pariter annihilare, cum vtrobiq́ par ratio? At quorsum hanc alteram ei facultatem denegabimus? Si namq́ Deus creaturæ potestatem creãdi, & conseruandi rem aliquam pro voluntate tribueret, Vtiq́ per solam subtractionem conseruationis res illa rueret in nihilum.*

4 *Aut fortè illam aliam implicantiã assignabimus ab aliquibus insinuatam, de infinita virtute requisita ad creandum, ex proportionali calculo debitæ atq́ expostulatæ virtutis ad producendũ ex aliquo? Atquì sufficiet virtus finita modo superioris ordinis; non enim arithmetica, sed geometrica attendenda proportio, quemadmodum in visione Beata circa Deum, obiectum quamuis infinitum, finitam tamen creaturam, ad altiorem ordinem medio lumine gloriæ supernaturali euectam, sufficere satis euincitur.*

5 *Vnus fortè refragandi superesse hic locus videri potest, si dicamus nullum adesse in creatione: quæ definitur productio ex nihilo: subiectum, cui ipsa actio creatrix introducatur, cum tamen*

eam recipi in aliquod necesse sit: quod manifestè probatur. non enim (creatio est ipsa met entitas creaturæ); etenim res creata, puta à Deo, & simul à causa secunda, eadem poterant à Deo, nulla causa secunda interueniente, creari; ergò aliquam mutationem assignare est opus, cum prædicationes nequeant variari, & multiplicari sine mutatione in re, quæ mutatio vtique non est assignabilis in re creata, quæ eadem prosus vtrobiq; prômanare supponitur, & infrius latius ostendetur. ergò tota sistit in creatione cum nil aliud superfit, ergò vlterius assignandum est subiectum, cui hæc mutatio accidentalis inhæreat, cum gratia omnis mutationis sit expers ex vna parte, ut suppositum est, & ex altera nequeat accidens cõsistere sine subiecto, à quo substineatur, ut notũ est in philosophia.

6 *Porrò ultrò concedimus actionẽ in agens non recipi, ex* Arist. 3. Phys. tex. 18. *vbi diluendo insuper obiecta, concludit in terminis, Actionem, & passionem identificari*. Et 3. de Anima tex. 134. *idem repetẽs ait* Motus, Actio, & passio est in eo quod mouetur, actiui enim, & motiui actus in patiente fit.

Quod ẽt ex ipsa actione transeunte, ita appellata, quod extra agens migrãdo, & transeundo emittatur in passum, liquet magis. Ex qua idem fas est colligere de immanente, hoc tantũ cũ discrimine, quod illa in passum distintum ab agente, hæc in passũ agenti quidem identificatum, ast non reduplicatiuè, vt agens, sed solum specificatiuè, nempè quod agens simul est, recipi intelligatur.

Eadem certè ratio de vtraq; actione esse põt, vt, sicut effectus nequit esse in agente, quãquã ab eo fit, ita pariter in eodem actio nequeat residere, quippè ab agente, non minùs quã effectus procedat.

7 *Secus explicare Deũ creatorem absq; sui mutatione, arduũ ne dicam, prorsus impossibile foret; neq; enim ad actiuam quandam creationem existentem in Deo ab æterno recurrere est integrum;*

hæc namque actio sicut alia quælibet, sine suo effectu, quem deinde ponimus in tempore, esse nequit, neque etiam recurrendum ad puram relationem de nouo aduenientem, tum quia actio, cum sit relatio transcendentalis, quippè entitas essentialiter relata ad agens, à quo fluit, & ad effectum, ad quem dirigitur, implicat separari à relatione; tum quia vlteriùs indè liberum non maneret, vni potius, quam alteri eam adscribere, cum sicut alterutriq; collocetur, secum semper deferat eandem relationem ad vtrumq; ita non intercedat ratio potior, cur ex hoc capite, in vno potius, quam in altero sedere habeat.

8 *Quarè pro resolutione, non plusquam denominatiuè actio agenti tribuenda est. Vt ideò ab actione agens denominetur, non quod ei insit subiectiuè, non enim denominatio consueta desumi iuxta rei exigentiam, formam exigit inhærentem, vt discurrenti patebit. Vnde in re nostra, hoc solum quidpiam, agens appellabitur, quod actiuum sit principium actionis. Vel si inhærentem formam contendas, dicam ipse, non ab actione, sed ab agendi virtute agens denominari.*

Hinc vulgatũ dicteriũ. Agens perfici per actionem: de extrinseca perfectione explicato, quatenus agens ad illam tanquã ad suũ exercitium destinatur; ita ut moralem quandam perfectionem, seu prærogatiuam, physicam nil minùs, ab actione fortiatur.

9 *Neq; tamen, quia remouerimus actionem ab agente, subindè eam in subiecto necessariò reponendã indè arguas; secus neq; respectu Dei actionem creatiuam agnosceremus. licet .n. actiones, quæ sunt viæ ad terminum, seu ad effectum educendum de potentia subiecti, in eodem subiecto recipi, in quo etiam recipiuntur termini, seu effectus ipsorum, non controuertamur, cum etenim huiusmodi actiones educantur de potentia subiecti, sanè opportet*

eidem ſubiecto ineſſe, in quo effectus, quia eductus pariter recipitur; quippè ineſſe effectui, veluti ſubiecto, ex eo præ cæteris repugnat, quod ſubiectum formæ recipiendæ ſaltem in priori naturæ præſupponatur, vbi effectus tantùm abeſt præcedere actionem; quin ea poſteriorem eſſe, hoc ſolum quod effectus ſuum eſſe per actionem ſortiatur, manifeſtè euincit. Tamen in actionibus, quæ ab effectibus minimè diſtinguntur, qui non tantùm actiuè, verùm, & formaliter ab agente fiunt, atq; dependent, nullatenus id poſſumus ſubſtinere. hæ namque palàm rationes ſunt eſſentiales, ac ipſorum met effectuum entitates.

10 *Simili ergò neceſſitate compulſi, aut veritate, ſaniori modo loquendo, illuſtrati, ſubiectam actionem creaturam, de qua agimus, quid ni in ipſo effectu citra omnem dubietatem collocabimus? præſertim quod nil aliud, in quo collocetur ſit reliquum; vt propterea neceſſe fiat manibus, pedibuſq; in remetiſpa creata eam collocare, conſequenter rem creatam mutari quidem, at ſolum extrinſecè, ipſa deindè intrinſecùs immutata manente, affirmamus; nec plus concludebat ſuperiùs allatum argumentum, de re per eductionem, aut per creationem eadem ſemper inuariata manante; minimè tamen ſubiectiuè ineſſe: quamuis ab ipſa dependeat ceu modus: cũ illã non informet, ſed terminatiuè, quatenus terminatur ad illam, ſe habere adnotamus. Quod eſt, potius adhærere, quam inhærere, coniungi alteri, quam eſſe in altero; cum præſertim creatio fuerit Philoſophis inuiſa ſicut & inuiſum quodlibet accidens, quod non educatur de potentia ſubiecti. Vt ideò illam Philoſophi definitionem; Accidentis eſſe eſt ineſſe; accidentibus dumtaxat de ſubiecti potentia eductis competentem, Philoſopho agnitis, omninò reſpuat, atque reijciat.*

CAPVT XII.

QVIBVS INSTRVMENTIS REQVISITA AVT NON, PRAEVIA ACTIO AD EFFECTVM.

ELENCHVS.

1 *SUpernaturalibus instrumentis neutiquam requisita, immò impossibilis praeuia actio.*

2 *Quæ nec semper naturalibus est exigita.*

3 *Instrumentorum naturaliũ duo genera.*

4 *Prioris generis instrumentis Sacramenta minimè comparantur.*

5 *Secundum instrumentorum genus quale?*

6 *Hisce Sacramenta quomodò comparentur.*



Rgent nostram sententiam validiùs alij, creaturam vel assumptam instrumentaliter creare impotentem autumantes, quod instrumentum præuia quadam actione, ante agens principale circa subiectum veluti præludat necessum sit, cum tamen subiectum nullum in actione adesse creatiua, vnquam addubitauerit nemo.

1 *Verùm, si de instrumentis supernaturalibus, cuiusmodi sunt Sacramenta respectu gratiae, sermocineris, haec actio praeuia minimè necessaria, immò imposs ibilis illicò displalescit. Minimè quidem necessaria; cum enim Sacramenta à Deo pro libito, non autem de se, siuè ex natura rei, ordinentur ad gratiam, cur operationem ad eam dispositiuam exposcent? Sicuti enim ad eandem per supernaturalem Dei ordinantur influxum, non minùs per eundem quicquid est opus, Largè suppleri queit; vt ideò sine praeuia aliqua operatione ad influendm in gratiam, immediatè eleuari dicantur.*

Immò: vt diecbamus; haec praeuia actio in istis instrumentis supernaturalibus impossibilis est; cũ enim sit semper naturalis, & circa materialia versetur, quo nam pacto ad effectum spiritalem, & supernaturalem disponet? Potissimum verò in Eucharistia, & in quibusdam alijs Sacramentis, redditur omninò inexplicabilis, vt discurrenti patebit.

2 *Proindè Sacramentorum ea actio circa corpus, eadem Sacramenta, veluti per quid praeuium apta ad gratiam causandã, neutiquam reddit, sed ipsam ad summum instrumentariam Sacramenti rationem componit, Christi Domini actionum ad instar, quae eiusdem sacrae, & viuifica humanitati, ad miraculorum patrationem coniungebantur. Haec de instrumentis supernaturalibus. si deinceps de instrumentis naturalibus sit sermo; An haec praeuia actio in hisce omnibus habeat locum? Non hercle, nisi in ijs quae nos commodè in primo genere instrumentorum mox collocabimus.*

3 *Duo itaque naturalium instrumentorum sunt genera. Primum attingentium, ceu principales causae, naturali virtute propria aliquem effectum praeuium, v. g. calor calorem, eodemque*

Digitized by Google

effectu medio, attingentium deinceps effectum causæ principalis, atque adeò per præuiam quandam actionem.

Quem effectum principalem ideò attingunt, aut simul cum concursu principalis agentis, si sint instrumenta coniuncta; vt calor in igne, ad producendum alium ignem, cum concursu ipsius ignis seu propriæ ipsius combinationis principaliter producẽtis; Aut si sint instrumenta separata, vt semen ex animali decisum, cum concursu procedente saltem ex virtute propria principalis agentis, in ipsis ab eodem agente principali relicta. quæ virtus distincta est à præcedenti virtute, puta calore, igni, aut alijs etiam agentibus calidis cõmuni, per quam ea instrumenta de se totaliter, ideoq; non vt instrumenta quatenus etiam nec in virtute alterius producunt calorem, seu quemcumq; alium effectum, deseruientem vt actionem, vel dispositionem præuiam ad effectum principalem.

Nisi enim ad effectum primarium, ultimatumq;, in virtute nobilioris agentis principalis concurrerent, iam contra communem hominum sensum, modumq; loquendi, nobiliorem effectum se ipsis efficere rectè minimè dicerẽtur. Sicuti nec reuera causa principalis eo ipso agere diceretur; quæ proindè sicuti instrumento coniuncta sua virtute concurrit, ita separata, concurrere vicaria sua virtute necessum habet; ex quo virtus hæc siuè separata, siuè coniuncta principali causæ, eadem semper est, cum nil aliud sit, quam ipsummet instrumentum, pro vt virtus causæ principalis.

Id quod de virtute suaptè natura coniuncta, puta combinatione ignea, si à Deo mirabliiter separaretur, apta vtrobiq; producere verum ignem, euidentissimum cernes.

4 *Sed enim in hoc naturalium instrumentorum genere, per comparationem neutiquam Sacramento reponimus, vt quæ nullum alium anteriorem effectum attingãt, nullãq; subinde præuiã edere*

habeant actionem ad gratiam. Namque hiſce inſtrumentis naturalibus, ideò diſpoſitiua, aut præuia prærequiritur operatio, quod cum ex ſe, ſiuè ex natura rei, principali agenti ſint neceſſario adiumento, veluti ad effectum illius à natura determinata, de conſequio huius ergò determinationis, ne ſit inanis, virtutem, perfectionemq; agendi, ſeu diſponendi: vt alijs placet: ad eundem effectum ex natura rei ordinatam, et proportionatam inuoluere opus habet; cum aliud quippiam præter actionem, vel diſpoſitionem: ne ſine neceſſitate entium formalitates accreſcant: confingi nequeat.

Hac autem virtute, perfectioneq;: vt cohærenter loquamur: niſi medio inſtrumentali effectu, in rõne actionis, ſeu diſpoſitionis præuiæ ad effectum primarium, qui ex virtute, ſeu perfectione eadẽ procedat, et ipſi correſpondeat, nequaquam inſtrumenta gauderẽt. Niſi etenim præuia hæc entitas producta, ut actio, ſeu diſpoſitio ad effectũ primariũ concedatur, nil erit aliud per quod uirtus perfectioq; inſtrumentorũ ordinari, et proportionari ad effectũ queat principalis agentis. Ac ſubindè, cur huius potius agentis ad hunc effectum, quam alterius ad alterum dirigatur. Neq; ſubſiſtit, quod virtus illa, perfectioq; ad eundem effectum principalem ordinari per ſemetipſam dicatur, ſciſcitamur; etenim, cur ſimiliter hæc potius virtus, perfectioq;, quam alia quæuis alterius inſtrumenti: cum nihil peculiare habeat ipſi correſpondere: immediatè ordinatur?

Sacramenta porrò, vt dicebamus, ex quo pro Dei libito, non autem de ſe, ad diuinam gratiam ordinentur, neutiquam virtutem diſpoſitiuam requirent.

Tum magis, cum hinc Sacramenta fruſtra adhiberi perperam inferatur. Nam quamuis minimè præludendo ueluti ante gratiã, maximè tamen ad aliquid diſponunt, & ſeruiunt, cũ aſſumantur, vt inſtrumenta accomodata, per eam, qua conſtant naturali uirtu-

te, ad producendum effectum creatum, finitumque, qualis est ipsa quoq; gratia, quæ ratio creationis, & finitudinis effectæ gratiæ, ipsis Sacramentis, sicuti Deo agenti principali ratio supernaturalitatis, respondet. Quamquam cũ Sacramenta sint instrumenta pro libito assumpta, quid ipsis speciale correspondere in effectu, aut ad quid assumantur assignare est opus? cum sufficiat gratiæ productionem, à quacumq; alia possibili eiusdem gratiæ productione assignare distinctam; puta qua à solo Deo indepẽdenter ab ipsis Sacramentis, aut à Deo, & ab alia causa secunda à Sacramentis diuersa, gratia prodiret: sufficientissimum equidem est fundamentum hæc productionum varietas, asserendi eandem numero gratiam, nunc dependenter à Sacramentis, non à Deo solo, nunc à Deo, aut solo, aut vnà cum causa secunda, diuersa tamen à Sacramentis, produci.

5 ***Secundum instrumentorum naturalium genus est, attingentium principalis agentis effectum, per uirtutem quidem natiuam, ad illum naturaliter ordinatam, sed tamen absq; vlla priori alterius instrumentalis effectus causalitate, qui sit præuia actio, seu dispositio ad effectum principaliter intentum; dissimiliter atq; de antecedentibus assertum est; vt ideò id genus instrumenta, sua actione, vnà tamen cum impulsu, & concursu agentis principalis, effectum immediatè attingant. Quo quidem dicendi modo, effectus reuera ab vtroq; dependet, nempè ab agente principali, cuius absq; impulsu, & concursu, nec ipse, nec actio instrumenti prodirent; & ab instrumento, à quo, subordinatè agenti principali, suam effundente actionem, verè procedit. Eiusmodi sunt phantasma cum intellectu agente ad producendam speciem intelligibilem, & species cum intellectu ad intellectionem.***

Omniaque instrumenta Artificum; ad effectum agentis princi-

palis concurrentia quidem per virtutem propriam, ordinatam ad illum, quatenus taliter, & taliter de se aptata, sed absq; priori aliqua attingentia, seu causalitate alicuius antecedentis alterius effectus, quo medio attingere habeant effectum principalem; per solum enim motum sibi ab agente principali impressum, & nil præterea, concurrunt, vt liquidò constat.

Hic autem motus, siuè impulsus ab agente principali, essentialiter, & immediatè, ad solum effectum ipsum: vt mox dicemus: agentis principalis ordinatur, quo sine, nec quidem concipi valet; quare quicumq; alius effectus præcedens, & quæcumq; alia attingentia præcedentis alicuius effectus, veluti præuia actio ad effectum principalem, impertinentia sunto.

Exemplum habes in serra, qua, vi accepta à fabro, ligni partes ingrediendo, fit effectus artificiatus in ligno, per motum ita attemperatum ex vi impressa à fabro, & virtute serræ taliter, & taliter efformatæ, vt tàm ab ipso, quàm à serra respectiuè, absq; alio quocumq; medio effectu effingatur; item in calamo, qui per solum motum receptum à scriptore, in varia loca deferens atramentum, Characteres efformat: sicut, & in Cymbalo, per impreßum motum à pulsante, taliter aerem verberante, vt ex motu, & aeris verberatione, alio quouis circumscripto, sonus, effectus principalis agentis, edatur, cuius proindè aer instrumentum immediatum, Cymbalum mediatum, Cymbalista causa principalis dignoscitur.

6 *Huius generis instrumentis, Sacramenta immediatè eleuari quò ad potentiam obedientialem, nulla virtute superaddita interueniente opinando: de qua re in calce tractatus: aliquo modo comparabimus; non enim nisi Dei influxu, agentis principalis interueniente: vt in allatis instrumentis ostensum est: operari in ea sententia consequens fit.*

Veruntamen amussitata non erit comparatio, nam Sacramenta, ita primariò, & immediatè terminantur ad gratiam, vt ad nullum alium terminum, effectumq; terminari, dirigiuè dicantur. At motus v. g. serræ, primariò ad vbi, secundariò ad figuram, quamquam terminos seu effectus ab inuicem ex natura rei inseparabiles, ac per eandem actionem effectos terminatur. Nec officit motus localis, rei: quod aiunt: nullius effector. Illud siquidem pronunciatum, significat motum primariò non nisi ad vbi, & secundariò ad rem aliam terminari, quid impedit? Ni explicare velimus motum localem nullius rei, idest, neq; substantiæ, neque quantitatis, neq; primæ qualitatis, quæ cæterorum motuum sunt termini, & effectus, esse productiuum.

Aliud insuper discrimen assignare est, nam naturalibus instrumentis, concursus agentis principalis est debitus, & connaturalis ad effectum siquidem in se naturalem, & eis instrumentis connaturalem datus; Sacramentis autem est indebitus, ac supernaturalis, quippè directus ad effectum entitati ipsorum naturali indebitum, quia supernaturalem.

En tibi, quem reperit locum præuia actio in naturalibus instrumentis; cum cæterùm: vt hactenus est probatum n. 1. & 2. in supernaturalibus nullum prorsus sibi vindicet. quarè plumbeo adhuc dimicat ense, qui hac fretus actione præuia, ad rationem instrumenti prærequisita, ex quo creatio careat subiecto illius præuiæ actionis susceptibili, creaturam vt instrumentum ad creandum denegat assumptibilem. At verò præuiam actionem ipsi proindè consultò reiecimus, quam oppositæ sententiæ edisseruere Doctores, gratiam neutiquam educibilem reputantes, aperto in quos marte sequenti capite digladiabimur.

CAPUT XIII.

GRATIA, VERE, PROPRIEQUE DE POTENTIA EDUCITUR ANIMAE.

ELENCHVS.

1 ACcidens omne, extra causas, cum inhærentia ponitur.
2 Quæ inter Gratiam, & Animæ eam recipientis potentiam proportio.
3 Ad gratiam recipiendam, Animæ potentia receptiua, per extrinsecum dumtaxat supernaturalem Dei influxum perficitur.
4 Infusio cum eductione cohæret.
5 Quod fiat res à solo Deo, eductionem non respuit.
6 Ad eductionem impertinens agens, velut naturalis causa, aut supernaturalis concurrat.
7 Rationalis Animæ Creationi aliqualis à corpore dependentia non officit.
8 Formæ substantiales corruptibiles subiecto haud inhærent, sed inexistunt.

Digitized by Google



Hysicæ causalitatis osores: vt præmisimus c. 11. pro certo, gratiam non educi de potentia animæ, sed in ipsa creari, iactabant habendum. Quod estò veritati concineret, non tamen physicam causalitatem euerteret; posse enim creaturam assumi, tanquam instrumentum ad creandum, mox demonstrauimus.

1 *Atquì neque verum est hoc eorum assumptum, gratia quippè, quamuis à solo Deo pēdens, nullo concurrente instrumento creato, adhuc educeretur. Omne enim accidens in rerum natura cum inhærentia ponitur, per quam coniungitur subiecto; adeò vt ab illo, tum in fieri, tum in conseruari dependeat. quod est idem, ac nequire, ipso subiecto non concurrente, ad sustentationem, connaturaliter fieri. In quo tota ratio eductionis est posita, secundum philosophos.*

Rem, inquies, aliter se habere in accidente supernaturali, quod accidentis physici neutiquam definitionem ingrediens, vtiq; non inhærebit, sed adhærebit tantummodò subiecto.

Verùm: vt exemplificauimus capite 11. n. 10. illud tantùm accidens adhærere, non inhærere dicitur, quod habet non educi; cuius ex supernaturalitate nequaquam, sed ex natura rei sortitur originem. Creatio .n. via cum sit ad terminum, siuè ad effectum, nullo præsupposito subiecto, iam à subiecto dependere non valet. Gratia verò tantùm abest, vt non supponat subiectum ad sui productionem, quin: saltem connaturaliter: nequeat sine subiecto produci; nequit siquidem, nisi in Anima, siuè in alia spirituali substantia, quam gratam reddat produci, sicuti nec ualet, nisi præter naturam, existere independenter ab illa, vt de cunctis qualitatibus, seu habitibus liquidissimè patet.

2 *Verum difficultatem redintegrat, proportionem inter actum & potentiam prærequiri, quæ inter gratiam, & passiuam potentiam Animæ, nulla est intercedere potis; Gratia siquidem est supernaturalis, potentia vero naturalis, vt quæ naturalem essentiam Animæ necessariò consectetur: Vnde, sicuti nequit Anima natuturaliter comparare gratiam, pari modo videtur ad illam nequire naturalem habere potentiam.*

Sed eneruatur ex eo, quod nequeat Anima, in ratione potentiæ proximæ prodeuntis in actum, recipere se sola gratiam, indigeatq; proindè Dei concursu, eleuante ipsam ad supernaturalitatem. Quarè potentia receptiua est supernaturalis, ipsa nimirum obediẽtialis potentia Animæ, naturalis entitatiuè, supernaturalis verò in ratione potentiæ, non quidem cuiuscumq; sed solius proximæ, completæ, integræ, et perfectæ. Cum alioqui in ratione potentiæ incompletæ, & remotæ, & in actu primo, satis exploratum sit, naturalem adesse, quatenus in anima spiritali, capacitas natiua adest ad gratiam, accidens similiter spiritale; iuxta illud August. de prçd. Sanctor. c. 5. posse habere fidem, aut charitatem naturç est hominum: habere autem, gratiæ est fidelium.

3 *Caue, credas potentiam receptiuam animæ, fieri supernaturalem, & proximam, & completam, per rationem potentiæ obedientialis, ob adauctum Animæ aliquid, vltra ipsam gratiam, quod prius ante receptionem gratiæ non adesset, & per quod intrinsecè reddatur proximè, perfectè, & supernaturaliter potens ad recipiendam ipsam gratiam; eo modo quo Theologorum aliqui voluere, lumen gloriæ deseruire, esseq; necessarium; ne dum in ratione principij actiui, ad eleuandum intellectum, vt possit beatam elicere visionem, verum etiam in ratione principij passiui, ad ipsum intellectum pro visione recipienda, aptuandum, ac disponen-*

dum; qui alioqui ex sola ratione communi, & naturali potentiæ passiuæ, ceu improportionatus, inferiorisq; ordinis, esset inhabilis. Hoc enim totum euidenter in re præsenti cōmentitium patet; neq; enim aliud entitatis creatæ reperitur in anima, præter ipsam gratiam; quid enim illud est, & à quibus, & ex quo fundamento inuectum? aut si aliquid dicatur esse, ignotum tamen, non est quod dicatur naturale, quia eodem rediret difficultas, neque dici potest supernaturale, quia in anima alia entitas supernaturalis, per quam redderetur habilis ad illud supernaturale recipiendum, assignanda vtiq; foret. Vnde ne in infinitum aberres, animam denudatam à quacumq; entitate superaddita, per solam entitatem suæ potentiæ natiuæ, posse recipere gratiam confiteri necesse tibi. Neque etiam ipsum Deum immediatè concurrere vales dicere, ni concursum causæ passiuæ, & subiectiuæ eidem attribuas, quem ab ipso philosophorum schola reijcit vniuersa.

Cum ergò potentia receptiua animæ non fiat supernaturalis, proxima, & completa ad recipiendam gratiam, per aliquod sibi intrinsecè superadditum, fieri per solum influxum supernaturalem extrinsecum Dei, concurrentis in ratione agentis supernaturalis, ad ipsam gratia in anima producendam, fit reliquum.

Quod ratiocinatione, ducta ab effectibus naturalibus, dilucidam sibi explicationem conciliat: notum enim est in naturalibus, quò subiectum est magis dispositum, eò agens faciliùs, & intensiùs, ad mensuram illius dispositionis, suum in eo effectum inducere; & eò etiam subiectum eundem effectum tenaciùs retinere. Hinc è conuerso, quò subiectum sit minus dispositum, cum eodem influxu effectum remissiorem recipere, adeò vt, ad recipiendum effectum præcedentis mensuræ intensionisque; maior, & validior in agente requiratur influxus.

Digitized by Google

Ex quibus principijs, superiori capite 6. collegimus, Characterem Baptismalem gerentem in anima munus principij passiui, seu dispositionis, ad gratiam cæterorum Sacramentorum recipiendam, hanc eidem animæ vtilitatem afferre, vt cum pari influxu gratiam intensiorem recipiat, tenaciusq; retineat, quam alioquì cæteris paribus, reciperet, ac retineret.

Quæ omnia argumento sunt, potentiam passiuam suppleri, & augeri posse, per extrinsecum influxum agentis. Anima igitur, per suam natiuam potentiam in ordine ad gratiam supernaturalem, est quidem aliqualiter potens, velut habens capacitatem, idest rationem communem, & naturalem potentiæ passiuæ, & receptiuæ accidentium. Quo sensu benè procedit illud supra relatum Augustini. Posse habere fidem, aut charitatem, naturæ est hominum. hæc nihilo seciùs potentia, omnis supernaturalitatis expers, cum tota à natura sit directa, & ordinata ad solos effectus naturales, non est completa, vt de se liquet; sed solum initiatiua, remota, in actu primo, & incompleta; cuius imbecillitati roborandæ, cum nil certè intrinsecum assignetur, extrinsecus agentis concursus loco substituitur, ita ut in hoc casu, agens id quod desideratur in ipsa anima, sua habeat efficacitate supplere. Cum autem ad talem effectum, requiratur, sufficiatq; tale agens, & ad maiorem effectum requiratur, & sufficiat maius agens; euidenter per regulam proportionis, ad effectum supernaturalem requiri, & sufficere agens supernaturale colligitur. Accedente igitur Deo in ratione agentis supernaturalis, iam illa potentia supernaturalis effecta: atq; adeò potens, & vsquequaq; completa, ad proximè recipiendam gratiam supernaturalem efficitur.

Potentia itaq; Animæ receptiua, quamuis in entitate tota naturalis cum sit ipsimet Animæ à natura ingenita: sumpta deindè

cum influxu supernaturali Dei agentis supernaturalis, vel: quod idem est: substans, & subordinata tali agenti, & ipsius influxui, quomodò dicitur obedientialis, ceu nata obedire Deo Creatori, cui nulla vnquam restitit creatura, iure optimo supernaturalis, eoq́ ipso completa, & proximè potens ad recipiendam gratiam supernaturalem dicetur, cum totidem habeat rationes, quot sunt formalitates gratiæ, quibus debet respondere; à natura enim rationem communem potentiæ, seu capacitatis passiuæ, & ab influxu supernaturali supernaturalitatem sortitur, per agens: vt dictum est: defectu potentiæ passiuæ suppleto: præter quas formalitates, nil aliud reperire est in entitate gratiæ, cui ipsa potentia habeat correspondere, quo minus dici nequeat in ordine ad ipsam perfecta potentia, & adæquata; id quod innuitur per Augustinum loc. cit. *subsequentibus verbis*. Habere autem fidem, vel charitatem, gratiæ est fidelium, *ly enim*, gratię, *quis de ipsa gratuita fide, & charitate intelliget, nisi identicæ, & ridiculæ prædicationis amicus? Superest ergò de gratuito influxu Dei agentis supernaturalis intelligatur, quatenus ex eius supernaturalitate, ipsa potentia ex actu primo ad actum secundum, proximum, & completum habendi fidem, & charitatem traducatur.*

4 *Nec tamen communior ille modus dicendi. Gratiam infundi in animam, vllatenus quam ponimus eductionem redarguit. Rei enim cuiusque infusio altius dumtaxat importat principium, superiusque, ac minimè eiusdem ordinis cum eo, in quod effunditur, siuè deindè res educatur, siuè non, quod nil refert ad rem. Namque Sapientia Salomoni dictitatur infusa, quamuis naturalis, & eo ipso procul dubio de potentia eius intellectus educta. Itaque infundi dicitur gratia, non quia de potentia animæ*

non educta, sed quia à solo Deo facta, aut eo saltem concurrente, vt causa principali, quando fit Sacramentis medijs, siuè potiori etiam iure media sola contritione, quæ non est instrumentum physicum ad modum Sacramentorum, sed mera tantummodò dispositio; causaquè moralis.

5 Porrò neque nostra hæc sententia corruit ob id, quod Gratia in rerum natura, nisi viribus solius agentis supernaturalis Dei sit apta nata reponi. Cælorum quippè formas à solo Deo producibiles, & de facto à solo Deo productas, fuisse de potentia materiæ Cælorum eductas minimè dubitamus neque enim phylosophorum acumen eductionem, respectu causæ educentis, vnquam intendit, sed rei eductæ, quæ in re præsenti, cum sint formæ, non nisi dependentes à materia in conseruari, nequeunt non etiam ab eadem non dependere in fieri.

6 Quo fit, vt quomodolibet se se habeat agens, siuè vt naturalis, siuè vt supernaturalis causa, semper res de potentia subiecti dicatur educta, si subiectum rei recipiendæ sustentandæque accurat. Quarè licet infundendo Deus Sapientiam Salomoni, se habuerit vt supernaturalis causa, hoc est supra exigentiam intellectus illius, qui à natura ad tabulæ rasæ similitudinem perpolitus, vtiq; labore proprio erat sapientiæ coloribus expingendus: nihilominus ipsa sapientia fuit educta, nimirum infusa cum dependentia ab anima, à qua recipiebatur, & sustentabatur, extra quam, nec recipi, nec sustentari saltem connaturaliter poterat. Ex aduerso licet Deus infundendo animam rõnalem corpori, se habeat vt causa naturalis: infundit enim iuxta exigentiam præexistentis organizationis in corpore: nihilominus ipsa anima creatur, cum independenter à sustentatione corporis ipsam recipientis fiat, secùs cum corporea emundatur, fere, nequaquam existeret naturaliter.

7 *Verùm rationalis Anima, licet deindè dependenter fiat à corpore, quò ad informationem, nihilominus creari non dubites, cum aliàs eadem anima suaptè natura existere per se queat à quocumque alio independens, vt accidit cum à mole corporea segregatur. Quò fit, vt Anima in creatione, cum simul coniungatur subiecto, quod habet informare, eidem per modum superadditum, & per distinctam actionem ab ea, qua producitur coniungatur, sine quo proindè modo, perfectè, ac connaturaliter existere separatam à corpore, tanquam omninò naturæ rei consentaneum, negari non potest.*

8 *Cæteroqui formas substantiales corruptibiles de potentia subiecti, seu veriùs materiæ educi, nulli dubium, cum ex sua natura coniunctionem requirant, qua sine coniunctione nequeunt existere, non quidem sine inhæsione per quam subiecto coniungantur, vt accidētia, sed sine inexistentia, seu existentia partiali, per quam tanquam partes, simul cum materia altera comparte constitueret compositum per se, quod ex duobus ipsis partibus integratur, ita ut verè, propriéque existere in materia, veluti in subiecto nequeant dici, sed veluti partes in comparte; quæ duo, vt Porphyrius docuit diffidentia inter se, inter formas substantiales accidentalesquè, quamuis pariter de potentia omnes eductas, illas materiæ, istas subiecti, latum posuere discrimen.*

Digitized by Google

CAPVT XIV.

ACCIDENTIS INHAERENTIA AN, ET QVOMODO AB EIVSDEM EXISTENTIA DISTINGVATVR.

ELENCHVS.

1 *ACcidentia modalia tantùm habent indiſtinctam inhærentiam, & eſſentiam.*

2 *Accidens inhærere quid.*

3 *Inexiſtere ab inhærere diuerſum.*

4 *Actualis ne, an aptitudinalis inhærentia indiuiduet accidentia.*

5 *Ab accidentis exiſtentia diſtingui realiter inhærentia nequit.*

6 *In nullo ſigno, nec etiam naturæ, abſq; actuali inhærentia, accidens eſſe, aut intelligi naturaliter valet.*

7 *Accidentis inhærentia ab eiuſdem exiſtentia, ex natura rei diſtincta.*

8 *Vnus, idemq; primæ, & ſecundæ cauſæ influxus accidentis attingit inhærentiam.*

9 *Quæ duplicem habet formalitatem.*

10 *Separato accidente à subiecto, quæ mutatio intercedat.*

11 *Quidquè suppleat nouus Dei prærequisitus influxus.*



Vi diu...am autumant gratiam de potentia animæ non eductam, sed creatam in anima, hoc suum obijciunt Achille. Aut accidentis inhærentia ab eiusdem existentia realiter est discreta, aut ex natura rei, quodcumque dicatur, alterum, atque alterum influxum agentis, tangentem vnam prius quam alteram earum admittere; atq; adeò in illo priori, in quo existentia accidentis tangitur, nondum tacta inhærentia, actionem creaturam intercedere necessum est.

Sed duplicato huic nodo, hoc, & sequenti capite, duplex cuneus à nobis admouetur.

1 *Vnam equidem, eandemque rem accidentis existentiam, inhærentiamq; simpliciter, & absolutè diffitemur. Etenim præter accidentia modalia, cuiusmodi sunt Relatio, Duratio, Præsentia, Figura, & similia; omnesque qualitates vitales, vti Intellectio, & Volitio, quæ omnia, cum nequeant separata existere à subiecto, existere per inhærentiam suam, seu per suam inhærere entitatem conuincuntur. Cætera accidentia, quæ diuinitùs possunt quoquomodo à subiecto existere separata neutiquam per inhærentiam, sed per existentiam existere, atque adeò distingui inter sese inhærentiam, & existentiam consequens fit.*

Quomodo colligimus indè existentiam, subsistentiamque substantiæ discretas, quod reperiatur substantia existens, & non sub-

ſiſtens; ideſt in rerum quidem natura poſita, nondum autem incommunicabilis, Chriſti Domini Humanitate teſte.

De facto autem reperiri accidens exiſtens, minimèque inhærens, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ indubiè accidentia coarguunt; quippè cum ſeparata à ſubiecto exiſtant, carere ſubindè inhærentia, quæ coniunctio accidentis cum ſubiecto, & dependentia ab illo in facto eſſe dicitur, conſequens eſt, nemo enim in hoc ſeparationis caſu, adhuc inhærentiam Euchariſticis Sacramentis impingeret, niſi admittens cauſam formalem, ſine ſuo effectu, cui Philoſophorum ſubſcriberet nemo. Quarè non erit hæc inhærentia idem cum exiſtentia, ſiuè cum accidentis entitate, cum ſine entitate, nulla res valeat extra cauſas exiſtere.

2 *Eſt itaque inhærentia accidentis ab exiſtentia eiuſdem vltrò diſtincta; ſicque nil aliud, quàm mera vnio, coniunctioque accidentis cum ſubiecto, connotans quidem ineuitabiliter exiſtentiã: cum nequeat non exiſtens vniri, non tamen illam intrinſecè imbibens. quo pacto præter vnionem exiſtentiæ accidentis: quam connotat: cum ſubiecto, quod eſt exiſtentiam actualiter fulciri à ſubiecto, tanquam à ſuſtentante, nil aliud importare ſit certum: ita ut inhærentia vnionem dicat in recto, vt rationem formalem; exiſtentiam verò munere ipſius vnitam, non niſi in obliquo, vt terminum connotatum, modo infra explicando. Non aliter, nec alio modo accidens naturaliter exiſtere concipito, hoc eſt niſi media vnione, qua fit, conſeruatur, ſubiectoq; illi inexiſtendo copulatur.*

3 *Eſtò autem formæ etiam ſubſtantiales materiales, ex quo non exiſtunt, niſi dependenter à ſubiecto materiali, materiæ dicantur eo ipſo ineſſe; harũ nihilominus inexiſtentia ab inexiſtentia accidentis longè diſcernitur; quippè quod accidens, nequaquã vt pars alteri comparti, vnum per ſe ſimul conſtantes inexiſtat,*

cum ex aduerso forma substantialis materialis inexistat materiæ, tanquam pars; ex qua, & ex altera comparte vicissim copulatis, totum substantiale eo ipso coalescat. Hinc subiectum substantialis formæ est sola materia totius compars; subiectum accidentis est ipsum totum substantiale, ex materia, & forma resultans. Quæ propterea accidentis inexistentia præssiori vocabulo inhærentia prætitulatur, veluti ipsa generica appellatione inexistentiæ, per differentiam, ad certam speciem coarctata, vbi veriùs substantialis formæ inexistentia genericam appellationem inexistentiæ: quæ ipsius præstantia: iure semper obtinuit.

4 *Indè fit, accidentia per hanc actualem inhærentiam subiecto, minimè differre, seu alterutrum numericè indiuiduari, ideòque Dicteria: si quoquomodo primo aspectu aduersa circumferantur, de inhærentia aptitudinali intelligas, accidentia namque adeò intrinsecè suaptèque natura sunt apta inhærere subiecto, vt sine hac habilitate, respicientiaue ipsis transcendentali, atq; essentiali, nec quidem esse, sed nec concipi, aut cogitari, siuè in fieri, siuè in facto esse: vt loquuntur: omninò valeant. sic vulgatum illud philosophiæ Theorema. Accidentis esse est inesse, nec non illud Aristotelicum dictum* 1. Physicor. tex. 39. Absurdam mẽtem, quę separationem accidentium à substantia quęrit. *Ex eo enim quod accidens, nec quidem sine aptitudinali dependentia à substantia apprehendi fas est, fit vlteriùs, vt nec quidem sine actuali dependentia subsistere deindè in creatis naturaliter queat, qui est germanus recitatorum verborum intellectus, quem nos quoque libenter admittimus. Hæc pro discrimine inter accidentis existentiam, eiusdemque inhærentiam actualem conualidando.*

5 *Caue tamen, ne idcircò intelligas accidentis actualem inhæ-*

rentiam, ab eiuſdem exiſtentia, ſiuè entitate reali realiter diſtinctam, ſicut quidam decepti ſunt conſtituentes propterea in accidentis generatione duo inſtantia naturæ, in quorum quidem priori, agentis actio terminetur ad exiſtentiam illius, & in poſteriori, ad inhærentiam, eo ipſo per neceſſariam ſequelam ex ipſius accidentis naturalibus principijs reſultantem; ſeu: quod in idem recurrit: prius terminetur ad entitatem accidentis extra cauſas, poſterius ad coniunctionem eiuſdem cum ſubiecto, qua porrò media, accidens inhæreat, ac dependenter, tanquam à ſuſtentante exiſtat. Hanc ſiquidem doctrinam, ne dum improbabilem, ſed omninò impoſſibilem, & pugnantia inter ſe ſe inuoluentem firmiter arbitramur, ex eo quod alioquì inhærentiam ſine exiſtentia fas eſſet aſſignare in rerum natura, cum hæc poſſibilis ſeparatio, indiſſolubili nexu, quamlibet diſtinctionem realem: Vt tritum eſt in philoſophia: comitetur, ſitque ratio à poſteriori diſcernendi, inter diſtinctionem realem, ac ex natura rei; quis autem inhærentiam, verum, & proprium modum accidentis, ſine ipſo accidente, cuius eſt modus: de cuiusmodi generali intrinſeca ratione eſt pro comperto exiſtere nequire ſine entitate, quam modificat: vnquam aſsignare auderet? potiſsimum ſemel admiſſo quod iſti Doctores ſubnectunt, inhærentiam reſultare per ſequelam ex principijs accidentis; iſtiuſmodi enim entitates reſultantes, nequeunt profectò ſeparatim exiſtere, vt conſtat de riſibilitate, ſubſiſtentia, atque id genus alijs.

6 Falſum præterea eſt, accidens naturaliter exiſtere ſine inhærentia, in quocumque ſigno id aſſeratur; cum enim accidens ſemper ſit, ſemper etiam à ſubiecto naturaliter dependere oportet; cum hinc dicatur: accidentis eſse, eſt ineſſe; cumque non dependeat, niſi per inhærentiam, vt liquet, liquebit pariter nullo prio-

ri temporis, aut naturæ instanti, accidens naturaliter consistere sine ea.

Deindè hoc dicendi, & opinandi modo, gratiam ipsam educi, non autem creari; saltem in illo priori naturæ, in quo eius existentia ab agente sine inhærentia manaret, nullatenus saluaremus.

Etenim recurratur quamtumuis ad id responsionis, quod in rerum natura cum ponitur accidens, non solum existentia, verùm etiam ipsius inhærentia ab agente attingatur; quatenus vtraque sit terminus adæquatus, ac completus, ad quem suaptè natura: ni impediantur: actiones terminari est opus; non secus atque terminus adæquatus actionis erga compositum substantiale, tum existentia, tum ipsius subsistentia esse conceditur.

Id, inquam, responsionis, quin duæ sint partiales actiones, altera ad existentiam, altera ad inhærentiam, nequit saluare: modò existentiam produci per actionem agentis, inhærentiam verò resultare ex naturæ principijs ad modum: vt præmonitum est: subsistentiæ in natura substantiali, verum sit. etenim cum subsistentia fiat, ex communi Doctorum, per distinctam actionem ab illa, qua extra causas ponitur natura ipsa substantialis; idem proportionatè de inhærentia comparata ad existentiam accidentis, consequitur esse dicendum. Atque adeò priorem illam actionem, veram creationis rationem sortiri, retento, quod in illo priori terminetur ad solam existentiam, ex cuius principijs deindè in posteriori, per naturalem sequelam erumpat inexistentia.

Tùm maximè, si Deus in illo secundo instanti naturæ, ne produceretur, obsisteret inhærentiæ; nequiret ipsa productio existentiæ non dici propriissimè creatio. etenim quod esset actio, vt ipsi dicunt, incompleta, veluti non productiua inhærentiæ, ad quam, ceu ad vltimum terminum, & complementum accidentis, sua-

ptè natura terminari deberet; & ob quam subiecti concursum exposcit. Vt minimum euincit accidens, sortiri quidem in tali casu creationis effectum, quippè extra causas independenter erum pens à subiecto; estò non haberet vt ipsi contendunt creationis naturam, quatenus ipsum emergeret suaptè natura dependere; quod nostra, nec interest, nec abigit difficultatem, nec ingerens nouam subtilitatem, etiam ex hoc capite nobis assidere fas est.

7 Veriùs itaque inhærentiam accidentis, ab eiusdem existentia distingui solum ex natura rei asserimus, quatenus, licet inhærentia nequeat consistere sine existentia, tamen non sit illa, quippè è conuerso existentia: vt accidit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: sine inhærentia queat existere. Atque adeò non distinguitur ab illa, vt terminus à termino, sed vt actio à termino, qui producitur per ipsam, est namq; inhærentia ipsa præcisa coniunctio, per quam fit existentia, & subiecto coniungitur. Quo sensu minimè existentiam includit, veluti sui partem, vt sit sensus, inhærentia est existentia in alio, sed illam tantùm, vt terminum connotat, vt diximus num. 2.

Illam, inquam, eandem connotat, quæ est accidentis existentia subiecto vnita, neque enim datur in accidente duplex existentia, altera, quæ sit existentia accidentis præcisè, & nondum vnitim sũpta, altera, quæ sit existentià accidentis, et vnita subiecto. quorsum .n. vnius, & eiusdem rei plures existentias in mediũ afferre?

8 Atq; inhærentiæ huius entitas, tum ab agente creato, veluti causa secunda subordinata primæ, tum à Deo prima causa prodit, per influxum ab vtroq; manantem, vnum, eundemque, qui coniunctio, seu vnio accidentis cum subiecto in fieri dictus, nil aliud nisi viam ad emittendam inhærentiam à parte rei importat, vt enucleatiùs infra. Quæ quidem inhærentia, mox atque à parte rei

est posita, cum non amplius dependeat ab agente creato à solo Deo, per influxum vtiq; diuersum ab eo, qui promanabat tum à Deo, tum ab agente creato, pendebit. Actionem quippè, per suam entitatem pendentem à causa, variata causa, variari necesse est.

9 *Item duas habet inhærentia formalitates, alteram, qua est vnio, seu coniunctio accidentis cum subiecto, alteram, qua vniẽdo, eo ipso actiuè influit in existentiam eius, ponitq; accidens extra causas. Est quippè coniũgere, efficere esse, seu existentiam accidentis, dependẽtem à subiecto, tanquam à sustentante, & præbere ipsum subiectum veluti sustentans, vnde & dicitur: Accidentis esse est inesse; cum accidens per nullam aliam existat existẽtiã nãliter, nisi per existentiã actu dependẽtem, quia sustentatam à subiecto.*

Cum autem non existens, nequeat alteri coniungi, accidens verò nequeat præexistere, secus crearetur, tanquam à subiecto independens; de consequio extra causas, per ipsam met coniunctionem poni necesse est, quæ sit via: vt dicebamus: & actiuus influxus ad ipsum accidens ponendum extra causas, & ad illud conseruandum, posteaquam positum est.

Quà verò vnio est, suos habet terminos, alterum ipsum accidens, veluti formam, alterum ipsum subiectum formæ substratum; cui ita forma accidentalis copulatur, vt non tantùm adhæreat, veluti extrinseco termino, sed verè informet, inhæreatq; altius subiecto immersa, secus non competeret ei definitio accidentis sæpè laudata. Accidentis esse est inesse.

Atq; ita ex subiecto, & accidentali forma ita vnitis, resultat totũ aliquod, quod non habet resultare ex vnitis extrinsecè, aut iuxta se positis, aut solum mutuò penetratis, sed ex solis intrinsecè vnitis, & quorum vnum sit subiectum, recipiens suo sinu sustentans, ac fouens, alterum forma, altius sua informatione in ip-

in ipsum subiectum infixa, & immersa. Substantiale quidem si forma sit substantialis, accidentale si forma sit accidentalis; Ita vt receptio sit vtrinq; causalitas, actiua respectu formæ, quæ est subiecti informatio, passiua respectu subiecti, quæ est formæ sustentatio. requirens intrinsecè vtrorumq; entitatem; atq; adeò insupplebilis à quocumq; alio agente, etiam Deo, vt latiùs in philosophia firmatur, cum suppletio causalitatis materialis, & formalis in terminis terminantibus, Deo procul dubio imperfectionem impingeret.

10 *Tandem ob distinctionem quam ponimus, non realem, sed tamen ex natura rei, inter inhærētiam, & existentiam accidentis, fit, vt in casu separationis, pro vt accidit in Sanctissima Eucharistia (siuè sola quantitas inhærentiam, qua pollebat in substantia, deperdat, non verò cætera accidentia, quæ in ipsa quantitate potius, quam in substantia; vt multis placet: inhærent, siuè ipsa quoque cætera accidentia eam deperdant) nulla alia intelligatur adesse mutatio, nisi solius inhærentia, manente semper eadem existentia accidentis.*

Ita tamen, vt nouus Dei intercedat influxus, diuersus ab eo, quo prius conseruabatur existentia accidentis dependenter ab inhærentia; vtpotè se solo, post separationem, eandem existentiam independenter ab illa iam extincta, deindè conseruans. ita quod formalis separatio inhærentiæ, non sit nisi ipse diuinus influxus, qui per incompossibilitatem, inhærentiam, seu coniunctionem accidentis à subiecto depellat, & in suo esse accidens conseruet, non secus, ac antea inhærentia concurrente conseruabatur.

Nouum inquam Dei influxum intercedere est opus, supplendum enim quod præstabat inhærentia; vt qui prius influebat simul cum inhærentia, postmodum se solo, conseruationem à priori

distinctam influendo, concurrat; ad eum modum, quo de eadem re creatio, ab eductione distinguitur. Namque posterior conseruatio, quam se solo Deus influit, non amplius dependet à subiecto, nec ad accidens dependens terminatur, sicuti prior dependebat, & terminabatur.

Et quemadmodum aliqua necessariò realis importatur mutatio, quando conseruatio, de se sufficiens, totalis, & integra, desinit esse talis, per positionem concursus alterius simul concurrentis, nisi velimus dicere, aut duas totales causas simul totaliter influere, aut ambas concurrere in ratione principij plusquam sufficientis: quod philosophi non admittunt: Ita ex consequenti, quando conseruatio de se partialis, fit postea totalis, vt in nostro accidit casu, necessariò mutatio importatur.

11 *Ponimus itaque hunc Dei nouum influxum, priori conseruationi accidentis suffectum, quo accidens, non amplius habens inhærentiam, per quam etiam conseruabatur in esse, nihilominus adhuc conseruetur; atque adeò suffectum inhærentiæ quò ad formalitatem conseruandi; Nec tamen influxum aliquem ipsi coniunctioni accidentis ad subiectum, hoc est ipsi inhærentiæ, secundum formalitatem coniungendi sufficimus; cum enim hæc coniunctio essentialiter terminetur ad subiectum, veluti extremum alterum, & per ipsam existat accidens in subiecto, quod informat, & à quo sustentatur, ex eo quod incipiat accidens separatim existere à subiecto, non est opus, quin nec fieri potest, vt recipiat aliquid supplens vicem cōiunctionis, seu vnionis ipsius cum subiecto.*

Porrò nihilò amplius erit opus præter dictum influxum, nouamq; à Deo conseruationem, vt accidens nobiliori quodam modo intelligatur existere, dum non inhæret, quam cum inhærebat; licet enim accidens hoc pacto existat in se non in subiecto, in quo

erat, & ſuſtentabatur: non exiſtit tamen per ſe, qui eſt modus peculiaris ſubſtantiæ, faciens illam exiſtere incommunicabiliter, & appellatur ſubſiſtentia, conſtituens ſimul cum natura ſuppoſitum: Quarè nec debet recipere nouam aliquam exiſtentiam; ſed ſufficiet ad illud exiſtere in ſe ſaluandum, ipſa noua conſeruatio, ſiuè nouus Dei conſeruatiuus influxus.

Itemque non opus eſt aliqua alia noua exiſtentia, vt accidens ſeparatum, poſſit dici agere, & pati, vt antea inhærendo. Nam quò ad producenda accidentia alia, ſufficiet proportionari inter ſe ſe; ad producendam verò ſubſtantiam, ſufficiet ad eſſe vim ſubſtantiæ, conſiſtentem in ratione temperamenti, & combinationis propriæ antecedentis ipſius ſubſtantiæ deperditæ, vti ſemen exciſum ab animali: quamquam inanimatum: effectum animatum attingere; nec non cætera inſtrumenta, in virtute cauſæ dicimus agere. Quæ ita ſunt, & dicuntur non niſi intranſitiuè, hoc eſt non aliquid virtutis in ſe recipiendo, ſed quatenus ea ſunt ipſamet virtus agentis principalis. Et hæc quò ad agere. Quò verò ad pati, quantitas, tanquam ſubiectum, ex quo, & circa quod producătur accidentia, ſat eſt, vt cum Diuo Thoma accidere in Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramĕto, Theologi ſentiunt vnanimiter.

Quæ omnia, ad abſolutam, completamque enuclationem propoſitæ diſtinctionis ex natura rei, inter exiſtentiam, & inhærentiam accidentis, ſint dicta. Quì verò ex hac eadem diſtinctione neutiquam inferatur gratia per Sacramentum creari, non eſt operoſum ſubſtinere: etenim Sacramentum ad producendum accidens, non pluſquam vnica actione concurrit, attingente ipſius exiſtentiam, quæ eſt ipſa accidentis inhærentia, de qua ſequens nunc caput inſtituimus.

CAPVT XV.

VNICA IN RE EST ACTIO, PER QVAM ACCIDENS EXISTIT SIMVL, ET INHAERET.

ELENCHVS.

1 *Altera productio accidentis, altera vnionis, qua ipsum producitur.*

2 *Accidentis existentia, inhærentiaq; actione attinguntur eadẽ.*

3 *A Deo tùm in fieri, tùm in conseruari, accidens per suam dependet essentiam.*

4 *Concursus Dei productiuus accidentis, à producti entitate distinctus.*

5 *Distinctus adhuc concursus Dei creatiuus à rei creatæ entitate.*

6 *Et concursus conseruatiuus ab entitate conseruati.*

7 *Ab agente principali Deo, & secundariò naturali per eundem influxum, accidens completè, ac totaliter pendet.*

8 *Ad accidentis conseruationem neutiquam agens naturale concurrit.*

Digitized by Google

9 *Concursus Dei conseruatiuus se solo, ab eiusdem productiuo simul cum causa secunda, distinctus.*

10 *Productiuus, conseruatiuusq; concursus is ab entitate rei producta, et conseruata distinctus, qui ab eisdem terminatur.*

1 *Atemur equidem duas erga accidens naturales productiones, alteram, qua accidens prodit extra causas, nempè vnio ipsius cum subiecto, vt infra, alteram, qua vniomet ipsa emergit in rerum natura. Etenim ipsa vnio, qua accidēs extra causas prodit, cum sit entitatiuus modus realis, & realiter persistens suaptè natura in esse, quippè vnio, nexusuè extremorum, cui intrinseca tandiù est permanentia, quandiù permanent ipsa extrema inuicem vnita; planè, vt talis, per aliam actionem debet produci, & quidem à se ipsa ex natura rei distinctam, ex quo vnio eadem poterat produci per actionem diuersam, aliam, atq; aliā ab ea, qua de facto producta est; nō secus atq; fieri poterat ab alia, atq; alia causa, iuxtà quas discriminantur actiones. vt supra, & infra: puta si fieret à solo Deo: quod non inuoluere repugnantiam, mox palàm ostendemus. Iure igitur merito hanc alteram fatemur actionem, qua vnio, vt nexus prodeat in re, vltra actionem accidentis immediatè productiuam, consistentem in vnione ipsa, considerata, non amplius vt nexus, sed vt productiua est, de quibus distinctis formalitatibus paulò infra redibit sermo.*

Digitized by Google

Hoc autem ordine duæ suprapositæ actiones, seu productiones inter se subordinantur; quod edita productione vnionis vt nexus, in eodem prorsus temporis, ac naturæ instanti, ac signo, ipsa vnione media, vt productiua, ipsum quoque editur accidens, cum sit essentiale accidenti, dum vnitur adesse, & è conuerso, vt supra, & infra enucleatiùs.

Prior productio euanescit, simul atque vnio effecta est, quod pariter conspicimus in reliquarum productionibus rerum, quibus conseruandis non est vsui influxus causæ secundæ. Posterior cum ipsa vnione, vt dicebamus, coincidens, quamuis vt vnio productiua, eo ipso euanescat & ipsa, tamen vt nexus, ad mensuram extremorum vnitorum: vt supra tactum est: perseuerat. Et hæc citra controuersiam.

2 *Quod autem reuocatur in dubium est multiplicitas actionis, pro diuersitate existentiæ, & inhærentiæ accidentis, quam nos hoc capite constantissimè denegamus: firmiter improbantes, accidens prodire per vnam actionem, attingentem præcisè eius existentiam, & per alteram diuersam, attingentem ipsius præcisam inhærentiam. hoc etenim pacto, actio terminata ad puram, & præcisam existentiam, esset creatio, ceu independens à subiecto, nulla adhuc interueniente inhærentia; quod quantùm detestamur, tantùndem: ne nobis metipsis aduersi videamur: vnicam asserimus actionem in re, per quam accidens existat, simul, & inhæreat: Ex eo potissimum, quod accidens inhærere in fieri, nil aliud sit, quam essentiam sortiri, quippè certum, & exploratum apud omnes, accidens nō aliud esse per suam naturalem propagationem, sibi comparare, quam esse vnitum, & adiectitium subiecto, cui ceu substentanti semper innititur.*

Discrimen indè colligas inter vnionem accidentis cum subiecto,

& vnionem animæ rationalis cum corpore, quod hæc tanquam aduentitia, & sine qua anima naturaliter subsistere valet, supponat esse animæ: illa verò, accidente non valente naturaliter existere nisi dependenter à subiecto, ac subindè nisi cum subiecto copulato, nequaquam esse accidentis supponat; ex quo consequens fit, vnionem accidentis efficere esse ipsius, si verum est commune philosophorum pronuntiatum, vnionē non præsupponentem extremum vniendum, illud ex consequenti efficere.

Ex hoc itaque, quod accidens simul in eodem puncto inhæreat, & existat, nec queat naturaliter existere, quin inhæreat, nulla profectò noua actio requirenda, seu superaddenda est ad inhærendum alteri, quæ necessariò interponitur ad existendum, sed vna, eademq; vtrumque præstabit. Idque, tum respectu agentis naturalis secundæ causæ, tum etiam respectu Dei primæ causæ agentis cum prima, siquidem par ratio vtriusque, atque vnus & idem influxus, ab vtroque dimanans, vt mox patebit.

3 *Inde vlteriùs consequitur, nullatenus accidens per suam essentiam, aut entitatem pendere in fieri, nec subindè in conseruari à Deo; nam alioquì, aut accidens iterato, aut à duabus causis totalibus totaliter influentibus prodiret. quod vtrumque in philosophia damnatur: Enimuerò adessent duæ actiones, Dei vna, creaturæ altera, inter se se discriminatæ, cum illa Dei, entitas ipsa accidentis supponeretur, hæc creaturæ ab entitate accidentis differat, quippe quæ accidentis entitas per diuersam, aliam, atq; aliam actionem, independenter ab omni creatura, quin etiam à solo Deo, nulla interueniente creatura, causari poterat. de qua re paulò infra. Vtraque autem ex his duabus actio, ad producendum accidens de se apta, & sufficiens. Sufficiens, inquam, est illa Dei, cum sit entitas ipsa accidentis, positi extra causas, ex*

ipsa suppositione aduersariorum; Sufficiens est non minùs altera creaturæ, quia ad eãdem totam accidentis entitatem ponendam extra causas dirigitur; nec enim adinuenire est in accidente quid formalitatis quidem, ne dum entitatis: vt mox subiungemus: ab hac eadem actione minimè proficiscens, aut ei partialiter, & discriminatim ab altera Dei actione correspondens.

Id, quod etiam ex absurdo, quod indè palàm consequeretur, displalescit magis; namque actio ab agente naturali secunda causa prodiret, in ratione eductionis de potentia materiæ; ac simul in ratione creationis independẽter à materia: quæ pugnant inter sese. Quin sit eductio, nulli dubium est; omnis enim agentis naturalis actio est eductio, cum communi philosophorum: sed nec dubium sit, quin simul etiam foret creatio, cum etenim accidens, citra omnem dubietatem, totum quantum quantum est educatur de potentia subiecti, iam Dei concursus, & influxus: identificatus ex suppositione cum ipsamet essentia, & entitate accidentis: planè educeretur de potentia subiecti, ideòque eductio foret simul etiam creatio, quatenus ad creationem terminaretur; etenim talem influxum Dei esse creatiuum indè euidenter consequeretur quod: in sententia ipsorum: discernitur ab eductione, veluti identificatus cum entitate accidentis, à qua eductionem distingui, nec ab ipsis etiam aduersarijs reuocatur in dubium. Indè vlteriùs: quod non minoris absurditatis est: daretur actio actionis; quia eductio produceret creationem, quod nec ijdem ipsi aduersarij, tanquam philosophiæ inuisum, admitterent.

4 Quam veritatem, quò nullus prorsus ambigendi amplius superfit tibi locus, ex eo magis confirmato, quod si Deus illud idem accidens, quod supponitur eductum, nullo interueniente subiecto, & agente naturali, creaßet (quod potuisset, ex facto Sanctissimi

Eucharistiæ Sacramenti planè colligitur, in quo Deus neutro ex ijs interueniente, accidens à quacumque substantia separatum conseruat) vtique per alium influxum ab eo, quem præbet cum causa secunda ad educendum, creaßet; ex quo creasset per influxum independentem passiuè à subiecto, & actiuè ab agente naturali, terminantemque ad terminum distinctum à termino eductionis, non amplius inhærens quale exposcit eductio, sed in se, & per se existens, cuiusmodi sunt omnes termini creationis: ex hoc manifestè sequitur, hunc variabilem influxum nequire omninò identificari cum accidentis entitate, atque eßentia, cum hæc eadem prorsus inuariata maneat, vt suppositum est.

Aut: quod in idem tandem recidit: si à solo Deo, nulla interueniente causa secunda, accidens per creationem efficeretur; vtique iste influxus creatiuus nequiret esse entitas, & essentia accidentis creati, ex quo idem met numero accidens, concurrente agente naturali, per verum influxum, sine tali influxu creatiuo, dependentem è potentia subiecti, potuißet educi.

Quid neges id fieri posse? Non ne accidens iam eductum de potentia materiæ, expulsa postea inhærentia, idem prorsus in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, per influxum Dei, similem omninò influxui creatiuo, quia destinatum ad illud manutenendum independenter à subiecto, & à quocumq; agente naturali, conseruatur?

5 *Quem influxum Dei creatiuum, ab entitate rei creatæ adeò distinctum indubiè fatemur, vt non solùm in accidente, sua natura non creabile, sed educibile tantùm; verùm ex aduerso, in rebus neutiquam educibilibus, sed tantùm creabilibus: qualis est anima rationalis: locum habere necessariò putemus, in præclara opinione asserentium, creaturam vt causam instrumentariam, à*

Deo assumi ad creandum, nil repugnare: hoc .n. casu eadem anima rationalis, cum hac noua dependentia à creatura instrumentaliter concurrente, ac subindè per creationem distinctam ab ea, qua Deus se solo influit, crearetur; cum sine fundamento in re prædicationes nequeant variari quod nullum aliud in re præsenti est assignabile, præter distinctam creationem; & tamen anima eadem numero est vtrobique, quod arguit necessariam distinctionem inter ipsam, & vtramque creationem ipsius. Pro verissimo igitur, & constitutissimo habeatur, influxum à Deo productiuum gratiæ, quæ fit in Sacramento, sicut & cuiuscumque alterius accidentis, cu sit ab ipso insuper tanquam ab agente principali, seu solum tanquam à prima causa agente vniuersali, ab essentia, & entitate accidentis producti ex natura rei distingui.

6 Id quod non minus de influxu conseruatiuo, quo nimirum Deus in esse conseruat accidens iam productum, est verum; Quemadmodum enim accidens antea conseruatum dependenter à subiecto, postea in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento conseruatum independenter ab eo, conseruari fatendum est per actionem, & conseruationem creatiuam; vtpotè terminatam ad entitatem accidentis, nulla interueniente vnione ipsius cum subiecto; atq; adeò re diuersam à præcedenti conseruatione eductiua, qua accidens vnitum subiecto conseruabatur. Quam proindè posteriorem conseruationem creatiuam, ex natura rei ab entitate, & essentia accidentis distingui necesse est cum supponat, accidens præcessisse antequam separaretur, quo tamen tempore non aderat hæc posterior conseruatio; simili ratione, dum accidens conseruabatur à Deo per priorem influxum, vt vnitũ, & copulatum cum subiecto non conseruari per suam met entitatem immediatè depẽdentem à

Deo, sed per aliud à sua entitate distinctum fateamur oportet; siquidem per posteriorem conseruationem accidentis existentis sine subiecto, sine dubio illa prior conseruatio accidentis subiecto copulati desijt; nec tamen destructa est entitas accidentis, quæ supponitur perseuerare, quamuis existens per se, & independenter à subiecto, vbi prius non nisi subiecto innixa existebat.

7 *Quibus sic disputatis, illud etiam pro certo habeatur, non plusquam vnum Dei interuenire concursum ad producendum accidens, esseq; concursum metipsum agentis naturalis; quatenus ab vtroq; simul agente, scilicet à prima, & à secunda causa inter se subordinatis, idem influxus, totus, & totaliter ab alterutra, integra, & completa in suo genere, & ordine fluit; ad differentiam causarum in vno, & eodem genere, & ordine partialium. Nisi enim hoc dicamus; aut neutrum agens influeret, aut alterutrum in cassum, aut accidens iteratum esse reciperet; cum vtraq; causa sit: vt diximus: integra in ordine suo, & completa; nec in effectu duplicem entitatem, aut formalitatem partialem, duplici actioni, & influxui, identidem partiali correspondentem, reperire sit. Nisi velimus huc reuocare quas supra commemorauimus formalitates creaturæ, & finitudinis; quæ tamen non partiales, sed totales formalitates sunt, essentialiter ab omnibus alijs formalitatibus imbibitæ. nec fuerunt à nobis inibi, plusquam secundum dici, & per solam quandam accomodatam proportionem, seu distributionem aptatæ. Cum cæteroqui, tam ambas illas formalitates, quam assignabiles alias quascunq; non ignoremus, in ente producto pendere re ipsa, non minus à Deo, quam ab agente creato vniuersas; adeò vt neq; ab ipso solo Deo operante nulla interueniente creatura, queat effectus quiuis prodire non creatus, aut finitus, hoc ipso quod huiusmodi formalitates incon-*

trouertibiliter de quidditate sint cuiusque creaturæ.

8 *Cum itaque hæc ita se habeant, Deum nempè, & creaturam, Vtrumque agens, & ex æquo influere in fieri accidentis; nihilominùs in conseruari, non concurrere præter solum Deum, pro indubitato asseuerandum; cessante, ex quo accidens positum est extra causas, agente naturali amplius, ne dicam influere, quin immò interdum persistere in rerum natura, superstite tamen ipso accidente producto. Id quod, non modò pro conditione agentis, verùm & ipsius accidentis, asseritur: cum semel vnito accidente cum subiecto, sufficienter, quantum opus est, in posterum ex parte creaturæ, sine adminiculo agentis creati, fulciatur, & communiatur ab ipso subiecto; sufficienter siquidem vnio, cum sit nexus duorum, illis suaptè natura adhæret, sine ope alterius rei creatæ ad perseuerandum in esse, cum solo concursu Dei generali tam ad accidens, quam ad illius vnionem conseruandam, ex eo capite, quod vtrumque ens sit creatum, & à Deo participatum. Ni velimus, hoc non obstante, adhuc denominare agens naturale influere, eò quod vnio, quæ virtus eius est, & influxus, per quem agens iam ipsum produxit accidens, superfit adhuc, de quo nil curamus, de re ipsa, non autem de ipsius appellatione, agentes.*

9 *Solus igitur Deus conseruat accidens iam productum, ita tamen, vt hic Dei conseruatiuus influxus, ab influxu productiuo, per quem iam simul cum agente naturali accidens procreauerat in rerum natura, prorsus sit diuersus. Cuius discriminis ratio est manifesta; nam influxus conseruatiuus à solo Deo pendet: vt firmatum est: vbi influxus productiuus, à Deo simul, & ab agente naturali pendebat; variata autem causa, variari item actionem, quæ per suam met entitatem:*

tem omnium Doctorum aſſenſu, ab agente promanat, quis ibit inficias?


Negari igitur non poteſt, quin alius ſit, ac diuerſus, atque eiuſdem prorſus rationis cum illo, quem Deus, ſi ſe ſolo eduxiſſet accidens de potentia ſubiecti præbuiſſet. Alioqui concurſui productiuo, iam præſtito à prima cauſa, vna cum agente naturali; quo fieret conſeruatiuus; cum non ſufficiat ſolus ad conſeruationem, ſicut nec ſine influxu cauſæ ſecundæ ſatis fuit ad productionem; ni velimus cauſam ſecundam omninò otioſam: alius profectò influxus partialis cauſæ ſecundæ vicarius, ipſius locum, & vicem tenens, foret deinde ſufficiendus ab ipſo met Deo, ad accidentis conſeruationem, poſito quod idem ſit influxus, quo accidens productum conſeruatur, non influente cauſa ſecunda, & quo antea, influente cauſa ſecunda producebatur. Qui partialis influxus omninò gratis inueheretur; immò præter naturam cauſæ ſecundæ, quæ cùm, ex dictis, non habeat conſeruare, nullus eius conſeruatiuus influxus remanet ſupplendus. præter quam quod multiplicare adhuc eſſet entia ſine neceſſitate.

10 *Supereſt pro complemento notandum, quod diximus influxus, productiuum ſcilicet, & conſeruatiuum, ab ipſa re producta, aut conſeruata diſtingui, eſſe intelligendum de diſtinctione influxuum, à rebus, ad quas terminantur, quod eſt dicere terminos ipſos non fieri, vel conſeruari per ſuam met entitatem, quod pluribus iam elucidauimus. Cæterùm productionem, & conſeruationem ipſas in ſe, quamuis realia ſint entia, nouiter, et ipſa in rerum natura emergentia; per ſuam met tamen entitatem, atque eſſentiam, non autem per ſuperadditam aliam actionem, à ſuis emergere cauſis reſpectiuè, nobis indubitatum eſt: neque enim datur productio productionis, vel conſeruatio*

Digitized by Google

conseruationis, secùs abiremus in infinitum. ratio esse potest, quia non fiunt in ratione termini, cuius est prodire per actionem, cum terminus ita actionis sit terminus, vt actio terminusque inuicem recurrant, sed exeunt in ratione actionis, seu via ad terminum. Quæ autem per modum viæ ad efficiendos terminos, non uerò terminatiuè fiunt, per essentiam propriam, non per aliud distinctum qualecumque fieri, in confesso est.

Qui finis esto capitis, ac primariæ difficultatis, circa assertam à nobis diuinæ gratiæ eductionem de potentia animæ. Ad Sacramentorum uim physicam instrumentaria probè noscendam, posliminio eia redeamus.



CAPVT XVI.

PER SOLAM POTENTIAM OBEDIENTIALEM CAVSARE GRATIAM, SACRAMENTA INSTITVI POTVISSENT.

ELENCHVS.

1 INstitutio Sacramentorum, pro causanda gratia, ex sola obedientiali potentia, contingere valuisset.
2 Potentia obedientialis passiua quæ.
3 Quæ item actiua.
4 Eandem Scholastici, Patres, & scripturæ fatentur.
5 Obedientialis Potentia, vt spiritualis, & naturalis.
6 Nulla obedientialis Potentia in sola quadam relatione consistit.
7 Potentia obedientialis semper instrumentalis.
8 Quì explicetur Deus de nouo cum Sacramentis concurrere, nulla vtrinque facta mutatione.



Eptem proximè ſuperioribus capitibus, quò phyſicam Sacramentorum cauſalitatem, adeò ſcholaſticorum diſſidijs nutantem, ſartam, tectamque redderemus, igne, ferroque ad internecionem vſque, Hydram veluti detruncauimus ſepticipitem. Modò, tum pro complemento eiuſdem phyſicæ cauſalitatis, tum pro abſoluta ſimul aſſequutione naturæ Sacramentorum: inter quæ Ordinem pro ſua dignitate initio collocauimus: expendendum ſuper eſt, in quo tandem conſiſtat hæc eorum phyſica virtus, cuius in gratiam hucuſq; tantundem elucubrauimus; num in ſola, & præciſa potentia actiua: quam dicunt obedientialem; ipſis, ſicut i & cuicumq; alio enti creato congenita; an verò in aliqua entitate, ipſis Sacramentis, ad hunc effectum, à Deo, mirabiliter, ſuper impoſita, qua data, rurſus videndum, an nuda, an ſimul cum ſuprapoſita potentia obedientiali concurrat, ex quibus ſimul iunctis vnica ad cauſandũ, integraque facultas coaleſcat; quæ hoc, & ſequenti capite breuitatis aſſueti ſtudio, breui pro poſse, proque dignitate elucidabimus.

1 *Igitur de poſſibili quidem inſtitutione Sacramentorum loquentes, per ſolam actiuam potentiam obedientialem ſecluſa quacumque alia virtute ſuperaddita, ſolo concurſu extrinſeco Dei agentis primarij ſupernaturalis, apta, & idonea diuinam gratiam phyſicè cauſare inſtitui potuiſſe, vltrò confitemur.*

2 *Id facili negotio cum* D. Th, *cõmuniter recepto* in 4. ſent. d. 8. q. 2. art. 3. *ex potentia obedientiali paſſiua nobis ipſis ſuadentes; vt enim vbertim explicu mus c.* 13. *agendo de eductione gratiæ ex potentia animæ; Nil aliud eſt, paſſiuam obedientialem potentiam eleuari, ſeu potentem reddi ad recipiendum effectum ſupra ſuas vires naturales, quam naturali concurſui in*

communi ſubiecto paſſiuo, extrinſecè ſuppleri rationem ſupernaturalitatis, qua caret; ad effectum pariter ſupernaturalem, viribus naturalibus improportionatum, & ex conſequentis phæram actiuitatis natiuæ excedentem, ſubeundum. Eo ducti fundamento, quod agens imbecillem, infirmamque diſpoſitionem, ſeu ineptitudinem, ac defectum patientis, ſuo conatu ſuppleri queat; ſicuti ex aduerſo vigor diſpoſitionis patientis, adeò imbecillitatem virtutis agentis quandoque coadiuuat, vt comparatiuè ad minorem agentis influxum reſultet par effectus, & ad equalem: cæteris paribus: reſultet effectus intenſior, quam alioqui reſultaret. Quò circa, cum ad talem effectum requiratur, & ſufficiat tale agens, ad tantum effectum, tantum agens, conſequens ſit, vt ad producendum effectum ſupernaturalem, requiratur, & ſufficiat ſolus influxus agentis ſupernaturalis; vſque adeò quod: vt cap. 13. premonuimus: tot rationes ſtent ex ſubiecto naturali, ſic actuali influxui agentis ſupernaturalis ſubordinato, quot ex æquo cunctis formalitatibus aſſignabilibus in effectu ſupernaturali, reſpondere habeant.

Nec dubium irrepat de hac veritate; cum enim gratia iam creata in facto eſſe ab anima, cui ineſt, tanquam à ſuſtentante dependeat, pariter ex potentia, ſeu concurſu eiuſdem ſubiectiuo in fieri dependere, non minus certum eſt; qui concurſus imbecillis ſuaptè natura, atque gratiæ effectui ſupernaturali improportionatus cum ſit, quin aliquo veniat ſupplendus negari non poteſt; nihil autem: vt allegato cap. 13. latè ex ſufficienti partium enumeratione demonſtrauimus: excogitari poteſt ſupplementi, præter influxum Dei actiuum ſupernaturalem.

Hoc igitur accedente, concurſus animæ eòuſque naturalis, quippè ad ſolos recipiendos effectus naturales, medio concurſu naturali,

turali, agentium naturalium, à natura destinatus, traducitur ad concursum, seu potentiam, obedientialem, gratiam supernaturalem respicientem, cum non amplius dirigatur medio concursu agentis naturalis: ad quem naturaliter, vt diximus, & tanquam sibi ex suis principijs naturalibus debitum, ordinabatur: sed concursu Dei agentis supernaturalis, cui tanquam sibi indebito, altioris ordinis, & suas vires, suamque exigentiam excedenti: hoc habet tantùm, vt subsit, obediens Deo, veluti causa inferior causæ Superiori, creatura creatori, operanti tamen in ratione principij particularis principalis, & supernaturalis; vt distinguamus ab effectibus naturalibus, quorum respectu, estò anima ens creatum, & à Deo participatum, ei itidem subijciatur; eidem tamen, non nisi vt agenti vniuersali naturali, seu auctori naturæ subijcitur.

3 *His de potentia passiua obedientiali hactenus dictis; ne dum astruendæ de Sacramentis correlatiuæ potentiæ obedientiali actiuæ, pro supernaturalis gratiæ eductione, sed illi insuper facili negotio, tum capiendæ, tum explicandæ latiùs aperitur campus; Eòque faciliùs, quod à potentia passiua obedientiali, non nisi per diuersi generis concursum actiuum supplenda, ad concursus vtrinque actiuos, & eiusdem generis, gradum facimus: facilioris sanè intelligentiæ: vtrumque vniri, & vnum per alterum augeri, & coadiuuari, ad efficiendum illum effectum, quem procul dubio intra ordinem naturalem efficere non valeret.*

Dicimus ergò, potentiã obedientialem actiuam eleuari ad gratiæ supernaturalis eductionẽ, nil aliud esse, quam ex imperfecta, & remota potentia, nondum ad supernaturales effectus ordinata, ad potentiam proximam, & perfectam traduci, Deo supernaturali suo concursu rationem supplente supernaturalitatis, ideò

in ea deſideratum, quod à natura non pluſquam ad effectus naturales fuerit deſtinata.

Qui concurſus Dei altioris, & ſupernaturalis ordinis cum ſit, dum concurſui naturali natiuo ipſius creaturæ coniungitur, ipſum verè dicitur eleuare, quippè ad effectum euehat ſupranaturalem. Ut meritò per hunc Sacramenta aſſumpta, dicerentur eleuata, & habilitata ad gratiam, quocumque alio circumſcripto auxilio, dato voluiſſet Deus, eorum nuda, & præciſa vti potentia obedientiali ad eum effectum, quod eſſet, incompletè potens ad aliquod, ſeu in potentia remota, & in actu primo, ad completam potentiam, & ad actum ſecundum, per concurſum extrinſecum, ipſum immutatum manens, traduci; quemadmodum non valens ſe ſolo trahere pondus, per ſuperueniens extrinſecum auxilium adiuuatur; nec non agens creatum, per concurſum primæ cauſæ ad producendum ſuum effectum naturalem extrinſecè completur. quatenus ex duabus, vna virtus perfecta conflatur, & ex duobus influxibus, vnus integer, ac perfectus coaleſcit, toti entitati, omnibuſque effectus rationibus adæquatè reſpondens; quamuis hoc primo cum diſcrimine, quod priores virtutes eiuſdem ſint ordinis, & dumtaxat partiales; vbi poſteriores totales, & in diuerſo ordine ambæ, alterutrum, vt primæ & ſecundæ cauſæ, ſubordinatæ ſunto.

Secundò ex parte concurſus vniuerſalis Dei agentis naturaliter, vt prima cauſa, & concurſus particularis Dei agentis ſupernaturaliter, vt cauſa principalis, Quod prior concurſus naturalis vniuerſalis, propter ſolam indiuidualem effectuum naturalium determinationem prærequiratur; vbi concurſus particularis ſupernaturalis poſterior, naturalem potentiam effectui ſupernaturali accomodat, cum tamen ad eundem effectum numero

non determinet, quippè huic indiuiduationi distinctus alius concursus identidem supernaturalis, sed generalis assignetur à Doctoribus, respectiuè naturalis, vel supernaturalis, pro effectibus naturalibus, aut supernaturalibus sibi correspondendis.

His indagata, expositaque Sacramentorum potentia obedientiali actiua, quì deindè, per solum extrinsecum Dei influxum supernaturalem eleuata ad supernaturalem gratiam producendam fulciatur, ac roboretur vberiùs dilucidiùsque proponitur exemplo ignis infernalis, qui re ipsa, secundum nullam aliam potentiam: vt fert communis opinio: quam obedientialem, ad effectum supra suas vires naturales cruciandi damnatos assumitur. Nec non intellectus, si in patria: quòd fieri posse docent penè omnes Theologi: sine vlla superaddita sibi virtute, cum solo supernaturali concursu Dei extrinseco, & immediato, ipsum videre ponamus; hoc .n. casu, intellectus non eleuaretur ad effectum visionis supernaturalem, nisi quò ad solam potentiam intellectiuam, sibi quidem naturalem, & congenitam, quò ad entitatem; obedientialem verò, & supernaturalem, prout subiectam, ac sæpè cõmemorato concursui extrinseco Dei supernaturali subordinatam.

Cur porrò omnis creatura, qua talis, possit à Deo instrumentaliter, ad effectus supra vires sibi natiuas eleuari: ex conditione vtrorumque, Dei scilicet, & Creaturæ, petendum est: hoc enim ipso, quod omnis creatura in fieri, & in conseruari à Deo dependet, ceu ens creatum, & per participationem, adeò ipsi Deo subijcitur, vt nequeat illi rebellis obsistere, eiusque imperium detrectare in non apertam repugnantiam inuoluentibus, qualis hic, ne quidem suspicabilis, ex deductis manifestè conuincitur.

4 *Quam rationem* D. Th. *loco citato corroborauit à fortiori, per analogiam ad potentiam obedientialem passiuam (quam qui*

negaret, omnia dona ſupernaturalia omneſque actiones, tum intellectus, tum voluntatis ſupernaturales ab anima auellendo, vniuerſam profectò fidem euerteret) dicens ſicuti creaturæ ineſt obedientia, vt fiat in ea quod Creator diſpoſuerit, ita etiam ineſſe, vt illa mediante, alia fiant; quæ eſt ratio inſtrumenti. Eoque validiùs Angelicus Doctor *deducit, quò magis: vt ſupra meminimus: diſtat potentia paſſiua ab influxu actiuo, per quem eleuatur; cum ſint in diuerſo genere, quam potentia actiua ab influxu actiuo, in eodem genere principij actiui repoſita.*

Eandem, ante Diuum Thomam illuſtrauerat Diuus Auguſtinus *exemplis;* lib. 9. de Gen. ad litteram c. 17. *in ligno: vt ipſe dicit: arido, & elaborato, ſine terra, & aqua, illicò flores, & fructus emittente; & in alijs huiuſmodi, quæ ibi commemorat; ea omnia tandem ſigillans ob id rationis, quod Dominus dederit omnibus creaturis, vt ſimilia facerent, quia ita creata ſunt, vt ſuaptè natura, voluntati potentiori Dei vſquequaque ſubijcerentur.*

Quod fundamentum ipſe quoque aliundè decerpſiſſe videtur; nempè ex illo Sap. 16. *vbi Manna, & ignis leguntur ſupra vires ſibi natiuas operaſſe; ob illam eandem rationem, quæ ibi* Creatura tibi Factori deſeruiens; *vt ideò omnes, tum Scripturæ, tum Patres, & Theologi concorditer in hoc ipſum coeant, ideò ſine uirtute ſuperaddita, uniuerſas creaturas operari poſſe effectus ſupernaturales, quod omnis creatura ſubiecta eſt Creatori, per virtutem ſubiectionis, quam obedientialem potentiam vnanimiter appellant Theologi.*

5 *Pro expedito igitur habeatur, omnem potentiam, vel actiuitatem naturalem, ſphæram effectuum naturalium ſuaptè natura nequaquam egredientem (ſiuè ſit ſubſtantia immediatè ope-*

Digitized by Google

ratiua, siuè accidentalis virtus substantiæ superaddita, siuè substantia non nisi tamen medijs accidentibus effectrix, pro multiplici opinione philosophorum) per concursum supernaturalem ita dirigi, & eleuari ad effectus supernaturales, vt tamen naturalis, & materialis entitatiuè perseueret; quippè extrinseco Dei influxu supernaturali nihil intus immutetur; Spiritualis attamen, & supernaturalis appellanda, quatenus ad effectum supernaturalem, Deumq; supernaturali influxu concurrentem refertur; qua ratione eodem capite tertiodecimo, de potentia passiua sumus interpretati verba illa D. Augustini de Prædestinatione Sanctorum c. 5. posse habere fidem, & charitatem, naturæ est hominum, habere autem, gratiæ est fidelium.

6 *Hinc in sententiam designantium potentiam hanc obedientialem actiuam per relationem entis creati ad Creatorem, neutiquam ire possumus; Neque enim relationibus Creaturarum finitarum, ac limitatarum eam perfectionem effectricis virtutis adiudicare fas est, quam communis Theologorum sententia in relationibus infinitæ, ac illimitatæ diuinæ essentiæ nunquam agnouit. Qui autem virtutem agendi, altioris ac superioris potentiæ, qualiscunque, aut quantæcunq; efficacis ope adauctam, aut suppletam, in ea agnoscemus entitate, cui nec quidem communis, ac initiatiua operandi ratio subesse conceditur? Quæ enim nulla potentia est, nec obedientialis, seu supernaturalis, ac alterius cuiusuis generis fieri, fingi, aut prætitulari queit, sicut nec traduci ad influendum in effectum supernaturalem ea entitas, cui nulla virtus, aut potentia, quæ communiter concipitur influxui cuicumque necessariò supponenda, inest; cum communi modo concipiendi aliquid assumi, seu eleuari in operando, pro eodem atque aptari, seu habilitari ad operandum, secluso, nullus alius capiendi, & inter-*

pretandi potentiam creatam, à Deo per suum influxum supernaturalem, ad effectum itidem supernaturalem producendum, assumi, ac eleuari suppetat perceptibilis modus.

Sicuti nec subscribimus eisdē, cohærenter sibi metipsis, statuentibus ad instar actiuæ, correlatiuam alteram potentiam obedientialem passiuam in simili relatione, seu habitudine ad formam, quatenus sibi infundendam à solo Deo, cui creatura quæuis titulo creationis eo ipso, vt dicebat D. Tho. *subdatur, quò fiat in ea quodcumque diuinæ placuerit Bonitati. Indè enim sequeretur apertè, corpus humanum, ad receptionem rationalis animæ, quæ à Deo solo infunditur, non plusquam potentiam obedientialē habere, cum tamen eam respicere, vt formam naturalem, per potentiam item naturalem, neutiquam obedientialem, sit certum.*

Potentia itaq; obedientialis passiua ex dictis, entitatem ipsam creaturæ solummodò importare videtur, naturalem quidem in essendo, supernaturalem verò pro vt influxui Dei supernaturali subijcitur, per quem ad recipiendā formam supernaturalem, quāuis à natura ad illam minimè destinata, proportionetur: dissimiliter, ac de corpore ad animam rationalem recipiendam, non quidem supernaturalis, aut alterius cuiuscumq; influxus externi vi, sed ex suis met intrinsecis directo, ac destinato, vt dispositiones, illud ad formam humani corporis prius organizando, naturaliter animam rationalem eo ipso expostulantes, euidentissimè testantur: quod respectu gratiæ, aliorumque effectuum supernaturalium nil tale in anima reperire est.

7 *Quæ potētia obedientialis actiua, sic posita, explicataq; statim se tibi obijcit vt instrumentalis solummodò causa; tametsi entitas in qua consistit, creaturæ verè propria, natiua, atq; à natura congenita sit; non quidem aliundè gratis, vel diuinitùs accepta, aut emē*

dicata, cuiusmodi uniuersæ uirtutes instrumentorũ esse perhibẽtur.

Enimuerò, ut talis entitas est: circũscripto influxu supernaturali: est potentia adhuc remota, & imperfecta, ideò ad causandũ nedum improportionata sed prorsus inepta; non .n. entitas, seu actiuitas illa naturalis, non posita integritate totius uirtutis requisitæ ad operandũ, in actum secundũ exilire ualet; sicut nec causa partialis, nisi posita comparte, nec causa secunda, nisi posita causa prima. Vt igitur fiat proxima, integra, & idonea, superaddendus est concursus supernaturalis; ex quo, & ex ipsa potentia creaturæ, integra causa ad effectum supernaturalem resultet. Ad quem concursum re uera uires agentium naturalium excedentem, ac subindè naturali entitati indebitum, cum non habeat entitas pariter naturalis, quò à natura ordinetur, ac dirigatur; consequitur hanc rationem potentiæ obedientialis fore diuinitùs ab ordine superiori emendicandam, ideòq; non sibi natiuam, & ex consequenti nec principalem, sed instrumentariam tantùm causam, quantùm ex hoc capite esse oportere: ultra quod neque est principalis ex eo alio capite, quod non nisi mota, & assumpta ab alio: quod est constitutiuum instrumenti: haud sufficit ad agendum.

8 *Verùm quò comprehendas Deum antea cum Sacramento nõ concurrentem ad causandam gratiam: quatenus influxum suum supernaturalem nondũ præstabat: dehinc concurrere, atq; admoueri, ita ut de non causante ad postea causantem nouiter, ac de recente uerè traduci fas sit affirmare, nullius tamen rei de nouo ei, aut Sacramento facta accessione; Refundunt Theologi: iuxta doctrinã à nobis positam in c. 8. totam mutationem in ipsam diuinã gratiã nouiter infusam; quod intelligas, non quidem quò ad ipsius gratiæ naturam, aut existentiam, quis enim neget eãdem prorsus: ut inibi latè ostensum est: quacumque alia ratione independenter*

à Sacramento fieri potuiſse? Sed quò ad actionem; per quam ipſa producitur. In qua quidem actione duo ob id occurrunt modi conſiderandi, alter ſpecificus, gratiam fieri denotans, non modò vt effectum ſupernaturalem, ſed ſimul etiam, vt effectum à Deo, & pariter à Sacramento, neutiquam à ſolo Deo, aut ab ipſo, vnà cum aliquo alio inſtrumento à Sacramento diuerſo; habenſq; idcircò correſpondentem ſibi concurſum ipſius Dei, in ratione agentis particularis principalis ſupernaturalis, & concurſum natiuæ virtutis, ſeu potentiæ Sacramenti, directæ ad effectum ſupernaturalem. Alter indiuidualis, gratiam fieri denotans, vt talem numero, & indiuiduo; ratione cuius, adiungendus eſt alius etiam propterea Dei generalis concurſus ſupernaturalis tamen, à Theologis, vt ſupra, præexigitus, rationi indiuiduali cuiuſcumque effectus ſupernaturalis reſpondens; quatenus actionem ſupernaturalem, & eo ipſo effectum ſupernaturalem, ab illa procedentem, ad indiuiduum tale determinat.

Ex qua indiuidua conſtitutione actionis, ſupra poſitis modalibus formalitatibus conſtante procul dubio comprehendas licet, Deum antea, nec ſolum, nec cum Sacramento, ad producendam gratiam concurrentem: poſtea cum Sacramento ad eam, abſque acceſſione alicuius de nouo, vel ſibi, vel Sacramento, concurrere, refuſa nimirum tota ſimul mutatione in actionem, tanquam ſufficiens fundamentum, eas prædicationes Deo adſcribendi, ac Sacramento; per quam illa actio à quacumque, alio modo emanans diſtinguatur; quæ mutatio in eſſentia, & indiuiduatione ipſius actionis eſt poſita tota; cum eſſentiale ſit cuicumq; actioni procedere per ſuam entitatem, & eſsentiam à ſuis cauſis, ne abeamus in infinitnm.

Quod autem exindè ſubintelleximus Deum, qui prius non

concurrebat, postea ad agendum concurrere; aut quò ad Deum ipsum, aut subaudias quò ad nos. Quò ad ipsum, protinus quod infinitus est, & undique perfectus, habet non solum, ut possit esse, sed etiam, ut sit, ipse pænitus immutatus, ac immutabilis, actuale proximum principium, modo eodem capite 8. amplè explicato; sicque actio solum tanquam quid importatum, ad ostendendum Deum agentem, & concurrentem deseruit. Indè autem resultat quò ad nos, habere rationem fundamenti, tum cognoscendi Deum operatum esse, tum iure appellationem principij operatiui, eidem attribuendi. De qua difficillima re plura sumus eodem sæpius citato cap. 8. proloquuti; paucis nunc iterum tetigisse sit satis.



CAPVT XVII.

PER VIRTVTEM SVPERADDITAM CAVSARE RE IPSA GRATIAM, SACRAMENTA INSTITVTA PROBATVR.

ELENCHVS.

1 *Sacramenta, quod virtutem recipiant superadditam, non ideò merè passiuè ad gratiæ productionem concurrunt.*
2 *Virtus superaddita Sacramentis à Scolasticis, Patribusuè probatur.*
3 *Quæ illa sit.*
4 *Sacramentis non deneganda.*
5 *Ad quid inseruiat.*
6 *Quo pacto vna, semperque Dei dicenda.*
7 *Materialis quidditatiuè, spiritualis instrumentaliter.*
8 *De Instrumenti natura haud est actualis motio agentis.*
9 *Qui veram instrumenti naturam, coniuncta, separatauè instrumenta participent.*
10 *Qua de causa Sacramenta tantummodò instrumenta.*

II *Virtutem effectui imparem neutiquam instrumenta requirunt.*

1 
Irtutem superadditam gratiæ effectricem, ab entitate Sacramentorum discretam, ultimo loco libenter in eis eò recognoscimus, non quod uniuersam exindè ab eorum obedientali actiua potentia facultatem, ad eandem gratiam efficiendam, pænitùs adimamus: secus Sacramenta dumtaxat recipiendo, & sustentando hanc, quam superaddimus virtutem, quò ad prouinciam gratiæ producendæ, non plusquam passiuè se haberent; quod nemo concederet: sed quò sententiæ eorum, qui omnem pænitùs virtutem superadditam de medio tollunt, simus è regione contrarij.

Quinimmò ex virtute superaddita, & obedientiali potentia, unam conflari integram, ac totalem virtutem, ac causam, pro effectu viribus utique solius obedientialis potentiæ naturalibus impari, & inadequato producendo, firmiter retinere, & substinere est nobis propositum: Usque adeò, ut ex ipsa obedientiali potentia, & virtute prædicta, alterutrum unitis, ac ad agendum subordinatis, Sacramenta, non amplius extrinsecè: quod acciderat cum sola obedientiali potentia, iuxta doctrinam superiori capite traditam: sed intrinsecè, & ut absoluta, completaque instrumenta, quod est nobilius, ac connaturalius instrumentorum genus, ad gratiam physicè producendam, aßumi, atque eleuari aperto ore hic confiteamur.

2 *Igitur, quod totius extruendæ fabricæ quam molimur est fundamentum, Sacramenta, per virtutem sibi à Deo superadditam euehi ad efficiendam gratiam supernaturalem,* D. Th. *inprimis, Scholasticos Doctores quamplurimos præeundo, apertè indicauit,*

3. p. q. 78. art. 4. Inquiens, in verbis conſecrationis eſſe ponendam virtutem quandam, quam conſequuntur ex mandato Chriſti. item. Sacramenta conſequi virtutem ſpecialem ex benedictione Chriſti. *Cum enim non conſequantur de recenti obedientialem potentiam, quæ creaturis omnibus eſt coæua, procul dubio conſequi virtutem ſuperadditam, quam inferiùs expendemus, neceſſum ſit.*

Idipſum non obſcurè patres prætendunt. Niſſenus lib. de Baptiſmo, circa medium. *ibi:* Hæc omnia: *quæ ſupra retulerat:* effectricia miraculorum, cum materiæ ſint inanimatę, poſtquam vim Dei accepiſſent, magnis miraculis media fuerunt. ſimili modo aqua, ſuperna gratia benedicente ei, hominem reparat. Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 19. *ibi:* homines in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non ius alicuius poteſtatis exercent; neq; enim ſuo, ſed Spiritus Sancti nomine remittunt. *Hæc Patres. Cum enim peruulgatum ſit apud philoſophos, ſine reali mutatione, prædicationes minimè aduenire, aut variaris ſanè ex nouiter adſcripta Spiritus Sancti præſentia Sacramentis ac alijs ſimilibus dicendi modis æquipollētibus, tantumdem apud Sanctos Patres commemoratis, effectum nouiter Sacramentis impreſſum indè colligere non erit abs re.*

3 *Non ideò tamen hinc, Sacramentis ſuperaddi aliquem dūtaxat inſtrumentalem, ac virtuoſum motum, à virtute contra diſtinctum, quo idcircò Sacramenta moueantur, & applicentur à Deo ad operandum; perindè atq; inſtrumenta coniuncta conſueuerunt dirigi, & applicari per agens principale ad operationem: ſed virtutem, ſeu facultatem aliquam in genere qualitatis ſuperaddi, verè realiterq; inhærentem, contra Recentiores nonnullos,*

nequaquam dubitamus. Siquidem cum per eum motum, seu applicationem, Sacramenta non mutentur in substantia, aut quantitate, aut loco, vt notum est: vtique alterari in qualitate, ad quam motus, Arist. test. 3. phis. tex. 5. terminatur de more, consequens fit: Cumque motus sine termino, non solum consistere, sed neque etiam intelligi nequeat, ac motus in repræsenti, materiali, ac sensibili Sacramento inhærens, nequeat omnino ad entitatem gratiæ spiritualem terminari, vt ex vi terminorum dispalescit; quid reliquum fit, nisi vt terminetur ad qualitatem ipsis inhærentem Sacramentis? cum præsertim nil aliud excogitabile fit: aut quodcumque excogitetur, nunquam tollet, quin per huiusmodi motum Sacramenta potentia fieri ad operandum dicantur, ac subinde qualia, ergò qualitate necessariò prædita, ac donata.

4 *Et quidem nequit confingi ratio, cur potentijs animæ habitus, ac virtutes supernaturales, ad effectus itidem supernaturales producendos, re ipsa vltrò adiudicentur; à Sacramentis autem ad efficiendam gratiam supernaturalem, omnis pænitùs facultas supernaturalis ablegenda sit: cum tamen iste modus, per virtutem sibi intrinsecam operandi, sit nedum suauior, connaturalior, ac vsitatior; sed quiuis alius videatur quodammodo violentus, aut saltem præternaturalis potius, quam rerum naturæ, ac ordinariæ Dei potentiæ consentaneus.*

Simile quid in Sanctissima Christi Domini Humanitate sanè conspicere est; quæ quamuis sua entitate physicum præberet influxum ad miracula perficienda; non tamen eo ipso expers reperiebatur virtutis insuper additæ in ratione principij intrinseci, ad ea miracula perpetranda; ex ea præ cæteris ratione, quod vtrumq; in præclaram, Augustamque cedat Christi Domini dignitatem:

ut nimirum eius caro fuerit per se viuifica, vt Patres loquuntur: hoc est per obedientialem potentiam actiuam, cum eius entitate identificatam, mortuis vitam, tam spiritualem, quam corporalem, quandoque mirabiliter restituerit; & vt insuper per virtutem simul sibi supernaturaliter superadditam, quod deerat præcisæ entitati ipsius obedientialis potentiæ, ad actus supernaturales eliciendos supplentem, eorundem miraculorum principium fuerit sufficiens, integrum, totale, ac per omnia intrinsecum; quatenus ad ea miracula patranda nullo alio physico principio, seu actuali influxu, præter Dei concursum in ratione causæ generalis, amplius indiguerit; non plusquam tamen principium instrumentarium, & si completum existimes cum operaretur in virtute Dei, cui ea operatio tanquam agenti principali adscribenda est, eo quod Deus talem virtutem Christo indiderit, indebitam, ac vires, seu naturalis suæ exigentiæ principia excedentem; id quod in omnibus, & per omnia nunc de Sacramentis, proportionata analogia planè affirmamus.

Quod si inferorum igni virtutem ad cruciandos damnatos abnuimus superaddi; non eius virtutis impossibilitas, sed pæna dãnatorum acerbior est in causa, vt qui à Deo auersos per creaturam se præbuerunt, solius ex aduerso creaturæ obedientiali, naturalique potentia, miserandum in modum torqueantur.

Sed quid adhuc huiusmodi superadditam virtutem possibilem contendimus? cum enim obedientialis potentia mera entitas naturalis, ac materialis ad effectus spiritales, & supernaturales, subscribentibus plerisque Theologis, sit potis; cur erit deindè Sacramentis impossibilis virtus supernaturalis, ac subindè de magis effectibus itidem supernaturalibus proportionata?

5 *Porrò hanc uirtutem superadditam potentiæ obedientiali ne-*

quaquam in cassum adiudicari edisserunt aliqui, ex eo, quod, et si obedientialis potētia ad effectum quidem supernaturalem quemcumque, quà talis dirigatur, sub vniuersali tamen ac indefinita supernaturalitatis ratione, nondum verò quò ad speciem gratiæ, vel alterius specifici effectus supernaturalis, ad illum dirigatur; quā proindè specificationem à virtute superaddita sibi vendicat, quæcumq; deinde illa virtus sit, aut respiciens gratiam, priuatiuè quò ad alios effectus supernaturales quoscumq;, qualis est virtus Sacramentorū, aut quæcumq; alia determinatos effectus supernaturales, sibi respectiuè correspondētes vnaquæque respiciens; itaut obedientialis potentia sine virtute superaddita, solum remotum, ac imperfectum instrumentū, quatenus nimirum effectū sub sola generali supernaturalitatis rōne respiciens, in hac sententia dicēda sit.

At dilucidior non minus, quam aptior explicatio nostra; virtutem enim hanc superaddimus Sacramentis, ne dum quò ad specificandum, ac discriminandū effectum supernatura'em, ad quem obedientialis potentia ordinetur, sed etiam quò ipsa potentia obedientialis reddatur instrumentum diuinæ gratiæ magis connaturale, ac proportionatum, quam foret per concursum Dei extrinsecum; ex quo virtutem, ac facultatem supernaturalem, ad ipsam gratiam suaptè natura tendentem, iam intra se receperit, & suæ entitati inhærentem fuerit consequuta; tum ex consequenti, vt ipsius obedientialis potentiæ entitas, alioquì naturalis, & ex suis principijs inepta ad effectum diuini, ac Superioris Ordinis efficiendum, intrinsecè eleuetur ad illum: quemadmodum per lumen gloriæ intrinsecè eleuatur intellectus Beati ad videndum Deum; ac per ipsam eo ipso confluat in intrinsecum, perfectum, ac totale gratiæ diuinæ producendæ principium, vsque adeò, quod ex ipsa virtute superaddita, & obedientiali potentia,

vnica simul ratio instrumenti consurgat.

Instrumenti, inquam, vt animaduertamus gratiæ productionem Deo, vt agenti principali esse adscribendam; non quod ille præbeat actualem influxum, cum Sacramentum, vt diximus, sit integrum, ac totale illius principium; sed quod virtus superaddita, per quam Sacramenta perficiuntur in ratione causæ; cum sit ordinis diuini, non minus à Deo esse oportet, ac requirit, quam sit supra vires, exigentiam, ac naturalia principia Sacramentorum; proindè non plusquam instrumentaria ipsis Sacramentis esse queat; ita tamen vt per ipsam Sacramenta, ne dum apta, sed insuper perfecta, suauia, ac connaturalia diuinæ gratiæ instrumenta indè euadant, quippè intra se virtutem integrè perfectè, ac proximè supernaturalem entitatem gratiæ tangentem, inuoluentia.

6 Porrò virtutem hanc Sacramentis super impositam, quamuis distinctis rebus inhærentem, materiæ nimirum, ac formæ, quibus Sacramenta, vt partibus essentialibus constant; & de consequio in duas portiones ponamus diuisam; vna tamen, tum vnitate significationis sacramentalis, quæ vna est, cuius ratione ea virtus à Deo Sacramentis imprimitur; tum etiam vnitate causæ, ratione eiusdem effectæ gratiæ, ad quam ambæ partes vnius moralis compositi destinantur, meritò nuncupamus.

Neq; volumus vt propriam, principalem, ac debitam Sacramentis inesse, sed sicut Deo, à quo fluit, semper vt diximus adscriptam, Dei etiam semper appellandam esse asseueramus; iuxta Patrum loquutiones; quarũ insignis est illa Anastasij Niceni, q.6. de Sacra Scriptura, *ibi:* Et si homo sit qui audit confessionem, Deus est tantùm, qui per se conuertit, & donat. *quam loquutionem elucidatam habet*, Pontianus Pontifex Epist. 3. ad Sympronianum, *ibi:* quod ego facio, non

meo iure facio, sed Domini, Dei enim adiutores sumus.

7 *Dehinc eandem virtutem superadditam facimus materialem, cum* D. Thom. loc. cit. ar. 4. *docente esse virtutem spiritalem instrumentaliter; quod certè cum esse spiritali essentialiter, & quidditatiuè repugnat; tritum namque est in philosophia, extrinsecè superadditum, nequire cui superadditur, per essentiam competere. facit exemplum ab eodem adductum de voce sensibili, virtute identidem spiritali, ad excitandum intellectum item spiritalem, prædita; quis enim huiusmodi voci, vim aliquam entitatiuè spiritualem vnquam adiudicauit?*

Quinimmò hanc Sacramentorum virtutem, tàm ex parte subiecti, cui inest, quàm ex parte actionis, qua prodit, & seruatur, inuoluit esse spiritalem. Et quidem ex parte subiecti, quippè ab eo dependens, ni velimus nouum miraculum confingere, tanquam accidens inhærens, & ex consequenti ab illo eductum, cum inhærere sit pendere in fieri, & in conseruari; nequit non eius sequi naturam, & in eiusdem materiali ordine collocari; cum sit per se notum, quodcumque intrinsecè dependens à corpore, corporale esse oportere.

Nec minus ex parte actionis repugnat; enimuerò actio, cum sit via ad effectum, immediatiùs illum ex consequenti attingens, quam agens, vt de se liquet, qui non erit in eodem ordine cum ipso effectu? consequens adeò ineuitabile, vt nemo ex Doctoribus, nobiscum virtutem hanc superadditam materialem astruentibus, non fateatur, per actionem nihilominus spiritualem concurrere ad producendam gratiam, ex eo ipso capite, quod gratia terminus, seu effectus illius sit spiritualis. His ita. displicescit statim, eam virtutem superadditam inuoluere esse spiritualem; indè enim sequeretur actionem, per quam ipsa à Deo Sacramentis imprimitur,

primitur, pariter spiritualem esse oportere; cum tamen nequeant omninò esse, ex eo, quod ex vna, tanquam eductio de potentia sensibilis, ac corporalis Sacramenti, iuxta principia superiùs notata, habeat ab eo tanquam à subiecto dependere: & ex altera parte impossibile sit, spirituale intrinsecè dependere à materiali, vt etiam supra notauimus. Quo eodem fundamento ex aduerso, actio per quam Sacramenta gratiam spiritualem efficiunt, communi consensu à Doctoribus spiritualis, & si ex virtute materiali profluens, constituitur; quippe quæ de potentia animæ spiritualis, cui habet inhærere, educatur.

Spiritualis nihilominus appellatur hæc virtus à D. Tho. loc. cit. *instrumentaliter, eo quod Dei principalis agentis simul ac spiritualis sit virtus; tum quia effectum spiritualem attingat; tum etiam quod eius actio, quippè in anima subiecto spirituali recepta, sit item spiritalis; tum tandem quia immediatiùs attingat effectam gratiam spiritalem, quam ipsum agens principale, à quo profluit, quod adhuc, vt notauimus, spiritale est.*

Idipsum conspicere est euenire simili prorsus ratione, tum phantasmatibus materiali potentiæ phantasiæ inhærentibus, quò ad productionem specierum intelligibilium: tum vnione Hypostaticæ Incarnationis Dominicæ in corporali Humanitate receptæ, quò ad effectus quamplures supernaturales simul, ac spirituales edendos, tum etiam Sacramentali præsentiæ Christi Domini sub speciebus panis, & vini materialibus delitescenti, quò ad effectus Sacramenti immateriales efficiendos. hæc enim omnia, quamuis entitatiuè materialia, instrumentaliter tamen, & quò ad operandos, effectus, quibus instrumenta in modo essendi ex nullo capite proportionari est opus, iam spiritualia esse nemini reuocatur in dubium.

De Regul. Aristocra. Nec

Nec modo in esse materiali, aut immateriali, causam proportionari cum effectu non est opus, aut cum obiecto, quod in idem recidit. quin, nec vllam aliam proportionem quandoq; expostulare videmus; cum nimirum causa principalis eius præstantiæ, ac efficaciæ est, vt quãcumque rationem effectui correspondentem, supplere sit potis; qua ratione intellectum, quantumuis finitum, & naturalem, Deum nihilominus infinitum, ac supernaturalem conspicere est certum: eò quod virtus inchoatitia, & imperfecta instrumenti, per supereminentem efficacitatem causæ principalis perfici, suppleriuè queat; quemadmodum intellectus finitus, & creatus, facultate initiatiua Diuinæ visionis præditus, hoc ipso quod Deus sub communi ratione entis visibilis comprehendatur, roboratur à Deo infinitæ virtutis, ac eminentiæ agente principali, quantum est opus, ad ipsius Diuinam essentiam attingendam. id quod non absimile cernitur in potentia creaturæ obedientiali, cuius in gratiam hæc dicta sunto; vt cum materialis, ac naturalis sit, nempè entitas ipsius met creaturæ, eleuetur tamen ad quidquid contradictionem non inuoluit à Deo, sua eminentissima virtute perficiente, ac complente rudem, inopem, ac inchoatitiam illius facultatem, aut per extrinsecum influxum, vt superiori capite latè demonstrauimus, aut per supernaturalem virtutem inditam, vt nunc prosequimur demonstrare.

Vbi tamen nec inchoatitia quidem, aut quo quo saltem modo imperfecta natiua facultas creaturis adesset; totum oppositum accideret ex aduerso; indè est quod oculus corporeus nequit attingere obiectum incorporeum, ex eo nimirum, vt aliqui arbitrantur, quod cum obiectum intellectuale sit penitùs extra rationem formalem visibilis obiecti, nullam reperire sit in oculo vel inchoatitiam, ac imperfectam vitalem intellectiuam facul-

tatem ad illud, quæ poſtmodum à ſuperiori cauſa poſſit ſuppleri, augeri, ac eleuari.

Subintrat alia ratio, quod cum viſio ſit actio vitalis, & immanens, vtique ab oculo eam eliciente, tanquam à ſubiecto in quod recipiatur, habet dependere; proindè cum oculus ſit corporalis, eius viſionem iidem ex dictis corporalem eſſe oportere conſequens ſit; cum autem inſuper cognoſcitiua potentia, tendens in obiectũ ſpiritale, ſpiritualis ab omnibus deducatur; quis deindè viſionem immediatius ſpiritale obiectum attingentem corporalem admittet? Quia igitur videre, non ſolam effectionem viſionis, ſed eiuſdem ſimul receptionem, ac ſuſtentationem importat, implicare viſionem ſpiritalem in oculo materiali euidens ſit. Ex quo etiam claret, non vrgere in re ſubiecta, ab efficere ad cognoſcere argumentum, vt putant nonnulli, à maiori ad minus, cum plus, contra eorum aſſertum, ſit cognoſcere, quam efficere, quandoquidem cognoſcere vltra concurſum actiuum potentiæ cognoſcitiuæ, inuoluit concurſum quoque paſſiuum eiuſdem potentiæ, talem cognitionem in ſe recipientis, ac ſuſtentantis.

8 *Sola ergo uis inchoatiua eleuari poteſt, quomodo eleuatur potentia obedientialis Sacramentorũ ad producendam gratiã; non niſi tamen inſtrumentaliter, quamuis ſumpta cum facultate ſuperaddita, per quam intrinſecè eleuatur, vt dictum eſt; ad quod plenè intelligendum, oportunè hic, quæ de natura ſunt inſtrumenti, ne quid in hanc ſuperadditam Sacramentis Virtutem ſubrepat erroris, recolenda ſunto. Primò itaq; inſtrumenti naturam, eſſentiamuè, in actuali motione aut eleuatione, per agens principale, ad producendum effectum neutiquam conſiſtere, oſtendit inſtrumentorum inſeparata, & coniuncta diſtributio. Separata enim inſtrumenta totam vendicant ſibi virtutem ad efficiendum*

Digitized by Google

effectum, præciso omni influxu actuali agentis principalis: vti semen, quod, generante animato iam demortuo, animatum nihilominus gignit effectum. sola coniuncta vti securis, & calamus, actualem illam motionem, influxumq; agentis exposcunt principalis.

9 Vtraq; tamen, cùm separata, tùm coniuncta, vera, ac propriissima instrumenta quis neget? De coniunctis nulli equidem dubium; nam estò aliquam virtutem, seu potius habilitatem ad effectum debitam, natiuamque præhabeant, vt cernere est in artefactis, ea tamen est imperfecta, ac impos, seclusa motione agentis principalis actuali; cui in agendo, vt discernamus à causis partialibus subordinatur, ad actum exilire.

Quo instrumenti modo Sacramenta dicerentur operari, si per solam obedientialem, Dei extrinseco concursui subordinatam virtutem, agerent. Hæc namque illis vis est natiua quidem, at insufficiens non accedente Dei concursu supernaturali, id virtutis, & efficaciæ, quod desideratur, supplente, consequenter plusquam instrumentaria nullatenus esse nequit.

Separata item uera adhuc instrumenta nec dubitandum; nam licet virtute sufficiente, circumscripta quacumque principalis agentis actuali motione, sint prædita; est tamen ea uirtus, non propria, non debita, non connaturalis. Vt ideò non agant, nisi in uirtute principalis agentis, cui uirtutem omnem, per quam agunt, debent acceptam; vt idem sit agere in virtute principalis agentis, atque per virtutem non sibi coæuam, aut connaturalem, aut saltem quo quo modo debitam, sed omninò deforis, ab ipso scilicet principali agente receptam, operari; sit modò loquutio transitiua, vt de omni virtute superaddita, aut intransitiua, respectu cuiuscumq; alterius virtutis neutiquam superadditæ, sed penitus cum

ipsa instrumenti entitate identificata, quo casu instrumentum ipsum est virtus agentis principalis.

Accidere id in igneo calore conspicimus, seorsim per Dei potentiam à forma ignis existente. Esse namq; igneum, seu temperamento præditum, quod sit proprium formæ ignis, calori, vt calor, aut vt accidens præcisè, est indebitum: quia supra exigentiam, & principia naturæ accidentalis caloris, potentis, quà talis, non plusquam alium similem calorem efficere, nusquam autem ignem, aut aliam substantiam.

Indè est, quod igneus calor, quà virtus efficiens est ad producendum ignem, non plusquam instrumentalis causa illius sit, cum tale temperamentum non ex intrinsecis caloris, aut accidentis, sed tantùm ab igne, cuius est virtus, & proprietas, sortiatur. Iam enim si sub illo temperamento relinquatur postmodum suæ naturæ, nequibit non resultare protinus sub illo forma ignis; ex qua nemo deindè negaret prodire ignem producendum; vt ideò de consequio talis calor igneus vtrobique, in virtute causæ principalis, pariformiter agere dicatur.

10 *Quopacto Sacramenta, licet virtutem in se cohibeant sufficientem ad gratiæ productionem: non nisi tamen instrumentaliter agere sit consequens ex quo virtus superaddita, per quam operantur, sit illi indebita, tanquam supernaturalis, ac supernaturaliter manans à Deo. Deus autem, tanquam auctor illius virtutis, & in eodem ordine cum ipsa, agens est principale, non secus, ac de semine, aut calore igneo supra tactum est.*

Prætermisso quod Deus ipse uirtutem illam Sacramentorũ conseruet, rõne cuius conseruationis, nonnulli faciunt, v.g. ignẽ causam principalem ignis producti, non quatenus influat per formam substantialem, sed solum quia calorem productiuum conseruat.

Qui vterq; dicendi modus, Deum non plusquam mediatum agens productionis gratiæ astruit; media .s. uirtute, quam Sacramentis, tum tribuit, tum postmodum sartam, tectamque seruat.

Et quidem Deus vltra influxum, seu concursum generalem necessarium, cùm ad cuiusuis effectus productionem, tū ad constitutionem Dei in rōne agentis generalis, seu vniuersalis; non alium in ratione agētis principalis, distinctum ab eo, quem præcisè exhibet Sacramenta, hac supernaturali superaddita virtute semel concessa, vtique præstat. frustratoria namq; esset quæuis alia virtus, seu quilibet influxus, præter influxum virtutis superadditæ, cum nulla queat ratio assignari in effectu, huic nouo influxui correspondens. Nulla verò virtute Sacramentis superaddita per solam obedientialem potentiam Sacramenta causare gratiam supponendo; Vtique: per notata in superiori capite: alius Dei supernaturalis influxus prærequireretur, qui & inuoluitur in ratione potentiæ obedientialis, vt quæ talis non fiat, nisi subordinatè Dei supernaturali influxui, quo immediatè Deus gratiam attingeret; quod eodem superiori capite latè declarauimus: quò casu Deus immediatè concurrere dupliciter diceretur, nempè, vt agens generale, per concursum generalem, & vt agens principale, per concursum alterum supplentem id quod deest Sacramento; idem atq; obedientialem ipsam potentiam ad effectum gratiæ supernaturalem dirigendo, ac coadiuuando.

Sed .n. adhuc, Deo nihil actualiter influente in effectam gratiam, semel admissa superaddita virtute supernaturali, quin tamē ipsa Sacramēta non nisi instrumenta sint minimè prohibetur, tum quia ea virtus superaddita sibi est indebita, & principijs intrinsecis impar: ex supra dictis: tum etiam, quia ne per obedientialem potentiam se habeant, vt adnotauimus, merè passiuè, eam dumta-


xat virtutem recipiendo, ac ſuſtentando, ipſam quoq́, hoc eſt Sacramentorum entitatem cum qua identificatur, ſimul cum virtute ſuperaddita influere fatendum eſt; per quam euidentiſſimum fit, Sacramenta rationem inſtrumenti non excedere, cum ea ſit de ſe inſufficiens, & incompleta ad effectum ſupernaturalem; vt ſæpius inculcatum eſt.

11 *Perſiſtendo tamen in virtute ſuperaddita. quod neq́ per hãc præciſam; quamuis gratiæ producendæ æqualem, ac proportionatã, Sacramenta rationem Sacramenti excedãt, ex ipſa natura Sacramenti amplius innoteſcit; quæ profectò non conſiſtit, vt malè aliqui arbitrantur, in attingentia effectus viribus inſtrumenti ſuperioris, quaſi inſtrumentalis cauſa eò differat à principali, quod cauſet per virtutem effectui vtrumq́ inferiorem, ac improportionatam, ea enim improportio quæ communiter in re præſenti aſſeritur, dumtaxat ſumitur comparatiuè ad vires naturales inſtrumenti, ſeu ad uirtutem ſibi propriam, atq́ ex intrinſecis debitam quod idem eſt, vt latè in phyſicis demonſtratur; qualis non eſt: vt præmonuimus: virtus hæc addita Sacramentis, reſpctu cuius proindè impertinens ſit, quod effectus ſit, aut non ſit ea ſuperior. ſed nec conſtituendo virtutem ſuperadditam effectui parem, tollimus quin Sacramenta verè à Deo aſſumi, ac eleuari dicantur, namq́ per eam, entitatem Sacramentorum naturalem, atq́ illorum exigentiam antecellentem, re uera extolluntur ad effectum itidem eorum vires naturales antecellentem attingendum, quo nil aliud vocabulo aſſumendi, ſeu eleuandi prætendunt Theologi.*

Quibus verò non arridet virtus ſuperaddita, contendentibus idcircò Sacramenta de genere inſtrumentorum actuali eleuationȩ indigentium eſſe debere, concurſus Dei extrinſecus aſſignandus eſt, quo obedientialis potentia actu excitetur, & moueatur.

Nos tamen virtutem superadditam, tanquam Sanctorum dictis conformiorem, Sacramentis perhonorificam, suauiori Dei stylo multùm consuetam, reique naturæ magis accomodatam, toto conamine ducimus amplectendam.

Qua dignissima coronide vniuersam concludimus Sacramentorum naturam, licet plana, ac breui, accurata tamen prout id patitur instituti, ac graui methodo pertractatam; quò vnius Sacramenti Ordinis quidditas, ac excellentia, cuius studio celebriores de Sacramentis Controuersias iam percurrimus, vt Prælatorum Ecclesiasticorum, ac in primis Pontificis Maximi, cunctorum Antesignani Dignitas, Maiestas, ac Potestas, quò hæ nostræ qualescunque lucubrationes ex instituto collimant, pro dignitate renideat, ac elucescat.



CAPVT XVIII.

AN, ET QVO EX CAPITE CONTINGAT POENITENTIAE SACRAMENTVM INFORMAE.

ELENCHVS.

1 *Poenitentia Sacramentum quandoque informe.*

2 *Quo ex capite.*

3 *Pro sufficienti materia, Pœnitentia Sacramentum dolorem aliquem eßentialiter exigit.*

4 *Qui neutiquã virtualis, sed formalis exigitur.*

5 *Sufficitque naturalis, probabiliter creditus supernaturalis.*

6 *Ex Tridentino.*

7 *Ad efficaciam verò eiusdem Sacramenti tantùm doloris supernaturalitas facit.*



Væ de Potestate Ordinis erant, expeditis, quædam de potestate iurisdictionis edisserenda supersunt. Quibus cognitis, non adeò difficulter, quam dependentiam à Pontifice Summo habeat vtraq; Prælatorum Potestas postmodum aperitur, cuius quæsiti gratia hæc conscribimus.

Quoniam autem potestatem hanc iurisdictionis bipartiuimus, in alteram circa forum internum, & pænitentiale, omnibus Prælatis, quà proprijs, & ordinarijs Præsbyteris suorum subditorum, communem; & in alteram circa forum externum, diuersimodè ab Episcopis, Abbatibus, cæterisq; Prælatis participatam. Nos ideò conuenientiori veluti in sede, hoc loci, de priori quadam attingemus, posteriorem aliò reseruantes.

1 *Ac primò sese obijcit enucleanda difficultas, superiùs iam insinuata, cũ de morali causalitate Sacramentorum ageremus; an, & quo ex capite contingat, pænitentiæ Sacramentũ esse informe; In qua plurimi, non minus pijssimi, quam grauissimi Doctores sequuti* D.Th.in 4.d.17.q.3.ar.4. *post reliquos antiquiores Theologos: quibus adhæremus: docent, Pænitentiæ Sacramentũ non necessariò esse, aut nullum, aut efficax, cum possit aliquando validum esse, & tamen simul inefficax, quod vocant informe.*

Pietas Christiana, iugũ suaue legis Christi, & exuberantia gratiarum huius nostri status reparati, hanc sententiã inuexerunt, ne scilicet Christianus sufficienti, aut saltem facili, ac cõsueto remedio ad salutem quasi destitutus, quodãmodo inuincibiliter, ẽt post adhibita remedia à Christo Domino instituta, perire cogatur. Peccator siquidem, nisi medio Sacramento Pænitẽtiæ, aut in re; aut in uoto, iustificari nequit, quod proindè secunda naufragij tabula nuncupatur, Ex Trid.sess.14.de Sac.Pænit.c.2.*ibi:* Est hoc Sacramẽtũ Pęnit. lapsis post baptismũ ad salutẽ necessariũ, vt nõdũ regeneratis ipse Baptismus, & c.4. Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectã esse contingat, hoĩemq; Deo reconciliare priusquã actu hoc Sacramẽtũ suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi cõtritioni, sine Sacramẽti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendã.

Qua ſtante omninò neceſſaria huius Sacramenti ſuſceptione, in re, aut in voto, dari hoc Sacramentum informe, manifeſta ratione conuincitur. Etenim ſit ritè: quantum prudenter conijci poteſt: illud ſuſceptum; ſed tamen requiſitus dolor de peccatis ad iuſtificationem conſequendam inculpabiliter non adfuerit; iam iſte non tenebitur ad illud amplius iterandum, cum ſibi conſcius non ſit defectus, & prudenter doluerit, quin adhuc nec tenebitur ad votum illius: Sed votum habeat; cum eo, & cum ſola attritione, certum eſt omnium conſenſione Doctorum, non poſſe iuſtificari, & tamen Eccleſia poſt ritè ſecundum prudentiam humanam ſuſcepta Sacramenta, à Domino inſtituta ad delenda peccata, Baptiſmi, ſcilicet, & Pœnitentiæ, non amplius exigit, quam attritionem, ſicuti nec exigebat ante ſuſceptionem, qui erat peioris conditionis ſtatus; hinc adultus peccator expers illius dum baptizatur, ipſa poſtmodum accedente iuſtificatur. Ne igitur manifeſtè, & quodammodo neceſſariæ damnationi hunc, quantumuis attritum, immiſericordes velimus exponere, ipſum iuſtificari medio Sacramento iam in re ſuſcepto fateri nobis neceſſum eſt, quatenus accedente debita attritione, ſeu recedente obice: vt aiunt: anteactæ attritionis, à Deo, intuitu Sacramenti tranſacti, iuſtificetur, quod non contingeret, ſi illud non fuiſſet verum, quamuis jnefficax Sacramentum.

Perperam verò: quò iſte ſaluetur: ab aliquibus ad Euchariſtiã recurritur, quatenus ea potens eſt ſupplere: poſita noua ſufficienti attritione: Sacramenti nullitatem. Hunc Euchariſtiæ, ac aliorum pariter Sacramentorum effectum equidem non improbamus, ſed quid ſi morte præuentus pænitens, aut aliter impeditus, vt ſæpe contingit, non valeat Euchariſtiam ſumere? Cumque hæc ab alterius miniſterio pendeat, non ne magis conſonum diuinæ

largitati, & melius consultum pœnitenti fatebimur, si pœnitentem ipsum, intra se, independenter à quocumque alio, habere sufficiens remedium ad salutem, cum Angelico Aquinate dicamus.

Frustra itidem ab alijs recurritur ad perfectam contritionem: qua procul dubio delentur peccata: quam proindè pœnitens studeat habere post confessionem; cum enim ita de facilè non conteratur, vt extra Sacramentum passim homines iustificentur; quì esset iugum Christi suaue, & onus suum leue? Si post confessionis difficultatem, ac peccata detegendi verecundiam, *vt verbis* Trident. eiusdem sess. c. 5. *vtamur, ea nihilominus contritione adhuc esset opus, propter quam iugum veteris legis meritó durum appellatum est; ergo traductio nulla, immò inuersa, à statu iustitiæ, ad statum gratiæ.*

At de facili obtineatur contritio; cum pœnitens prudenter existimet se ritè confessum; vt quid vlterius eum ad contritionem astringere, quam ne quidem dum scienter iacebat in peccatis, ante confessionem, tenebatur elicere? Nec: etiam si post confessionem locus detur Eucharistiæ sumendæ: alicubi reperitur eam esse necessariam, aut ad cautelam saltem consuetam; Quarè istud prædicatum ab aduersarijs perfugium, exitium potius animarum foret manifestum, cum pœnitens contra commune hominum iudicium, & institutum, atque contra vsum, frequentissima praxi receptum: quod idem est, ac inuincibiliter de lege ordinaria: compelleretur, vt sic dicam: miserrimè deperire. Id quod nostra sententia procul eliminatur, cum requisita attritio, bona fide prætermissa, obuia, familiaris, & consueta, sola veniat redintegranda; atque ita non denegetur peccatori, quin per remedia ordinaria, faciendo quod in se est, possit saluari. Quod est asserere Sacramentum Pœnitentiæ informe, vt nimirum postea illius intuitu,

debita attritione accessa, pænitens à Deo iustificetur.

2 Contingit autem Sacramento Pænitentiæ informitas ex solo capite extrinseco: cum nimirum dolor, inquantum prærequisitus ad efficaciam, hoc est ad effectum diuinæ gratiæ consequendum, quæ est formalitas extrinseca Sacramento: sit imperfectus; non enim contingere potest ex imperfectione alicuius requisiti ad constitutionem essentialem Sacramenti, quia hoc defectu nullum redderetur Sacramentum, contra rationem informitatis.

Tribus autem modis dolor quò ad efficaciam deficere, accidit; aut quia pænitens putat de omnibus dolere peccatis, sed re uera non dolet; dolorem ex deformitate vni, vel alteri propria, non omnibus communi, eliciens; aut quia dolor elicitus propositum nō includit, tam firmum, & efficax emendandi, vt incompatibile cum peccato actuali eò ipso, iuxta Tridentinum, omnem excludat actualem voluntatem peccandi; aut tandem quia dato proposito efficaci, ipse tamen dolor non est supernaturalis, quippè ex naturali motiuo dumtaxat elicitus.

Quibus casibus: modò defectus irreperit inculpabiliter: ad humanam prudentiam, & fragilitatem habita ratione, erit Sacramentum validum; hoc est constans omnibus partibus ad suam essentialem perfectionem requisitis; adest enim confessio hominis seriò pænitentis, pro materia, absolutio legitima, pro forma, & vera, vt supponimus, intentio ministri. Sed tamen erit inefficax, seu informe, idest non effectiuum charitatis (quam Theologi appellant formam gratiæ habitualis, & aliarum virtutum, quæ vicissim sese comitantur) Inefficax, inquam, defectu doloris, non qui est materia altera pars essentialis Sacramenti, sed qui est dispositio in anima ad receptionem gratiæ requisita, vt mox explicabimus ex Tridentino.

Nec prætensa ignorantia redintegrat dolorem, quia & ipsa defectus est, cuius natura potius detrahit, quam accumulet; quis enim diceret, ignorantiam vietum vegetum reddere, inopem diuitem, validum impotentem? ergò supplendo panem triticeum, orizam idoneam redderet ad conficiendam Eucharistiam? Equidem suffragatur, vt fiat validum in essentia, quod aliàs non fieret Sacramentum, non adiungendo, sed tantùm reparando, ne subintret id, cum quo validitas Sacramenti non consisteret. Enimuerò pœnitens sibi conscius indispositionis, recipiendo Sacramentum, peccaret lethaliter, culpam effectui Sacramentali obijciens; quo stante peccato in ipsius Sacramenti susceptione contracto, iam corrueret integritas confessionis, sine qua Sacramentum, teste Florentino, *non perficitur, ratione petita ex natura ipsius remissionis.*

Eò enim quod nequeant remitti lethalia peccata, nisi omnia simul; quippè in vno deliquens, censeatur omnium reus: fit congruentissimè insufficiens ea conuersio peccatoris, & confessio, quæ non extendatur simul ad omnia peccata; Vt proindè Christus Dominus suauiter dicatur hoc Sacramentum instituisse, dum statuens fieri debere de omnibus peccatis, ante punctum obtinendæ absolutionis perpetratis, eo ipso iuxta conditionem, atq; exigentiam diuinæ reconcilationis, fuerit operatus, quod inter catholicos non reuocatur in dubium: Quam integritatem, data conscientia indispositionis, abesse vtique necesse est; aut enim illud peccatum contractum ex scienti interpositione obicis: quatenus pœnitens culpatur quod Sacramentum suo frustretur effectu: non confiteretur, aut si confiteretur pœnitens verè non attereretur de eo, cum inter se pugnent, peccare, simul & seriò pœnitere, proindè huic Sacramento deesset, aut peccatum, aut seria accusatio

fatio illius, quod vtrumque spectat ad materiam Sacramenti, consistentem, tam in peccatis, materia remota, quam in accusatione illorum, materia proxima, ambabus requisitis ad integrandam totalem, ac essentialem istius Sacramenti materiam.

3 *Qua de re essentiæ Sacramenti Pœnitentiæ exigitur necessario pro materia aliquis de peccatis dolor; eò quod pœnitentis confessio esse debeat, vt peruulgatur in scripturis, Patribus, & Concilijs, præsertim Tridentino pluribi, accusatoria, quæ accusatio nequit profectò sine aliqua displicentia consistere, cæteroquì historica narratio, vel forte de peccatis gloriatio veriùs perhiberetur; Ecquæ enim indicij emendatiui, ac reconciliatiui pars, peccatorum recitatio, quæ intentione Sacramentum suscipiendi non prodit? et quis intenderit vnquam Sacramentum sumere, qui vnà virtualiter saltem non intendat illius effectum sibi aucupari, ac subindè peccata non detestetur, simulque animi affectum ab eis, non minus, quam manum non auertat? id quod luculenter edisertauit* Tridentinum, *dicta* sess. 14. toto c. 4. *adducens præ alijs ad debitam peccatorum detestationem, animis fidelium persuadendam illud* Exech. 18. Proijcite à vobis vniuersas iniquitates vestras, in quibus preuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum; *&* illud Esaię. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ.

4 *Quæ peccatorum detestatio non sufficit pro veritate Sacramenti virtualis, sed omninò formalis requiritur, quippè ab eodem Tridentino, ac Florentino non semel, vt materia huius Sacramenti assignata. Quis enim ignorat, partes aliorum Sacramentorum expostulari formales? quis vuam, vinum virtualiter inuoluens, Eucharistico Sacramēto sat esse affirmauerit? iure autem hic dolor formalis à Christo Domino institutus est, quãtum est æquum pec-*

catorem ad Deum per reconciliationem conuerti, non minus quam ab eo per peccatum se auerterit: Vnde cum peccando se auerterit formaliter à Deo, consonum fuit vt penitendo, non nisi per formalem ex æquo conuersionem reconciliaretur.

Quod adeò verum asserunt complures Theologi, vt nec ipsam dilectionem quantamcumque, & super omnia, sine formali peccatorum detestatione annuant abolere peccata: solo, secundum alios, Martyrio excepto, cum nimirum Martyri in Dei amorem necessariò, ac toto rapto, & absorpto, quò pro ipsius confessione, magnanimiter cruciatuum atrocitatem sustineat, non subeant inuincibiliter peccata iam perpetrata, aut locus desit de eis cogitandi, spatio nullo superstite, ex quo Deo, in eodem met articulo, animam redditurus supponatur. hoc siquidem casu docent isti, Martyrem nihilominus saluari, vel in præmium præclaræ sui ipsius Deo oblationis, suæ confessionis vicem recipienti, iuxta Euangelij promissum, Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; *vel quia alioquì Deus expeteret ab homine, quod exhiberi, aut nequam, aut nequaquam possibile sit, cum iste ad fidei confessionem super omnia procul dubio teneatur, cum qua tamen cohærere, vt supponimus, peccatorum detestatio nequeat, ne ideò Martyr exclamare cogeretur, in medio duorum positus, quò me vertam nescio; quod valde à Diuina pietate abhorreret, in hoc præsertim casu martyrij, in quo, quis nescit, fidei confessionem cæteris præceptis præponderare? quin cohærere non posse, Martyrem simul peccata detestari, ac fidei deserendæ probabili exponi periculo? quatenus ex suppositione ad amorem Dei, à quò sibi exhiliat necessarium robur, pro fortiter irreparabili subeundo Martyrio intendere, ac simul peccatorum, de quibus doleat, recordari.*

Sit vtcumque tamen de hac materia à Doctoribus controuersa; certum nobis sit, dolorem expetitum, pro sufficienti huius Sacramenti materia, non sufficere virtualem, sed omninò formalem oportere: quid quid sit, quod ex Martyrij specialitate, aut rerum incompatibilitate, quis aliundè queat, non suscepto in re, aut in voto, media contritione, hoc Sacramento, iustificari; quod nostra non interest; non enim de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ in re, aut in voto suscipiendi, contendimus; sed de necessitate doloris, quoties à nobis illud re ipsa suscipiatur, quem requiri formalem, ad veritatem Sacramenti, extra omnem controuersiam arbitramur.

5 Non sic ad substantiam Sacramenti, requirimus dolorem supernaturalem; sed naturalem, probabiliter tamen supernaturalem existimatum, sufficere putamus: supernaturalem inquam existimatum, ne pænitens consultò effectum Sacramenti impediendo, lethaliter delinquat, contra integritatem, & de consequio, ex capite iam explicato, contra veritatem illius. Ea prorsus ratione dolorem naturalem hic admittimus, qua reliquis Sacramentis sola materia naturalis adhibetur, & sufficit: quis namque distraxit inter Sacramenta, vt quod verificatur de cæteris, in hoc deindè Sacramento locum habere non patiatur? Nec est quod obijcias, indè Sacramentum non resultare quid totum supernaturale; qua enim ratione cætera Sacramenta, naturalitate materiæ, & formæ non obstante, tota adhuc supernaturalia agnoscuntur, idipsum de hoc quoque Sacramento asserendum est; esse nimirum totum supernaturale, interuentu significationis infallibilis, & practicæ supernaturalis sanctitatis, ipsum Sacramentum in ratione vltimæ formæ, seu veriùs differentiæ complentis, quam significationem supernaturalem esse, & à solo Deo supernaturaliter au-

Digitized by Google

ſpicatam, cum tamen ei compoſitum naturale, ex parte tam materiæ, quam formæ nihilominus ſubſit, vt cap. 3. latè proſequuti ſumus per totum.

Quid vlterius obijcitur effecta gratia ſupernaturalis? non enim attenditur ad illam cauſa materialis, ſed efficiens, nec comparatione illius, ex parte materiæ, materiæ inquam, gratiæ receptiuæ, qualis eſt anima, non Sacramentum, requiritur pluſquam diſpoſitio, quam idcircò, iuxta gratiæ ſupernaturalitatem, non negamus & ipſam ſupernaturalem eſſe debere; de quo infra. ſed .n. effectus materiæ Sacramenti eſt compoſitum naturale, ad quod proindè requiri, & ſufficere in quocumq; Sacramento materiam, & formam, partes ipſius eſſentiales, quantumcunq; naturales, pluribus ibidem demonſtrauimus. Ex quo deindè naturali compoſito, & ex ſignificatione Sacramentali ſupernaturali ipſo innixa, totum morale, ſeu methaphyſicum ſupernaturale reſultat.

6 *Sed tandem ne plus æquo inſtituti limites prætergrediatur oratio, veritatem hanc, irrefragabili* S. Conc. Trid. dict. c.4. *ſigillemus auctoritate, contritionem, partē materialem Sacramenti, ſic definientis.* Eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato cōmiſſo, cū propoſito non peccandi de cętero. *Quid hic de ſupernaturalitate innuitur? quæ tamen fuiſſet, dubio procul, expreſſa, ſi abſque ea, vt parte eſſentiali, nequeat Sacramentum conſiſtere, ne tanto Concilio numeris omnibus accurato, & abſoluto, apertam inferamus iniuriam, quod definitionem eſſentialem tradiderit diminutam. igitur extra omnem dubietatem, huius Sacramē ti ſubſtantiæ, dolor inuincibiliter naturalis, eſt ſatis. Quæ à priori ratio eſtò ad comprobandum Pœnitentiæ Sacramentum, quātumuis cum ſolo dolore naturali, vt infra dicemus, inefficax, fore nihilominus validū, vtpote eſſentiali materia legitima cōſtans, &*

eum esse informe, supra diximus coincidere.

Nec suspicare hoc pugnare cum præcedente c. 3. eiusd. Tridentini, *sistentis materialem huius Sacramenti partem, in dolore prærequisito ad effectum diuinæ gratiæ, & eo ipso supernaturalem consequendum, ibi:* Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius Pęnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque perfectam remissionem peccatorum, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pænitentię dicuntur.

Nam sumit hic Concilium contritionem, non vt partem essentialem, sed integralem Sacramenti, ex ijs verbis. Quatenus ad integritatem Sacramenti requiruntur. *Quod etiam innotescit magis, tum ex particula, satisfactionis, quam esse partem solum integralem, non essentialem est certum; tum ex effectu, in ordine ad quem, ibi sermo de contritione habetur, vt per titulum capituli, qui est* de partibus, & fructu huius Sacramenti. *respectu cuius, ideò contritio pars integralis, iure merito, appellatur, quia Sacramentum semel suo effectu frustratum, iam nos est amplius integrum, & perfectum, vt potè carens extrinseca perfectione producendi, communiter, & absolutè perfectio causarum à philosophis nuncupata; tantò magis in nostra sententia, quod destruendo operationem, destruitur eo ipso aliquid inhærens Sacramento, nimirum virtus ad operationem eliciendam, quam realem, superadditamque adiudicauimus Sacramentis; ea enim posita virtute necessariò sequeretur effectus, cum agat ex necessitate naturæ.*

In quo sensu partis integralis, dolor de peccatis proxima est, ac sufficiens dispositio, reddens pænitentem aptum ad recipiendum

Digitized by Google

effectum Sacramenti. *Quod* Tridentinum *apertè significauit* d. c. 4. *Vbi post distributam contritionem in perfectam, quæ retinet nomen ipsius contritionis, & in imperfectam, quæ vocitatur attritio; asserens ad consequendam gratiam, ipsam attritionem sufficere, subdit,* eum, *scilicet donum Dei in attritione consistens,* ad Dei gratiam in Sacramento pęnitentię impetrandam, disponit. *En materiam neutiquam essentialem, ac stantem solummodò à parte Sacramenti, sed integralem, stantemque simul à parte pænitentis, tanquam dispositionem ipsum habilitantem ad gratiam obtinendam. Qualis vtique esse nequit, nisi supernaturalis, sicuti est gratia, ad quam disponit, cum forma, & dispositio ex physicis; in eodem esse debeant ordine; Immò, nisi simul de omnibus peccatis eliciatur, atque propositum, saltem virtuale, firmum, efficax, & absolutum emendationis inuoluat, adeò vt voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, vt per Tridentinum ibidem.*

Cum quo tamen stat, quod dolor, pro constitutione essentiali Sacramenti, sufficiat: modo inuincibiliter: naturalis, nec de omnibus peccatis, neque cum proposito efficaci; quamuis deindè sic imperfectus ad consequendum effectum eiusdem Sacramenti insufficiens habeatur.

Hunc duplicem dolorem, aut duplicem habentem formalitatem, ex natura rei distinctam: si contingat vnum, eundemque esse tum essentialem, tum integralem materiam Sacramenti: disertè ante Tridentinum S. Doctor q. 87. ar. 1. ad 2. commemorauerat, materiam *asserens* in Sacramento pœnitentię, esse actus hominis, qui proueniunt ex inspiratione interna. *En dolorem supernaturalem quippè ex principio supernaturali inspirationis internæ procedentem, quo modo est pars integra-*

lis sufficiens pro efficacia Sacramenti; Et subdens, sicuti in alijs Sacramentis præexistit materia à natura, ita etiam in Sacramento pœnitentię; ex naturali enim ratione mouetur homo ad pœnitendum de malis, quæ fecit. *En dolorem naturalem, partem nondum integralem, sed tamen essentialem, pro essentia Sacramenti constituenda, sufficientem, cum appellet materiam, ad modum aliorum Sacramentorum, quibus planè sufficit naturalis.*

7 *Quò igitur, stationem nacti, colligamus vela, minorem sufficere dolorem ad essentiam, consistentem in sola accusatione, & eo ipso detestatione seria peccatorum, quam ad efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ, quippè nondum sufficienter disponens pœnitentem ad effectum Sacramenti recipiendum, conclamamus. Ex quo superueniente postmodum dolore sufficiente in ratione dispositionis, quæ deerat; cum Sacramentum ex parte vna incipiat habere totum id, quod habere debet; atq; ex alia nequeat, vt transactum, physicè efficere gratiam, ad cuius physicam efficientiam institutum est, ne frustretur suo effectu, Deus intuitu illius, gratiam exhibere tenetur. Itaut ad eam consequendam iteratò non sit opus nouo pœnitentiæ Sacramento, cum transactum, ex suppositione, substiterit in ratione totius essentialis; nec prudenter queat iterari à pœnitente, qui supponitur ignorare anteacti sui doloris defectum, multò minus sit necessariò iterandum, quia doluit quãtum prudenter ipse debuit æstimare. Sicuti neque est opus alterius generis Sacramento, puta Eucharistia, rationibus superiùs allatis; quamuis non diffiteamur, & Eucharistiam, et quodcunq; aliud Sacramentum, post Baptismum, valere, posita attritione sufficienti, à peccatis iustificare; non modò in casu proposito, dum pœnitens sibi fuisse remissa peccata, per Pœnitentiæ Sacramentũ,*

à se ritè, pro sua prudenti æstimatione susceptum, inuincibiliter fidit; verùm etiam in peccatore, eò non confesso, quod prudenter arbitretur se non peccaße, aut inuincibiliter fuerit peccatorũ oblitus.

Atque hanc Sacramenti pœnitentiæ informitatem, eò libentiùs amplexamur, quò abyßum diuinæ illius in peccatores misericordiæ non egurgitat, exhauritque. O præclarè adiutam hac informitate infirmitatem humanam! verè exclamandum nobis: Misericordiæ Dei, quia non sumus consumpti. Præterea piæ, laudabili, ac inueteratæ consuetudini, ex parte, tum pœnitentis, tum confessarij, conformior hæc nostra sententia; cum mos inoleuerit inter pœnitentes communiter, confessa de recenti crimina, denuo, in amaritudine animæ cogitandi, Deo rependendo grates, quod confessioni dederit locum; maiorique studendo conscientiæ puritati: Mos item inter Confeßarios veterauerit, absolutione adhibita, pœnitentes nos adhortandi, vt magno cum timore, tremoreque, certam nostram salutem faciamus.



CAPVT XIX.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR EX NVLLITATE, AVT INEPTITVDINE MATERIAE; NEC EX NON APPOSITA CIRCVMSTANTIA, AB ECCLESIA PRAESCRIPTA: NEC TANDEM EX INDISPOSITIONE POENITENTIS.

ELENCHVS.

1 *Poenitentiæ Sacramentum reddi inefficax, haud est reddi nullũ.*

2 *Ecclesiæ nulla Potestas, præscribendi in hoc Sacramento, materiam.*

3 *Nec prohibitio illegitimam, nec Permissio legitimam reddit materiam, de se antea legitimam, vel illegitimam.*

4 *Poenitentis subiectio nequit, velut ab Ecclesia prescripta circumstantia, prærequiri.*

5 *Eiusq; indispositio, Sacramentum neutiquam nullum reddit.*

Digitized by Google



Vi Potestatem Presbyteri absoluentis crimina, neutiquam Pontificij, siuè Ecclesiastici iuris esse, sed Diuini; proindèque totam ex vi sacræ ordinationis in Presbyterum dimanantem asseuerant graui sub pondere gemunt, in explicando, quomodo ex non subiectione legitima pœnitentis, ab Ecclesia manante nullum reddatur Pœnitentiæ Sacramentum; ad tradita per Trid. sess. 14. de Sacr. Pęnit. c. 7. *ibi:* Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse, Synodus hęc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

1 *Eòque grauiori præmuntur pondere, quod nequeunt Sacramentum asserere nullum, ex sola eius inefficacia, vt proindè idem sit, & pro eodem vsurpetur in lege, inefficax, & nullum, Foti à* c. Inter corporalia *de* trāslatione Episcopi. *ibi:* Ecclesia cum sponsus eius nondum est consecratus, dicitur viduata; non quia sponsam non habeat, sed quia adhuc, quò ad quædam, quasi viri maneat solatio destituta. Iuxta quem modum illa dicitur Ecclesia viduata, quę licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. *vbi* Glossa verbo, inutilem, *notat, quod inhabilis ad agendum nullus dicitur*, ff. quod cuiusquè vni, l. 1. §. penultimo.

Nequeunt proculdubio hoc se textu tueri. Ideò enim Episcopus non dum consecratus, quò ad quædam, puta ad ordinandum, Chrismandum, & similia, perhibetur inhabilis, quia quamuis re vera sit per confirmationem Episcopus constitutus, non dum tamen

hibuit, quò, inualeſcentibus ſimul ex alio capite inſcitia, imprudentia, ac fortaſsè etiam improbitate quorumdam ex Sacerdotibus, animarum ſalus periculo non pateret apertiſſimo.

2 *At in primis doceant hi; vndè tanta ſit Eccleſiæ in hoc Sacramento auctoritas, vt illius materiam præſcribere, ac determinare ſit potis? Cum alioquì in cæteris Sacramentis, tum materiam, tum formam, veluti à Chriſto Domino inſtitutas, præſcriptas, ac deſignatas, vt ex traditione, & ſcriptura Theologi vnanimiter deſumunt, præſcribere, ac determinare non valeat.*

Quin etiam, cum forma Sacerdotalis Ordinationis ſit ad pœnitentes indefinita: quod ipſi fatentur, tenorquè verborum expreſsè ſonat: nullam indè requiri Eccleſiæ determinationem, ne dum non eſſe ad mentem aduerſariorum neceſſariam, nulloquè, pacto ipſam Eccleſiam poſſe ſubindè aliquos eximere peccatores, neceſſe ſit; ex quo: vt certi iuris eſt: indefinita æquiualeant vniuerſali.

Nequè veritatem ſapit, quod inquiunt, Eccleſiam, per diſtributionem Parrochiarum, aut per iniunctum præceptum de non confitendo niſi proprio Sacerdoti, præſcripſiſſe huius Sacramenti materiam; ex eo ſiquidem, quod ea diſtributio, ac præceptio non fuerit tunc à fidelibus acceptata, ſeu in more poſita, vſquè ad Vrbanum II. innouantem, ac denuò ſtatuentem, quod antea ſtatutum erat, aut toto eo anteacto tempore nulliter factum fuiſſet Sacramentum, quippè expers materiæ; indequè Eccleſia diù permiſiſſet tam graue ex Sacramenti inualiditate, animarum diſpendium, quod nefas eſt dicere; aut, ne dum Eccleſia, ſed quiuis etiam particularis pænitens, ad huiuſce Sacramenti materiam conſtituendam, auctoritate perpolluiſſet; quod virorum nemo concederet.

Quibus tamen deductis, & alijs quæ deduci poſſent, pro nobis non ſuffragantibus; punctus difficultatis propoſitæ adhuc nihilominus non enodatur: vt enim ſupra ex Tridentino adnotauimus, & infra magis, ac magis ſemper clarebit: Sacramenti inualiditas ſtat tota, in caſu non ſubiectionis pœnitentis, ex parte poteſtatis oppidò Sacerdoti denegatæ, non autem ex parte materiæ, ſeu pænitentis, niſi quod ſubiectio poteſtatis defectum Sacerdotalis importat; quo circa modus iſte abigendi dubium in hoc Sacramento ex carentia materiæ, nullo pacto laudatur.

Nouum ob id modum dicendi confinxerunt alij, aſſerentes, abſolutionem in non ſubditum, idcircò nulliter impendi, quod ſine ſubiectione pænitentis, materia: equidem à Chriſto Domino prædefinita: adeò reddatur inepta, vt ſtante ineptitudine perfici nequeat Sacramentum.

His tamen in primis explicandum foret, quid ſibi velit ex non legitima ſubiectione, huius Sacramenti materiam ineptari. aut enim coincidere eſt in antecedentem ſententiam, quæ non ex ſubiectione legitima abſolutè denegat adeſſe materiam; aut inaniter contenditur abſolutionem, reddi inualidam, concurrente materia, ſolo defectu legitimæ ſubiectionis, quæ veluti quædam illius circumſtantia requiratur: vt enim clarè conſpicitur in Adorandiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: tametſi Eccleſia circa illius materiam, panem ſcilicet, & vinum aliquam præſcripſerit circumſtantiam, vt puta panem triticeum inter Latinos; nihilominus præuaricator, etiam ſi peccaret, non tamen, omnium conſenſione, inualidè conſecraret.

Nec certè prohibitio materiam antea legitimam reddit illegitimam, ſicuti nequè permiſſio, aut conceſſio, illegitimam reddit legitimam; quod indè euidenter deducitur, cum à Prædeceſſo-

ribus Vrbani II. ea prohibitio manauerit, nec tamen fuerit, aut acceptata, aut moribus vtentium comprobata, vsquè ad ipsum denuò prohibentem: vt communiter aduertunt Doctores: aut enim, vt deducebamus, Ecclesia diù tollerasset in graue fidelium spirituale detrimentum, inefficaciam Sacramenti, ex nullitate, seu illegitimitate materiæ: quod non leuem notam ipsi Ecclesiæ afferret: aut prohibitio materiam, se ipsa legitimam, non reddit illegitimam, contra assumptum.

Facit amplius ad hanc illegitimitatem euincendam, quod Ordinum collatio: posita adhuc materiæ illegitimitate, proueniente ex defectu subiectionis in ordinando: valida nihilominus est, ob id solum quod tota virtus in agente necessaria supponatur. Quid igitur pro Sacramento pænitentiæ inualidando confugiemus ad illegitimitatem pænitentis? Sed enim totum hoc assumptum aduersarijs concedamus; adhuc nil magis isti, quam Auctores superioris modi dicendi, nodum difficultatis soluunt; quippè quod nullitas Sacramento pænitentiæ: ad mentem Sacri Conc. Triden. allegatis verbis, satis expressam: ex defectu potestatis Presbyteri minimè verò ex parte materiæ Sacramenti, nascatur.

Hinc tertium modum dicendi inuexerunt alij, docentes, absolutionem in non subditum, ex eo fore nullam, quod circumstantia legitimæ subiectionis, quatenus ab Ecclesia præscriptæ, & requisitæ sub pæna nullitatis, absit. Quale inuentum, in ipsa natura essentiauè iudicij, planè in hoc pænitentiæ Sacramento imbibiti, fundant. Pro quo statuunt Ecclesiam: penès quam supremi Iudicis auctoritas residet vniuersa: sic præstituisse huic Sacramentali iudicio circumstantiam legitimæ subiectionis, vt ea non seruata, reddatur iudicium viribus vacuum, irritum, & inane, per c. Omnis vtriusque sexus de Pœnit. & Remiss. de vno-

quoque, proprio Sacerdoti confitendo, ibi: aliter Sacerdos non possit absoluere, & ligare.

Non secus, ac ipsamet Ecclesia vti Princeps (cui Potestas à nemine controuertitur, præscribendi in contractibus quicquid iudicauerit expedire, sub pæna nullitatis adimplendum) Sacramẽto matrimonij celebrando proprium Parochum ità interesse debere, vt cæteròqui nulliter fiat matrimonialis contractus sanciuit.

Quo stante, adhuc inter præmissa Matrimonij, Pænitentiæque Sacramenta, ac Sacramentum Ordinis disterminant, quod istud Ordinis, quamuis in non subditum, ex communi sententia Sacrorum Canonum, & Doctorum, teneat, & perficiatur, quod nequeat per quantumcunque non seruatam circumstantiam legitimæ subiectionis, ab Ecclesia irritari; ceù nullam contractus, aut iudicij rationem imbibens, ob quam Ecclesiæ sit irritandi Potestas.

4 *Isti Auctores clariùs profectò, & expeditiùs edifferunt præ alijs; sua nihilominus incommoda haud effugiunt. Cum enim in Ordinum collatione, circumstantia legitimæ subiectionis non seruata, ideò substantiæ Sacramenti non detrahat, quia Potestas Ordines conferendi: prout communiter caussantur Doctores: tota à Deo per Episcopalem Ordinationem, nullatenus ad ipsam auctoritatiuè contribuendam Ecclesia concurrente, collata sit. Indè affirmare necesse est, absoluendi Potestatem in Sacramento Pænitentiæ: cui non adhibita præscripta ab Ecclesia legitimæ subiectionis conditio detrahit de substantia: non exhiberi à Deo totam per Ordinationem Presbyteralem, contra id, quod hæc sententia profitetur, & ad quod saluandum hunc suum dicendi modum commentata est.*

Nec tamen simile est de Sacramento Matrimonij; cum enim

Digitized by Google

hoc consistat, ceù in fundamine, in naturali contractu, hoc est in naturali mutuo coniugum consensu; contractusq; vt sit legitimus, plusquam moralem validitatem, nimirum ad solum præscriptum communis hominum institutionis, & æstimationis, non exigat; facilè intelligitur, qua ratione per non adimpletam conditionem subiectionis, sub nullitate ab Ecclesia præscriptæ, fiat hoc Sacramentum Pænitentiæ nullum: erit quippè nullum, quatenus ex hominum institutione, atque æstimatione communi, nullus concipitur, & reputatur ipsius contractus. At verò sacramentalis absolutio, præter valorem moralem, consistentem in hominum conceptione, atque acceptatione; pollet altero valore physico, & effectus realis efficaci: tanquam physicè ad absolutionem à peccatis, per gratiæ illorum formaliter expultricis realem infusionem, concurrens. Qui valor physicus cum sit, & supernaturalis; profectò humana potestate, per verbalem iniunctionem circumstantiæ præstari nequit, sicut etiam nec valet auferri.

Indè suadere tandem nituntur alij, absolutionem, ex non legitima subiectione, reddi nullam, non equidem defectu Potestatis necessariæ in absoluente, vel materiæ legitimæ in Sacramento, sed quod pænitens: qui etiam materia, circa quam, dici potest: non sit debitè dispositus, cum non obediendo Ecclesiæ, læthaliter peccet, ac subindè culpabiliter sacramentali absolutioni obicem struat.

Omninò vera cõmisceant isti: haud tamen verè inferunt. Verũ etenim sit, nullitatem non prouenire ex defectu in absoluente, eo quod Potestas absoluendi sit, vt dicitur, mera Potestas iudicandi, seù ius dicendi, quæ tota: ipsis etiam aduersarijs consentientibus: in Ordinatione tribuatur, per citata verba. Accipe Spũm Sanctũ, *Verũ item sit, Pænitentẽ non obediendo, læthaliter peccare, & ita*

peccando absolutioni obsistere, quod libenter concedimus.

5 *Hæc tamen omnia quid inferunt? Herclè, Sacramentum Pœnitentiæ inefficax, an etiam nullum? minimè gentium: vt ex terminis satis innotescit. Aliud enim est Sacramentum nullum, & inualidum; aliud inefficax, & frustratum, illud siquidem detrahit de substantia, hoc de sola operatione; prout conspicere est in confitente, legitimè quidem subiecto, sed indispositio, quem vtique absolui validè, quamuis sine fructu gratiæ iustificantis, superiori capite fusè firmatum est.*

Adducunt præterea Doctores isti in sententiæ suæ subsidium, absolutionem à venialibus illimitatam, & à mortalibus in articulo mortis; quas ideò asseuerant vel in non subditum impendi validè, quod: cum nullibi cautum sit ab Ecclesia esse impendendas dumtaxat in subditum: quisquis uoluntariè se subijcerit, nullum indè gratiæ efficiendæ, obicem ponat:

Adducunt item absolutionem, inuincibiliter receptam à non proprio Sacerdote, ideò validam, quod iuxta commune Theologorum effatum ignorans inuincibiliter, indispositionem Sacramento obsistentem, minimè contrahat.

Adducunt vltimo absolutionem Summo Pontifici impartitam à quocumque is asciuerit sibi in confessarium, validam, ex quo Pontifex Ecclesiæ non subiectus: quippè supra omnem Ecclesiam: nequeat, non obtemperando, indispositionem aliquam Sacramento obijcere; Cuius validitatis eam esse, & non aliam causam efficaciter per inductionem colligunt, quod prouenire nequeat, ex eo, quod Pontifex potestatem confessario præbeat absoluendi; cum nullius, vt opinantur, se ipsum iudicandi habeat potestatem, ideòque nec alteri contradendi, ex regula, nemo dat quod non habet. neque similiter prouenire, quod Ecclesia illam potestatem con-

conferat confessario, cum non sit Ecclesia supra Pontificem, sed supra Ecclesiam Pontifex, vt superiori libro est fusiùs demonstratũ.

Verùm enimuerò, hæc, & alia similia, quid ad rem congeruntur? gratis enim confinguntur eiusmodi absolutiones ideò consistere, quia pænitens non sit indispositus, quatenus Ecclesiæ præceptum nullum transgreßus sit; siquidem: communi Doctorum calculo: pænitens inuincibiliter ignorans confessarium improprium, non peccat, nec tamen validè, contra eorum assertum, absoluitur. Validitasque absolutionis à venialibus quandocumque, & à mortalibus in articulo mortis, in cæteris pænitentibus; & ab vtrisque, quandocunque, & quomodocunque in Summo Pontifice, non prouenit, quod ea non prohibeantur, aut prohiberi non poßint. sed quia ad ea absoluenda debitam facultatem vniformiter impartiatur Ecclesia, id quod propria loca inferiùs demonstrabunt prætermißo Pontifice, cui peculiaris dicendi modus infra dictus esto.



CAPVT XX.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR EX DEFECTV AVCTORITATIS, SEV IVRISDICTIONIS EMERGENTIS A POENITENTE.

ELENCHVS.

1 *Duplicem agnoscunt aliqui iurisdictionem, ex parte principij, & subiecti.*

2 *Posteriorem veriùs notionem, quam Iurisdictionem appellãt.*

3 *Requisitam tamen volunt ad validitatem absolutionis sacramentalis.*

4 *Huius absolutionis validitas, ex parte subiecti neutiquam discernenda.*

5 *Iurisdictio ex parte subiecti nulla.*

6 *Subiectio ei, cui fit, iurisdictionem ascribit.*

7 *Ex parte subiecti Iurisdictio ad validitatem absolutionis sacramentalis impertinens.*

Digitized by Google

1 *Vbtilius alij sibi visi sunt præsentem difficultatem diluere, bipartitam auctoritatem, seu iurisdictionem, alteram: vt loquamur in terminis: ex parte principij, alteram ex parte subiecti constituentes. Priorem penes eũ reponunt, qui, vel assumatur ad munus secum rapiens esse superiorem, aliorumque iudicem; quæ est Potestas ordinaria; vel sine munere superior, & Iudex ad aliquam, seu ad vniuersas causas constituitur; quæ est Potestas delegata. Posteriorem penes subditum, cui conceditur, vt possit, à quò maluerit se subijciens iudicari, quæ semper delegata Potestas est.*

Inter quas auctoritates, hæc ponunt discrimina quod vbi prior propria, ac coactiua iurisdictio est: vt infra videbimus: posterior nullam vim inferat subdito, quippè ab eo pro arbitratu traducta, non nisi dependenter ab eo exercenda sit, quæ idcircò vulgò dicitur iurisdictio voluntaria. Nec quà ex subiectione resultat; propria iurisdictio dici queat, cum ea iurisdictio in alterum nequeat traduci, quam procul dubio in se ipsum propriam habet nemo. Cessio igitur, seu concessio iuris proprij, & priuati: beneficio naturæ, vel legis, aut Iudicis sibi competentis: veriùs dicenda est, quam iurisdictio.

Quem intellectum, ex frequenti hominum loquendi, & intelligendi vsurpatione deducunt: factum enim sibi arrogare super personas, aut loca alteri subiecta, non ne communiter dicitur perturbatio, seu vsurpatio iurisdictionis alterius? Cur? nisi quia ius facti, non legis comparatur, cum certum sit, per iniustam functionem, nihil iuridicæ Potestatis detrahi Iudici, aut Superiori, cui personæ, aut loca subiacent.

1 *Consensus similiter priuatorum eligentium arbitrum, vulgò*

dicitur in eum transferre iurisdictionem, cum tamen propria iurisdictio arbitrio non sit, per l. priuatorum, C. de iurisdictione omnium Iudicum, *quippè arbiter, non ex parte principij, sed iudicandi iurisdictionem recipiat, vt dicitur in* l. si societatem, §. arbitrorum, ff. de Iur. om. Iud. *Quam proindè Iura frequentius notionem appellant, vt à propria iurisdictione discriminent, ab ea scilicet, quæ cum stet ex parte Iudicis agentis, sitque independenter à subdito iudicando collata, eòque ipso independenter ab eo exercenda, vis, seu iurisdictio coactiua, meritò nuncupatur.*

Dicunt itaque sic opinantes, absolutionem, ex non legitima subiectione pænitentis, eò esse inualidam, quod absit Potestas, non quæ ex parte principij absoluentis, cum hanc ex vi Ordinationis completam supponant, sed quæ ex parte solius subiecti pænitentis. Qua ratione, loquutionibus Conciliorum asserentium absolutionem nullam esse defectu iurisdictionis, & Potestatis, satisfacere intonant.

3 *Requiri verò, & sufficere hanc iurisdictionem ex parte subiecti, quò valida sit absolutio, excerpunt ex eo, quod quandiù Parrochiarum, & Sacerdotum diuisio, ac distributio non extitit; vt quisque validè absolueretur, expostulabatur, & sufficiebat subiectio, iure exhibita proprio, atque spontaneo pænitentis, iuncta solum, inclusaque subiectioni iam factæ à Christo, per verba*, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. *quibus hoc Sacramentum fuit institutum; quatenus ab Ecclesia ad illa vsque tempora nondum fuerat dispositum, seù per consuetudinem aliud obtentum. Postquam autem Parrochiæ, & Sacerdotum ditiones fuerunt distributæ (quod accidit, vt dictum est sub Vrbano II.) quò quis de cætero potuisset, & possit validè ab-*

Digitized by Google

solui, requisita est semper, & modò etiam requiritur subiectio, per Ecclesiam directè, vel indirectè; tacitè, vel expresse, seu alio quouis legitimo modo facta, quoniam Christus ad seruandum Hierarchicum Ordinem, ad perfectum Ecclesiæ Regimen tantopere necessarium, vtramque illam subiectionem, seu vnam, eãdemq; à se, & à Pænitente manantem: de se alioquì sufficientem: Pontifici, ceu Capiti supremo, ac Iudici generali, ac per ipsum, cæteris Prælatis inferioribus respectiuè subordinauit, qui iustis de causis eam adimere, aut minuere, adeptam, aut imminutam rursus possent conferre, aut augere, quoties expediens videretur; prout à recitato tempore Vrbani II. Ecclesia ad subiectionem in posterum constituendam, aut immutandam, designatos Pænitentes designatis Parrochijs, ac Sacerdotibus adiudicando, iure optimo se ingessit.

4 *Sed enim hic modus dicendi, eludit magis, quàm difficultatem elidat, nam Concilia patentibus verbis, quæ supra notauimus, nullitatem prouenire ex defectu Potestatis in absoluente directè, ac immediatè, sola facta mentione de Pænitente, vti termino illius Potestatis, definiunt.*

Quid obest præterea subiectionis ex parte Pænitentis carentia? an quia indispositum reddat Pænitentem? hoc supra redarguimus; Non enim indispositio Sacramentum reddit nullum, sed tantùm inefficax, quod non est Potestatem alioquì integram, & ex parte agentis sufficientem, absolutè adimere, seu minuere, sed solùm respectiuè ad effectum, efficaciam tollere. Num quia materiam reddat nullam, vel illegitimam? & hoc quoque confutauimus, per id, quod Ecclesiæ non sit Sacramentorum materias constituere. Præter quæ, cum nullus alius defectus ex parte Pænitentis assignari queat, impossibile fit, Sacramentum reddi

nullum, poſitis ex alia parte debita forma, ac materia, debitaque intentione miniſtri, quæ ſupponuntur, niſi ad carentiam Poteſtatis in agente, cui nullitatem totam adſcripſere Concilia, confugiatur.

Non ſecus atque Ordinum collatio, quæ, vt ſæpe dictum eſt, eò eſt firma, quacumque ſecluſa iuriſdictione, quod cætera, Ordinis Sacramento ſubſtantialiter conſtituẽdo neceſſaria, interſint.

5 *Accedunt huic dicendi modo multa implicita falſa. Quæ enim in primis eſt iſta iuriſdictio à Pænitente dimanãs, cui nihil aſſignatur in effectu reſpondens, ſed neque aſſignabile eſt in iſtorum ſententia? At eſto ſit vera, & non fictitia; certè non niſi morale quid, & rationis depræhenditur, nempè in humana dumtaxat appræhenſione, vulgarique hominum æſtimatione, & acceptatione conſiſtens; quis autem ens rationis in abſolutionem, actionem realem, realiter gratiæ effectricem, multo ſeciùs, ipſa media, in gratiam, realem, & ſupernaturalem effectum, peccatorum formaliter expultricem, influere percipiet?*

6 *Falſum eſt item, per ſubiectionem, nullam indè Sacerdoti propriam iuriſdictionem accreſcere. Quì enim fieri poteſt, vt dum Pænitens Sacerdoti ſubijcitur, verum ius, & dominium ei non adijciatur? cum ſeruitus, & Dominium, ius, & ſubiectio in ijs terminis vera correlatiua, ſe ſe indiſſolubili nexu tollant vicißim, ac ponant.*

7 *Demum falſum non minus eſt illud huius ſententiæ aſſumptum, de duplici Pænitentis ſubiectione, alterutra requiſita, & ſufficiente, quò diuerſis temporibus, pro diuerſa Eccleſiæ in eam deliberatione, abſolutio conſiſtat. Vtcumque deindè ſit, quod Pænitens ſe ſubijciendo, veram iuriſdictionem in ſe ipſum Confeßario largiatur, cum ſubiectio voluntaria, iuncta ſubiectione vi*

Ordinationis manante, nullibi ex scripturis, traditionibus, vel Sanctis Patribus eliciatur, necessaria, ac sufficiens, vsque dum ab Ecclesia fuerit legitima de causa ablegata, extitisse; vsque adeò, quod prohibitione postmodum, per publicum Ecclesiæ statutum interposita, cæperit tam parui valoris, quin frugis nullius fieri, vt exindè ipsius loco subintrauerit altera iurisdictio, ab ipsa Ecclesia constituta, adeò deinceps necessaria, vt cæteroquì absolutio fuerit, & sit nullius planè roboris, ac momenti; hoc enim sicuti à communi Doctorum abhorret sensu, ita gratis confictum firmiter est existimandum; quod simul ex dicendis, semper magis, ac magis, euidentiùs patebit ad oculum.



CAPVT XXI.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR, QVIA POTESTAS VI ORDINATIONIS IN HABITV TANTVM, NON IN ACTV CONFERATVR.

ELENCHVS.

1 *ABsoluendorum criminum Potestatem, in Ordinatione Sacerdotali collatam, autumant aliqui tantùm in habitu, reduciq; ad actum ab Ecclesia.*

2 *Sed perperam iuxta priorem intellectum.*

3 *Item iuxta posteriorem.*

4 *Vi Potestatis in Sacramento Ordinationis recepta, Iudex Sacerdos constituitur.*



INgenuo tandem alij suffusi pudore, soluendorum criminum Potestatem in foro pœnitentiali, quam astruunt iuris Diuini, vi Ordinationis, quadantenus quidem imperfectam Presbytero tradi, confitentur, vestigijs edocentium Concilio-

rum inualiditatem, legitima pænitentis ſubiectione non concurrente, oriri ex defectu Poteſtatis in abſoluente, ſic inſiſtere reputantes. quam imperfectionem, cum deindè non vnam ſimul autument, ſingillatim, hoc capite orſi, ad 25. vſque proſequentes, confutabimus vniuerſas.

1 *In præſentiarum igitur nonnulli Poteſtatem ad crimina in foro pænitentiali laxanda, non niſi ſufficientis virtutis, & in habitu, vt loquuntur, vi Ordinationis recipi cenſuerunt; ex eo quod per eandem, non niſi ea, quibus Presbyter potens, idoneusq́ reddatur ad abſoluendum recipiantur; vt ideò quod actum concernit, expectandum ſuperſit ab Eccleſia, cuius proindè ſit muneris potentiam, iam ex cauſalitate Sacramentali ſufficientis virtutis, & in habitu emanatam, poſtmodum efficacis exequutionis reddere pariter, & in actu.*

2 *Præclarum ſanè commentum; & quomodo Eccleſia dat, uel remouet huiuſmodi actum? Quæ eſt iſta ſuperaddita efficacia? Non quidem ſuperaddita virtus agenti, ea ſanè ratione, qua: ſubſcribentibus aliquibus: ſufficienti gratiæ, quò reddatur efficax, quoddam ſupernaturale motionis, ſeu determinationis phyſicæ, auxilium ſuperadiungitur, gratiæ ſufficienti adiectitium pariter, ac re ab illa diſtinctum. Namque hæc virtus abſoluendi, quippè imperfecta, & diminuta, per Ordinationem Sacramentalem fluens à Deo, indigeret poſtmodum ab Eccleſia perfici, & integrari, contra maieſtatem Sapientiæ, ac Prouidentiæ Diuinæ, cuius opera, ipſa etiam gentilitas ſemper agnouit perfecta, omnibusq́ numeris abſoluta.*

Integranda ſit tamen. ecquis dixerit virtutem in Ordinatione collatam, ſitam, vt vidimus, in charactere, aut phyſicè agente, aut ſaltem in ratione ſigni Dei realem indicante influxum, per

virtutem moralem, ab Ecclesia procedentem, postmodum integrari, ita ut vna, totalisque inde coalescat integra, & efficax virtus, ad physicè gratiam efficiendã, per quam remittantur peccata?

At integrari fas sit; quam tandem assignabimus in effecta gratia huic superadditæ virtuti morali correspondentem formalitatẽ, ni contra totius Ordinem vniuersi, eam velimus nugatoriã?

3 *Sed neque est virtus superaddita, secundum illum alium intellectum, quo alij gratiam sufficientem in vocatione positam, reddi deindè efficacem explicant, per aliquas circumstantias, eam sic congruam, volũtatique contemperatam reddentes, vt eius indè consensus infallibiter sit futurus, quo proindè vocatio illa ad consensum eliciendum, re vera sit efficax pariter, & dicatur.*

Vel enim hìc, circumstantiæ virtutẽ de se tantùm sufficientem ad iustificandum à peccatis, efficacem reddunt, applicando veluti materiam agenti, puta approximando, vt sic dicam, subiectione media pœnitentem ad Sacerdotem, quo possit in eum gratiam, remittentem peccata, operari; ad modum approximationis in naturalibus requisitæ, quò agens sua virtute subiectum attingat. Vel quocumq; alio modo pœnitentem ad iustificationem recipiendam idoneum, ea subiectione reddendo. quatenus vnusquisque iudicandus, subditus sit oporteat illius, à quo iudicetur, futurum alioquì, vt iudicium nullius virtutis, nullum pariter sortiatur effectum.

At vtrumque præteritis capitibus sufficienter refellimus. reddere enim materiam distantem, vel indistantem, aptam, vel ineptam, non inducit absolutionem plusquam efficacem, vel inefficacem, frugem, vel infrugem, quod valdè distat ab absolutione nulla, atque inualida; cum tamen Concilia absolutionem, defectu Potestatis ex parte Presbyteri, non pœnitentis, ex non concurren-

 te eius-

Digitized by Google

te eiuſdem pænitentis ſubiectione elicito, expreſſis verbis, irritam ſtatuant, ac inanem.

Tum potiſſimum, quod ea propinquitate, vel idoneitate non accedente, nequit adhuc abſolutio intelligi nulla, nullumque Sacramentale iudicium, quippè adſint debita poteſtas, intentio, forma, ac debita etiam materia, nempè proportionata peccatorum accuſatio, cuncta profectò ſubſtantialia, quibus ſaluis, ex quo deindè abſolutionem inualidam, nullumque ſacramentale iudicium auſpicari fas erit?

Materiam verò: ea non obſtante conditione: adhuc legitimã eſſe, illud patenter euincit, quod ante Parrochiarum diuiſionem, ac de vnoquoque proprio Sacerdoti confitendo præceptum, ſufficiebat, vt vidimus, quantum ex parte ſubiecti, ſola voluntaria pænitentis ſubiectio, indè enim alterum è duobus, aut aſſertam ſubiectionem non emanare ab Eccleſia, ad inſtar propinquitatis, idoneitatis, vel alterius aptitudinis qualiſcumque, aut non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere voluntariam pænitentis ſubiectionem, fateri tibi neceſſe eſt.

4 *Accedit, quod Sacerdos, vi Poteſtatis in Sacramento receptæ, Iudex conſtituitur, cum remittere, & retinere delicta, ad quæ phyſicè tollenda Sacerdos, per Ordinationem, illis verbis* quorum remiſeris, &c. *deſtinatur, ſint vera, ac propria Iudicis munia; ponere autem Iudicem, & non ponere ſubditum iudicandum, correlatiua ſeſe indiſſolubiliter comitantia, omninò repugnat. Vndè ſubiectio Eccleſiaſtica, ad abſolutionem peccatorum obtinendam, omninò ſuperflua redderetur. nulla igitur hæc ſententia meritò ſugillatur.*

CAPVT XXII.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR EX EO, QVOD POTESTAS EX SACRA ORDINATIONE ACCEPTA, ECCLESIASTICA IVRISDICTIONE, AD OPERANDVM, INDIGEAT.

ELENCHVS.

1 *PErfectam volunt aliqui Poteſtatem vi Ordinationis acceptam, indigentem nihilominus, ad exequtionem, Eccleſiaſtica Iuriſdictione.*

2 *Quis in hac ſententia ſenſus Verborum: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris, &c.*

3 *Nonnulla rectè explicari, & quædam benè congruere, hiſce Doctoribus viſa.*

4 *Cur Iuriſdictio, apud eoſdem, ad valorem pœnitentiæ Sacramenti, non autem Ordinis, neceſſaria.*

5 *Atquì redarguuntur taliter opinantes.*


1 *Lij temperantiores, inefficaciam illam, quam superior refundebat sententia in Potestatem, vi sacræ Ordinationis Præsbytero, ad remittēda peccata, collatam, nobiscum improbantes; eam deindè Potestatem, legitima subiectione pænitentis ab Ecclesia manante indigere, quò prodeat in operationem, firmiter arbitrantur.*

Vt ideò stet in hac ingeniosiorum sententia, vi sacræ Ordinationis, Sacerdotem accipere ad absoluendum, integram, atque perfectam Potestatem; ita tamen à Iudicio Ecclesiæ dependentem, eiusq; beneplacito quoad exequtionem subiectam, vt quamdiù non impleto quicquid Ecclesia iudicauerit expedire, data Potestas nequeat ad effectū reduci; ad quam subindè Potestatis exequtionem Ecclesiam, efficiendo moraliter subiectionem, quatenus posita subiectione, Potestas in actu secundo ponatur, sine qua procul dubio nō poneretur; nullatenus tamen physicè concurrere uolūt.

2 *Percontanti porrò, hac prærequisita conditione collaudata, sensum illorum sacramentalium verborum:* Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris, &c. *per quæ Potestas hæc Præsbitero traditur; Respondent, si Potestatem Characteris reputes moralem, non physicam, hunc reddere sensum. Accipe ius obtinendi infallibiliter à Deo, quoties absolueris legitimè: idest facta Ecclesiastica subiectione, ac iurisdictione; concursum specialem, supernaturalem, absolutionem, quam impendis eleuantem ad producendam gratiam, qua peccata remittantur. Si æstimes physicam, hunc sonare alterum; Accipe Characterem, ad eleuandam physicè absolutionem, ea tamen eleuatione, non nisi dependente ab Ecclesia, media subiectione pænitentis, seu Iurisdictione Presbytero concessa, secutura. Ita ut, non posita Ecclesiastica subiectione,*

utrobique virtus supernaturalis, sine qua absolutio redditur impotens ad producendã gratiã, absolutoriam à peccatis, desideretur.

Non quod uirtus hæc absoluendi, seu gratiam producendi, media pænitentis subiectione, physicè pendeat, ac tribuatur ab Ecclesia; esset enim pænitentem facultatem absoluendi quodammodo impartiri, ad instar arbitri, cui, iurisdictionem media electione partes attribuunt. Nam reum, Iudici, sui absoluendi facere Potestatem, quis ignorat quam deordinatum? Ita enim reus, non Iudex, vices gereret Dei, cui tanquam offenso, pro irrogatis sibi iniurijs remittendis, spectat ius facere; sed quod solùm moraliter pendeat, quatenus tota sit à Deo, & quò ad actum primum consistentem in Charactere, & quò ad actum secundum virtutis executiuæ, media sacramentali Ordinatione; illius tamen exequutionem, seu executiuam virtutem dumtaxat tribuente, dum pænitens, Ecclesia positiuè concedente, aut non contradicente: vtrumque enim sufficere censent: se ipsum pro libito subijcit.

3 *His, inquiunt, facilè explicamus, nullitatem absolutionis, dum legitima subiectio deest. Si enim virtus ad absoluendum physica ponatur in Charactere; sublata subiectione pænitentis, Character, Deo secum subtrahente concursum ad operationem necessarium, operandi virtute carebit.*

Si autem Character ipse sit tantùm causa moralis, ceù pignus, aut ius ad obtinendum diuinum concursum, efficiendæ reali absolutioni, & remissioni à peccatis necessarium; subiectione non intercedente, Deus concursum, seu talem virtutem verbis absolutionis neutiquam dabit; Vt semper sit verum, inualiditatem oriri ex defectu uirtutis, quam Deus non præbeat, seu subtrahat à Charactere, uel ab absolutione, ita vt absolutio eo casu humana sit tantùm actio, non verò pars sacramentalis, quippè defectu Chara-

Digitized by Google

ecteris, Dei concursu generali supernaturali destituti, non valentis operari; vel defectu concursus specialis supernālis à Deo denegati ad gratiam, peccatorū expultricem efficiendam, minimè eleuetur.

Quid ni addant, omninò fuisse consentaneum, Potestatem laxandorum criminum à Deo subijci, seu subditam in exequutione, iudicio, & arbitrio Ecclesiæ conferri, quò Monarchicum ipsius regimen saluaretur? quale multò magis expedit in Ecclesia reperiri, quò ad forum pœnitentiale: quod plus refert ad salutem: quam quò ad forum externum; circa quod sacri nihilominus Canones, passim omnem affirmant, Potestatem à Pontifice, eius habente plenitudinem, emanare.

Quam subiectionem in simili Potestate conuincunt ab ipso Pontifice Regularibus inferioribus delegata, de absoluendo à sibi reseruatis, sub arbitrio tamen suorum Superiorum Prælatorum; quibus delegati adeò subduntur, vt contradicentibus ipsis, vel delegationem limitantibus nulliter absoluantur; defectu nempè facultatis in actu secundo, quam Pontifex sine debita superiorum permissione, nolle dare firmiter præsumitur: cum adeò regimini Regularium hæc prosit subiectio, vt grauissimi affirmarint Doctores, Pontifice non apponente eam reseruationem, fore nihilominus subintelligendam, ex quo talis delegatio censenda est in ædificationem, non in destructionem conuenientis status, & Regiminis Regularium facta; nec tamen vlla Pontifici resultet iniuria, ex tali limitatione, ab inferioribus apposita, quia vel rationabiliter subintelligitur à Pontifice intenta, vel expressè apposita; cui volenti nulla proindè fiat iniuria.

Hanc porrò conditionem legitimæ subiectionis, sic apponendam ab Ecclesia statuunt, vt sine illa absolutio sit non modò inefficax, sed omninò inanis, ac nulla, iuxta c. Omnis

vtriuſq; ſexus, de Pœnit. *ibi:* Sacerdos non poſſit aliter ligare, ac ſoluere; *quaproinde ſubiectione, hæc abſolutio ſacramentalis, à ſacra Ordinatione, iuxta ſacros Canones, paſſim diſcriminatur, quod ſacra Ordinatio ad licitum tantùm vſum ea vtatur.*

Cuius diſcriminis hanc referunt rationem, ideò nullam eſſe Eccleſiæ Poteſtatem ad inualidandam ſacram Ordinationem, à Chriſto inſtitutam, quia, cum ſubiectio, nequeat eſſe eſſentialis gratuitæ Ordinum largitioni, ac Eccleſiaſticum in ſtatum coaptationi, ſatis ſuperque fuerit: quò ritè, prudenterque exerceretur: eam præcipi, ſub ea tantùm honeſtate, qua non ſeruata, reddatur illicita, neutiquam verò inualida.

Ex aduerſo abſolutionis, cuius firmitati ideò eſt ſubiectio neceſſaria, quod ad inſtar fiat humanæ ſententiæ, cui, ex communi hominum praxi, & æſtimatione, perpetuum, & inſeparabile eſt, vt in non ſubditum lata, ſit ipſo iure nulla; nemo enim faſſus eſt vnquam, Iudicem ſubditorum expertem, validè exercere iudicium. Quem autem lateat Diuinæ eſſe Prouidentiæ, in hoc totius vniuerſi, tam profano, quam ſacro regimine, à fine ad finem fortiter attingendo, pro rerum ſingularum exigentia, atque natura, ſuauiter vniuerſa diſponere?

Addatur quod ſi ſine ſubiectione, ac iuriſdictione, deordinata, & illicita ſolùm, non item irrita redderetur ſacramentalis abſolutio, non ſatis Eccleſiæ tranquillo regimini, non ſatis animarum ſaluti videretur prouiſum, cum inualiditas afficiat ſemper, deordinatio in caſu tantùm culpabili, illa nunquam ſuffici poſſet, hæc iuſtis non nunquam de cauſis, quin etiam, ijs ſecluſis, accedente ſola immemorabili præſcriptione, vel ſuperiorum conniuentia, ac permiſſione, valeat excuſari; quarè non improbabili pateret

periculo, hinc salus animarum, indè iurisdictionum perturbatio.

Nec est, quod nobis obuiam inuincibilis huiusce legitimæ subiectionis ignorantia fiat, qua stante, absolutionis validitas sit necessariò astruenda, futurum alioquì, minimè sufficienter pænitenti consultum, Diuinamque Bonitatem facienti quod in se est neutiquam futuram præstò; quia hoc ignorantiæ casu, vel ad Deũ tunc immediatè: vt placet nonnullis: iustificantem, vel ad Eucharistiam, cæteraque Sacramenta: si quæ suscipiantur: est confugiendum; cuncta siquidem, quamuis non instituta, vt primam conferant gratiam, eã tamen, inuincibiliter in peccatis suscepta, dum annexam habeant perfectam attritionem, causaliter conferunt, ea ratione, qua gradibus gratiæ, vel intensioribus; secundùm aliquorum placitum, quo numero sunt maiores, vel saltem paribus, secundum placitum aliorum, existentibus, dubitandum non superest, quin apta ex institutione ad collationem graduum primo superiorum, æquali saltem, ni potiori iure, ipsum primum gradum: quem primam gratiam, peccatorum formaliter expultricem, communiter appellant: nisi aliundè obstet, valeant procul dubio efficere.

Ex quo, non equidem aspernandum maius pænitentis bonum, in hac sententia promouetur; vt enim quisque pænitens certam sibi faciat salutem, quam huiusce iurisdictionis, aut alterius similis conditionis possibili defectu, magno idcircò cum timore, ac tremore, suspectam in dies habere debet, iugiter animo suo reuoluet, quid si transactæ meæ pænitentiæ, fortè fortuna iurisdictionis adfuerit defectus? sicque vice ipsius, ac loco, aut sequens saluberrimæ Eucharistiæ remedium sumere festinabit maximè, nedum minimè detractabit, aut de peccatis confessis perfectè conteri enixè curabit, absit, quod neglecturus sit; de quibus propterea cautio-

nibus, prudentes Confessarij, non minus piè, quam sagaciter pœnitentes monere, atque hortari consueuerunt, quò inculpabiliter non iustificati, præstò habeant, vndè cautè iustificentur.

Adeò ut, quantum Diuina Bonitas diues fuerit in misericordia, tot tantaque remedia pro redimendis peccatis accumulando: longè quod defecisse in necessarijs vnquam carpi mereatur: tantumdem sibi meritò imputare habeat peccator, quod iurisdictionis externo defectu perire cogatur, qui peccando remediorum se constituerit indigentem, & indigens, aut respuerit, aut saltem neglexerit ea remedia, quibus certò peccata operiret.

Quin adhuc à Deo non solum, sed ab ipso quoque Pænitentiæ Sacramento, ea stante ignorantia, quamuis ex institutione nulliter sine iurisdictione exercito, omnis penitùs arcenda sit culpa; quandoquidem externo altero simili defectu, debitæ nimirum intentionis in absoluente, non minus irritetur; cum nihilominus hinc culpam in Sacramentum reijceret nemo, ergò neque indè reijcias, præsertim quod absoluentis debita iurisdictio, magis, communi hominum iudicio, quam debita intentio, sit notior pœnitenti.

5 *Vt vt sit de hac subtili, & ingeniosa sententia; certè edocendo Potestatem absoluendi integram, & completam, vi quidem Ordinationis præstari, sine tamen legitima subiectione, atque adeò sine iurisdictione ab Ecclesia manante, reduci ad operationem nequire, parum subsistit, semel admisso communi Theologorum axiomate; Verba sacramentalia, tantùm, & eo modo conferre, quantùm, & quomodo significant. Indè est, quod in collatione Ordinis Presbyteralis, quia Potestas sacrificandi confertur per verba absoluta.* Accipe Potestatem sacrificium offerendi, *absolutè quoque; & independenter, vt notum est, validè exercetur, sicut & in collatione Ordinis Episcopalis, quia Potestas ordi-*

nandi prabetur per absoluta verba. Quid quid benedixeris, seu sanctificaueris, benedicatur, & sanctificetur, *valide sine ulla dependentia administrari unanimiter colligunt Theologi. Nec quidem firmior est adducib.lis ratio, cur harum duarum facultatum executio ab Ecclesia nequeat irritari, nisi quia integrè, & absolutè, per verba s. mera, absoluta, & à quacumq; externa conditione depurata: sicut equum est sentire de quacumque re à Deo proficiscente: hæ facultates impenduntur. Cum itaque verba sacramentalia.* Accipe Spũm Sanctũ quorum remiseris, &c. *per quæ Presbytero, dũ ordinatur, absoluendi fit Potestas, non minus sint, absoluta, & à quacũq; extrinseca cõditione defæcata. quorsum asserere eam Potestatem nequire, nisi depẽdenter à subiectione, & iurisdictione Ecclesiastica, ad exequutionẽ reduci?*

Deinde Potestas hæc: ipsis quoque Aduersarijs subscribentibus: sita est in Charactere, habeat modò Character rationem causæ moralis, vel physicæ, qui Character absolutè confertur, & indelebiliter manet, ergò ipsa quoque Potestas absoluendi absoluta erit, pariter & immutabilis.

Tum magis, quod per sæpius citata verba: Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris, &c. *Sacerdos Iudex constituitur, & Iuri verè dicundo destinatur. quid est enim absoluere, remittere, retinere, soluere, & ligare, nisi ius dicere? quæ omnia cum subiectionem, & iurisdictionem necessariò inuoluant, vt patet, non est, cur deindè quò validè exerceantur ab Ecclesia iurisdictionem expectent, qua non præstita suspensam habeant exequutionem.*

Multò minus est concedendum, eam quandoque fuisse ab Ecclesia per non datam iurisdictionem, re ipsa impeditam; quis enim quæ superioris sunt ordinis, ab inferiori impediri,


aut inuerti, ſine illius manifeſta iniuria affirmet? ac ſine perturbatione hierarchici Ordinis Eccleſiæ, tam perpetui, quam neceſſarij, de cuius ratione eſt, vt inferiora à ſuperioribus in operatione dependeant, non è conuerſo?

Sed enim cum non minoris virtutis ſit datam poteſtatem impedire, quam prohibere ne detur; non ne ſatiùs fuiſset, eam poteſtatem nunquam fuiſſe datam à Deo, quam impeditam? Nulla itaque in ſacramentali Ordinatione tributa fuiſſet poteſtas; ſed ſolum conſtitutum à Deo, vt Eccleſia eam det ad pænitentis ſubiectionem, eo prorſus more, quo ſuperiores non niſi poſt deſignationem locorum, & perſonarum, in quibus ius dicant, miniſtros, aut Iudices conſtituere, deputareque conſueuerunt.

Quod ſi Pontificis, vel Eccleſiæ eſset impedire ne detur hæc poteſtas à Deo, aut data, ne in actum ſecundum erumpat; certè ſine iuſta cauſa, eaque extraordinaria id nequiret; nec enim pro mera libidine extenditur Eccleſia ad iuris diuini exiſtentia; adeò vt aliter factum non teneat, ſicuti neque teneret, quod inferior Pontifice, delegationem, quamuis ſub conditione inferioris conſenſus ab eo factam, ſine iuſta cauſa impediret: cum grauiſsimi affirment Theologi, Regulares irrationabiliter prohibitos à ſuis Prælatis, ne abſoluant à Papalibus, validè nihilominus abſoluere: ſicut & Regulares validè confeſſiones audire, per iniuriam ab Epiſcopis non approbatos. Tale igitur impedimentum nequiret apponi, abſque iuſta, & vrgenti cauſa; & tamen ſtylus eſt toto cælo contrarius, cum Pontifex, vel Eccleſia paſſim, pro mero arbitratu, nulla interueniente ratione huiuſmodi poteſtatem, tollat, impediat, & cohibeat.

Sed vt tandem falcem ad radices, vt dici ſolet, ponamus. vnde eſt, quod hæc Poteſtas integrè, & perfectè in Ordinatio-

ne collata, non nisi Ecclesiastica iurisdictione intercedente, in actum secundum exilire queat? aut enim est, quod Iurisdictionis defectus impediat immediatè eius effectum, aut quia impediat influxum, & concursum Dei extrinsecum, quo sine, absolutio ad productionem gratiæ impotens reddatur; at neutrum profectò reddit inualidam absolutionem, siuè nullum Sacramentum, sed tantùm inefficax; quem ergò locum Conciliorum loquutiones inuenient? quæ eo ipso quod nullitatem absolutionis ex defectu iurisdictionis, seu potestatis absoluentis, desumunt, ad ipsum subindè absoluentem, totam referunt culpam, cur deindè Sacramentum nulliter fiat; ut ideò hic quoque dicendi modus rationi & auctoritati repugnans, non minus quam superiores, sit meritò explodendus.



CAPVT XXIII.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR, QVOD POTESTAS VI ORDINATIONIS ACCEPTA, TANTVM APTITVDINALITER, SIVE IN HABITV IVRISDICTIONEM INCLVDAT.

ELENCHVS.

1 *ABsoluendi Potestatem, vi Ordinationis collatam, volunt aliqui quondam iurisdictionem habuisse coniunctam, neutiquam ab Ecclesia.*

2 *Id pluribus probant.*

3 *Neq. delegatam, neque ordinariam propriè eam faciunt iurisdictionem.*

4 *Possibilem vtique ab Ecclesia prohiberi.*

5 *Iam verò prohibitam, per consequens ab Ecclesia dimanare.*

6 *Verùm SS. Patribus contradicunt.*

7 *Præter ordinariam, delegatámq., nulla iurisdictio*

8 *Apostoli à Christo immediatè non accepere iurisdictionem.*

9 *Iurisdictio nulla, quæ non ab Ecclesia.*

10 *Si qua vi Ordinationis acciperetur, ab Ecclesia dependere nequiret.*



Vibusdam alijs probatur, Potestatem absoluendi, vi Ordinationis oriri imperfectam, ex eo, quod sic præcisè orta, non plusquam aptitudinaliter siuè in habitu, vt loquuntur, iurisdictionem inuoluat.

1 *Quem modū dicendi, vt explicent, supponunt in primis, ante prohibitionem* c. Omnis vtriusq; sexus de Pœnit. & remiss. *ne quis confiteatur nisi proprio Sacerdoti; iam tunc conferri per Ordinationē Potestatem absoluendi, omninò cōpletam, et eo ipso actualem includentē iurisdictionē, non nisi tamen cū dependētia ab Ecclesia, tum impedire, ne detur, tum ēt datam auferre, vltrò potēte.*

Indè eliciunt consequenter, Ecclesiā, dū dicto c. Omnis vtriusq; sexus *cauit, ne quis alteri à proprio Sacerdote confiteretur, omnem per id actualem iurisdictionem Sacerdotibus tunc existentibus, atque futuris penitùs abstulisse; adeò vt iurisdictio per aduentitiā Ecclesiæ deputationem, imposterum dependerit, & dependere habeat ab eadem Ecclesia. Et ex consequenti, post eam latam prohibitionem, remanserit, & remaneat Potestas: quantum ex vi præcisa Ordinationis: impotens, imperfectaque ad absoluendum; quippè non includens iurisdictionem nisi aptitudinaliter, siuè in habitu, hoc est, non nisi reddens Sacerdotem illius consequendæ proximè capacem.*

Quibus isti sibi persuadent Diuinam sic planè extollere Maiestatem; cum .n. opera, nedum requisitis essentialibus, sine quibus haud subsisterent, sed etiam accidentalibus, exeant à Deo, vt supponunt, perfecta, sit Potestati Ordinis: vt à Deo instituta,

& collata est: necessariò annecti Iurisdictionem, sine qua, vtrumque explicetur, & consideretur, ex eo semper dignoscitur imperfecta, quod sine iurisdictione iudicium nequeat, vt minimum extrinsecè, ob non seruatam scilicet præscriptam sub nullitate ab Ecclesia hanc circumstantiam, consistere; re tamen vera, nec quoq; intrinsecè consistet, cum ex communi Doctorum sententia, Iurisdictio adeò substantialis sit cuicunq; iudicio, vt istud, circumscripta quacumq; Ecclesiæ dispositione, suaptè natura, & ab intrinseco, iurisdictione seclusa, corruat omninò.

Non esse autem constitutum à Deo, conferri vi Ordinationis Presbyteralis Potestatem absoluendi imperfectam, ex deductis superiùs suadetur. præter quæ, suaderi ex eo etiam putant, quod ægre diceretur absolutè tradita Potestas, aut Sacerdos absolutè absoluere potens; quarè nec verificarentur sacramentalia verba, ad hunc effectum prolata. Quorum remiseris peccata remittentur, &c. *Quì enim Sacerdos remittet peccata, pro quibus remittendis ijs verbis instituitur, seu sit potens, si potestas, per ea verba recepta, ad actum prosilire non valet? Quarè Sacerdotem cum Potestate Ordinis, simul etiam iurisdictionem validè absoluendi à peccatis vi præcisæ Ordinationis; omninò assequi, necesse est.*

Eo modo, quo Episcopus per Potestatem, vi præcisæ suæ Episcopalis Ordinationis receptam, Ordines validè confert. Est siquidem vtrobiq; collata potestas, per verba tenoris eiusdem, hìc per verba Quęcunq; consecraueritis, *ibi per verba* Quæcunq; remiseritis. *Immò de absolutione potior est ratio, quippè iniuria irrogata Deo, per nullam potentiam, quam ab eodem Deo offenso immediatè manantem, queat absolui.*

2 *Subnectunt his maius addentes robur, quod Sacerdos, vi*

suæ Ordinationis, fit Iudex, vt qui ligandi, soluendiq; potestatem, per sæpius citata verba. Quorum remiseris, &c. Quęcunque alligaueris, &c. *assequatur; vt ideò* Tridentinum, sess. 14. de Sacr. Pænit. *anathematizauerit.* Qui dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum Iudicialem. *Ea siquidem potestate clauis vtraq; recipitur scientiæ, & potentiæ, in quibus sistit iudicium, vt præclarè idem* Tridentinum sess. cit. c. 6. *enarrat ibi:* Circa ministerium huius Sacramenti declarat Sancta Synodus, ad Episcopos, & Sacerdotes solos pertinere clauium ministerium. quæcunq; alligaueritis, &c. *Et* quorum remiseritis, &c. *Quid est autem clauis? Audi* Extrauag. Quia quorumdam col. 4. de verborum significatione; *est* facultas spiritalis ligandi, & soluendi, qua Iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere potest à regno. *Num virtute clauium fideles eo ipso Sacerdotibus quibuscunq; subijciantur? Quid ni, cum potestas, & subiectio tanquam correlatiua se vicissim tollant, & ponant? subijci igitur, & ita subijci fideles, omni dubio procul, necesse est, vt veritatem aperire interrogati Confessario omninò teneantur quod spectat ad clauem scientiæ, nempè ad potestatem iuridicè pænitentem interrogandi, & examinandi, sed enim in subiectione, omnibus subscribentibus, consistit Iurisdictio.*

Quarè, cum Sacerdos Iudex constituatur, potestatemq; ligandi, soluendiq;, vi assequatur Ordinationis, consequens fit, vi eiusdem Ordinationis, Iurisdictionem accipere: quid enim aliud est Iurisdictio, quam auctoritas iudicandi, idest quam habere subditos, qui iudicentur? Neque enim Iudicium fieri, seu sententia ferri, sine iurisdictione valet, cur? nisi quod dumtaxat exerceri in subditos queat, ex eodem Tridentino *sæpius laudato, ibi:*

 Quoniam

Quoniam natura Iudicij exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur. *Et* ex Clem. 1. de offic. deleg. *iuncta* glo. 1. *ibi:* Cum ergo Iudex iurisdictionem habeat. ex quo illam habet a Principe, subdelegat.

Quæ omnia vera sunt, siuè dicamus, Sacerdotem vi Ordinationis constitui Iudicem causarum dumtaxat, non personarum, & causarum simul; Nam vtcumq; Sacerdos, vi suæ Ordinationis, Iudex constituatur, potestatem iudicandi, ligandi, ac soluendi recipere hucusq; firmatum est; siuè dicamus recipere claues: quod eòdem redit: quia claues, & Iudicium, ex quo sine iurisdictione non reperiuntur, nec nisi in subditos queant, vt diximus, exerceri, essentialiter subiectionem, & Iurisdictionem important.

Postremò hanc Potestatem, vi Ordinationis, omninò accipi completam, ac includentem Iurisdictionem, apertissimo: vt inquiunt: argumento hi Doctores ostendunt, ex eo quippe quod temporis processu fuit inhibitum, ne indiscriminatim fideles absoluerentur, indeq; prærequisita fuit in posterum proprij Sacerdotis, vel Episcopi licentia, facultatem, vnà cum Iurisdictione præcessisse sit argumento, quod licentia equidem: vt notum est: facultatem non tribuit, sed supponit, cùm nequeat admitti, vel prohiberi, quod non supponitur possibile, vel concessum, sed neq; est prohibita facultas imperfecta, & impotens exire in actum, huiusmodi siquidem, cum sit de se impedita, quorsum per edictum impedienda? Ergo facultas integra, expedita, proxima, & actualis fuit prohibita; immò solum exercitium talis facultatis fuit interdictum, quia ad illud impediendum suapte natura dirigitur prohibitio, quod cum iurisdictionem includat, menifestè ipsam Iurisdictionem præsupponi, velut traditam in ipsa Ordinatione Sacerdotali, coarguit.

Digitized by Google

Utquè magis hanc suam sententiam, hi Auctores habeant persuasam, in medium nonnullorum placitum afferunt, quod Sacerdotalis ordo, antè præallegata verba. Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris, &c. *conferatur, nempè per ea antecedentia.* Quæcunq; consecraueris, *& per alia quæ subsequuntur* Sacrificiũ offerre, & missas celebrare possis. *Quibus Sacerdotem perfectè constitui, ex alijs colligitur paulò post verbis prolatis.* Qui ordinati fuere Presbyteri. *Qua stante sententia, dispalescit ultrò per subsequentia verba.* Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris, &c. *conferri dumtaxat iurisdictionem, Potestas namq; Ordinis, cum iam per verba antecedẽtia supponatur collata: quippè ordinandus, ex dictis, receperit per ea Ordinem perfectum Sacerdotalem: per subsequentia conferri nequit, superest ergo necessariò conferri Potestatem Iurisdictionis, nulla siquidem alia præter Potestatem Ordinis remanet conferenda.*

3 *Cum autem hæc actualis iurisdictio, ui Ordinationis collata, nec propriè delegata, nec ordinaria sit, secundum communem intelligendi modum, & sensum, dicenda; non delegata, quia Episcopus eam ordinandis demandare, seu committere personaliter non intendit, non ordinaria, quia Sacerdos per Ordinationem Parochus, aut Prælatus neutiquam fit. Eam proindè Auctores prædictæ sententiæ, ad effugiendam hanc quoq; præ cæteris, difficultatem, ad ordinariam reducunt, quatenus Sacerdotali muneri volunt annexam, & ideò ordinariam, non propriè, sed reductiuè appellant.*

4 *Non adeò tamen Sacerdotali muneri uolunt annexam, quin aliquo modo ab Ecclesia, potente ipsam impedire, ne detur, immò datam auferre, dependeat. Nituntur essentiæ, & naturæ Monarchiæ, quam apud Ecclesiam, non modò circa forum contentiosum, sed, de magis, circa utilius forum hoc pænitentiale, supponunt.*

De cuius quidem Monarchiæ ratione esse aßerunt, neminem præter Pontificem, qui est à Christo constitutus Princeps, & Iudex, ipso inuito, valere absoluere, & iudicare fideles illi subditos, velut membra suo capiti. Item probant ex natura iudicij, ad quod salubriter pro conditione temporum, rerum, & personarum, peragendum, cui varietati in primæua institutione nequaquam occurri potuit, opus in Ecclesia fuit suprema quadam auctoritate, decernente in dies huius iudicij exercitium illud, quod pro varijs exigentijs agnitum fuerit expedire.

Nec tamen ob id vlla Deo prorsus irrogatur iniuria, quatenus scilicet ab Ecclesia mutetur, & auferatur, quod ipse per Sacramentum instituit elargiri. Volenti siquidem nulla fit iniuria. Voluit autem, quia sic consentaneum fuit naturæ rei. Neq; enim cum Deus inuisibilis sit, potuißet alioquì quotidianis fidelium indigentijs esse præstò. Per quod ideò Ecclesiam institui visibilem Monarchiam, cuius caput prædicta fulgeat auctoritate, consequentissimum fuit.

Quibus tamen indigentijs etiam non suffragantibus; quæ tandem, inquiunt, iniuria præsumi potest in hoc, quod Pontifex nomine ipsius Christi, cuius Vicariam operam gerit, ea perficiat, quæ in institutione ab eodem Christo veluti dependentia ex tot temporũ, locorum, Personarumque differentijs apposite perfici nequiuere?

Simile de quolibet alio Principe Summo contingit; quod cum solus singulis non sufficiat sui Dominij functionibus, plures Gubernatores, tribunalia, hominumque Congregationes varias instituat, ac constituat; quibus ius conferat, nedum regendi, vnusquisq; pro sibi designato Vicario munere, sed etiam, tum suam, tum supremam Principis auctoritatem alijs interdum committendi, commissamque pro rerum, atque circumstantiarum expostulatione,

augendi, limitandique, vel in totum quandoque etiam auferendi. Non secus, ac ipse quoque Princeps Gubernatoribus, Tribunalibus, cæterisque à se institutis Congregationibus, datam facultatem, pro libito, & vt nouerit expedire, restringere, accumulare, limitare, vel etiam ex toto aliquando auferre consueuerit.

Supremus ergò Iudex in Ecclesia Christus, Pontificem suum instituit Vicarium, cui immediatè, ad solius designatæ personæ per electores presentiam, supremam, atque omnimodam suam Potestatem, ac Iurisdictionem elargitur. Eò enim quod Cardinalium cœtus infra, non supra Pontificem consistat, certè Potestatem illi conferre est impos; vt ideò hæc immediatè prouenire habeat, & intelligatur à Christo; Qui Pontifex sic constitutus, reliquis deindè inferioribus Iudicibus, & præcipuè Sacerdotibus, à Christo Domino, per Ordinationem à Deo, causa principali, procedentem, vt ostensum est, institutis, auctoritatem absoluendi elargitur, moderatur, & aufert.

Hinc factum opinantur, quod, cum in Ecclesiæ primordijs, cuncti Sacerdotes indiscriminatim fideles absoluerent, non dum oblata, vel limitata Potestate, seu iurisdictione causis adhuc non intercedentibus, eam quoquomodo impediendi, alterandi, vel adimendi, temporis tamen curriculo, nonnullis fuerit, è re nata, interdicta, aut immutata, per Ecclesiam, Potestas, adeò vt, rebus sic exigentibus, lex tandem de non absoluendo, absq; legitima Ecclesiastica iurisdictione, vniuersaliter emanarit.

Hæc de auctoritate Ecclesiæ, ad prohibendam Iurisdictionem vi Ordinationis alioquì futuram.

5 *Alterum sub hac sententia contentum, nimirum iam promulgata per Ecclesiam prohibitione, totam in posterum Iurisdictionem, ab ipsa met Ecclesia dependere. Et ex consequenti, potesta-*

tem vi Ordinationis de cætero oriri imperfectam, cum ſola nempè aptitudinali, ſiuè vt loquuntur, in habitu iuriſdictione, poterit à ſimili comprobari; quoniam ad ſeruandam Hierarchiam, apprimè Religionibus, quò ad forum pœnitentiale, conſentaneam, & neceſſariam, Pontifex Regularibus, abſoluendi à delictis, & à Cenſuris Papalibus, Poteſtatem dependenter à beneplacito ſuorum ſuperiorum, eſt elargitus, ſic, vt verè auctoritas, & iuriſdictio à Pontifice intelligatur emanare, niſi à Prælatis Regularibus fuerit deindè prohibita; poſita verò prohibitione, nequaquam, ſed tantùm ius adſit, quo illam à Prælatis valeant expectare. quam tamen nequirent Prælati concedere, niſi Pontifex prius talem conceſſionem eorundem ſubditis feciſſet.

Non aliter ex edicto Eccleſiæ, de non confitendo niſi proprio Sacerdoti, inferunt Sacerdotibus in genere euenire. Hi ſiquidẽ poſt latam prohibitionem, non amplius, vi Ordinationis, abſoluendi à peccatis iuriſdictionem nanciſcuntur, ſed ius tantummodo, ſeu proximam capacitatem ad illam obtinendam; quam tamen alioquì, niſi eſſent ordinati Sacerdotes, nanciſci nequirent, cum Poteſtas iuriſdictionis, ſeu auctoritas, ita fuerit, de mente omnium Doctorum, alteri Poteſtati Ordinis Sacerdotalis à Chriſto Domino alligata, vt per quantamcunque Eccleſiæ Poteſtatem, ſeparata conferri omninò nequeat.

Hocq; ius, ſeu proximam habilitatem pro verificandis ſacramentalibus verbis. Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris, &c. *vſquequaq; ſufficere conſequenter aſtruunt, intelligendo, Accipe, aut Iuriſdictionem, niſi Eccleſia reſtiterit, aut Ius ad eam obtinendam, caſu quo Eccleſia reſiſtendo præſcripſerit, ne vi Ordinationis eam recipias. Quem intellectum, eò reddunt ſuaſibiliorem, quod ſimilibus alijs verbis, in aliorum prolatis Sacra-*

mentorum collationibus, quò ad auxilia consequẽda gratiæ sacramentalis, sit ne dum maximè consentaneus, sed omninò necessarius, sicut vlteriùs asserentes Characterem, non physicè, sed moraliter tantùm ad absolutionem concurrere, nequeunt aliter explicare, quam, Accipe Ius ad obtinendum mox diuinum influxum, per quem, media tua absolutione, per eundem influxum supernaturaliter eleuata, peccata remittas.

Prætituletur nihilominus, subdunt, Potestas hæc Iurisdictionis supernaturalis, immò Virtus Spiritus Sancti, tametsi proueniat ab Ecclesia, tum quod Potestas Ordinis, seu Character Sacerdotalis, iurisdictonis radix, & origo, quatenus personam Sacerdotis reddit proximè capacem ad eam obtinendam, à Deo per causalitatem Ordinis Sacramentalem, tanquam ab Agente principali descendit, tum etiam, quod Ecclesia non valeret Ecclesiasticam iurisdictionem conferre, nisi facta sibi à Christo fuisset Potestas, à quo omnis Ecclesiastica Iurisdictio dimanat; Notum siquidem ex terminis est, neminem præcipiendi, absoluendi, excommunicandi, & alia similia in conscientia peragendi, à natura habere. His nituntur, aut niti posse videntur, huius sententiæ disseminatores.

6 *Verùm, quò ad assertam iurisdictionem, aliquando à Deo, per causalitatem sacramentalem, saltem priusquam ab Ecclesia aliter esset dispositum, emanatam, apertè Sanctis Patribus, cunctam hanc Iurisdictionem, per Ecclesiam fieri, semperque factam fuisse, vnanimiter edocentibus, contradicunt. Inter quos sufficiat præ millibus, vnum adducere* Innocentium, Epist. ad Concilium Cartaginense, *quæ est 91. apud Augustinum, ibi:* Tota Auctoritas Episcopatus, & Iuris, deriuat à Sede Apostolica. *Concilia item nullam aliam externam*

iurisdictionem agnouerunt, quam penes Ecclesiam. Florentinum Decreto de Sacr. Pœnit. *ibi:* Minister huius Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. *Ordinariam dicit, quam habet superior, delegatam quam committit ipse superior.* Tridentinum sess. 14. cit. c. 7. *ibi:* Persuasum semper fuit in Ecclesia, nullius esse momenti absolutionem, quam Sacerdos profert in eum, in quem non habet iurisdictionem ordinariam, aut subdelegatam.

Cum enim ad absoluendum iurisdictio, aut ordinaria, aut delegata per Concilia requiratur; quis non videt, nullam iurisdictionem in ipsa ordinatione conferri, aut vnquam collatam fuisse? Quorsum enim institutum Sacramentum, ad illam conferendam, si Ecclesia potest dare? Immò si sui Iuris est, & muneris dare? Vulgare siquidem est, ordinaria Potestate præditum, sui iuris, & facultatis esse, vtcunque eam pro libito delegare.

7 *Confictam autem tertiam quandam Iurisdictionis speciem, sacramentalem nuncupatam, à præcedentibus distinctam, quem latet, manifestè sacris Concilijs, nullibi de ea mentionem habentibus, repugnare? nisi diminuta velimus Concilia, insufficientemque iurisdictionis distributionem, in ordinariam, & delegatam, hac tertia pænitus exclusa. Qua quidem semel admissa, nullius planè roboris argumentum redderetur, quo eadem Concilia, ideò inesse debere Confessario, aut ordinariam, aut delegatam iurisdictionem resoluunt, quod sententia in subditum dumtaxat feratur. Quin etiam, ne quicquam intulissent, sine alterutra ab ipsis commemorata iurisdictione, fuisse de mente Ecclesiæ semper inualidam absolutionem; quandoquidem tertia illa nouiter conficta iurisdictio suppleret; maximè quandiù per contra-*

ria postmodum Decreta, ab Ecclesia derupta, aut præpedita non fuerat.

Quibus insuper manifestè refellitur huius tertiæ iurisdictionis, veluti muneri Sacerdotali annexæ, aßerta reductio ad ordinanariam; quis enim concesserit vnquam, quempiam, solo Sacerdotio, Superiorem coram Ecclesia constitui, sicuti necessario constitui consequeretur, ex eo, quod hucusque: hac sola sententia excepta: nunquam fuerit alia iurisdictio ordinaria, quam quæ muneri superioris, vt loquitur Florentinum, adnectitur, à Doctoribus agnita.

Præter quam quod, iurisdictio validitati absolutionis requisita, imponenda venit ab homine, per recitata Concilia, requirentia Potestatem ordinariam, aut delegatam, quæ fiat à Superiore, aut ex ipsius commissione, quæ, Tridentino supponente Sacerdotem neminem de se eam habere, dari possit, & auferri, adesse, & abeße, qualem vtique eße tertiam hanc, vi Ordinationis collatam, impossibile est, cum non sit ab homine, neque amouibilis, quippè in Charactere consistens indelebili, tradito sub illis verbis. Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris, &c. *præter quem, & præter gratiam sanctificantem, nil aliud, quod per Ordinationem sacramentalem conferatur, vt sentiunt communiter Doctores, est reliquum.*

Neque responsionis illud satisfacit, indè sequi alterutram iurisdictionem solummodo prærequiri, Ecclesia eam iurisdictionem per sacram Ordinationem conferri postmodum prohibente, vt prohibere posse, rationibus adductis, sibi omninò persuadent. Hoc siquidem, effugium est manifestum. Nam Ecclesia eam postmodum iurisdictionem concedendo, solum impedimentum iurisdictionis, alioquì per Sacramentum locum habituræ, tolleret, quod

 antea

antea interpoſuiſſet; quatenus eam dumtaxat ſolueret iuriſdictionem, quam præmiſſa prohibitione ligauerat; ideòq; non Eccleſia, ſed ipſa ordinatio iuriſdictionem ſemper tribueret, vnaque proindè, & eadem foret ſemper iuriſdictio, illa nimirum quæ vi Ordinationis recipiatur, ab Eccleſia quidem, quandoq; ligata, quandoque ſoluta, pro ut ſibi contingenter expedire viſum fuerit: Eo prorſus modo, quo impertita à Summo Pontifice ſubdito Regulari Sacerdoti facultate abſoluendi, non niſi tamen de conſenſu ſui Prælati, à ſibi reſeruatis; Is Prælatus conſenſum poſtmodum denegando, facultatem impediens, neutiquam iterum præbendo conſenſum, nouam diceretur facere facultatem, ſed ſolùm præhabitam, quæ iam à Pontifice dimanarit diſſoluere.

Amplius, cum Eccleſiæ, ſeu Pontificis ſit, iuriſdictionem impendere ad omnes functiones externum tangentes forum, puta ad dirigendum, excommunicandum, & ſimilia. Quì etiam non erit iuriſdictionem ad functiones fori pœnitentialis, ſcilicet ad abſoluendum à peccatis, pariter elargiri?

Præſertim quod conuenienter nequiuerit à Deo hæc Iuriſdictio deſcendere, cum vt ſit recta, ſalubris, ac opportuna, pro rei, & circumſtantiarum exigentia, ab Eccleſia veniat regulanda. Qua de cauſa illam paſſim Eccleſiam impedire, ne fiat, auferre poſtquam facta fuerit, & iterum donare, & redonatam reſtringere, ampliareuè, prout in dies nouerit expedire, quotidiano experimento compertum eſt. Immò vndè colligitur hanc iuriſdictionem vi Sacramentalis Ordinationis impertiri, cum nullus vnquã eam adhibuerit ab abſoluendum; quin ſemper ab ipſis Eccleſiæ tyrocinijs, adhibuerint omnes ordinariam, aut delegatam, ab Eccleſia deſcendentem, vt loco ſæpius citato Tridentinum *docet, perſuaſum ſemper fuiſſe in Eccleſia, eſſe nullam abſolutionem,*

quam dederit Sacerdos non habens iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam?

8 *Quod adeò firmiter retineto, vt neque Apoſtolos per ea verba.* Quorum remiſeritis, &c. *à Chriſto talem iuriſdictionem credas accepiſſe, ſed poſtea, quando à Chriſto miſſi fuere illis verbis.* Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos, *vt communiter Doctores.*

Nec quod deindè Apoſtoli immediatè à Chriſto ipſam acceperint iuriſdictionem, arguit eandem quoq; immediatè à Chriſto Sacerdotibus tribui, nam hoc fuit ſpeciale Apoſtolis priuilegium, cum alijs multis, vt quod fuerint Apoſtoli, ſcripturarum conditores, Orbis vniuerſales Epiſcopi, & alia plura, quæ tanquam vitalitia, cum ipſis expirarunt vniuerſa.

9 *Ex quibus meritò externam iuriſdictionem qualemcũq; & quantamcunq; ab Eccleſia non manantem, pænitùs improbamus; Adeò, vt in mortis articulo, in quo, vel à mortalibus, quilibet Sacerdos valet abſoluere, agnoſcamus adhuc iuriſdictionem ab Eccleſia traditam, cum* Tridentino *loco citato ibi:* Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo Mortis, atque ideò oẽs Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt. *Quod idem dicimus de mortis periculo, articulus enim, & periculum in hac materia confunduntur,* c. eos qui de ſent. excomm. in ſexto, *ut conſequenter ſufficiat probabile mortis periculum, quo quis à quocunque poſſit Sacerdotum ſic abſolui, vt amplius iterare confeſſionem non habeat. Solùmq; vbi innodatus fuerit excommunicatione, Superiorem teneatur adire, ſimili alioquì excommunicatione iterum innodandus; vt ideò in tali caſu, non Chriſtus, ſed Eccleſia iuriſ-*

dictionem impendat. ex quo .n. eam potuisset: teste Concilio: reseruare, si placuisset, non reseruando eam in statu antiquæ Ecclesiasticæ concessionis, quæ extendebatur ad omnes Sacerdotes, relinquere eo ipso subauditur. Qua de re docent nonnulli hisce in casibus, Sacerdotem simplicem alio Sacerdote Ecclesiastica iurisdictione prædito presente nequire absolutionem impendere, quippè Ecclesia eo casu facultatem negare, siue Iurisdictionem non tribuere præsumatur, excluso iam damnationis periculo, quo mota est ad non reseruanda peccata in eo articulo, ne scilicet aliquis pereat, *vt loquitur* Tridentinum.

Eandem prorsus ab Ecclesia tributam iurisdictionem agnoscimus in absolutione à solis uenialibus, quã quilibet Sacerdos valet impẽdere (cum enim Tridentinum indistinctè doceat, sententiam non posse proferri nisi in subditos, & non nisi ab habẽte iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, hocq; semper fuisse in Ecclesia persuasum, nullus remanet prorsus asserendi locus, venialia absolui, absq; Ecclesiæ iurisdictione. Et quidem minore Ecclesia circa uenialia iurisdictione, quam circa mortalia fulgere, quis diceret?

Quamuis enim, quin possint venialia deleri, per alia quoque remedia extra Pænitentiæ Sacramentum, nequeat prohibere, si tamen pro libito pænitentis veniant Sacramento delenda, cur nequit Ecclesia statuere illud non ministrari, nisi à Sacerdote per ipsam deputato? non enim minus tunc gratia confertur, quam cum mortalia confitentur, & vtrobique iniuriæ contra Deum, quamuis disparis grauitatis, fit remissio, à qua iniuria, cum nequeat quis iuridicè per inferiorem absolui: cuiuscunque enim iniuriæ remissionem ab offenso, seu ab eius loca tenente, quò iuridica sit, faciendam nemo diffitetur: auctoritatem Pontificis, Christi Vicarij, aut delegatam ab illo, necessariam fore, consequens fit.

Digitized by Google

Nec quidem, quod prohibuerit quandoque Ecclesia indifferenter absolui, indicat iam antea fuisse à Christo iurisdictionem tributam, sed solùm ab Ecclesia antea datam, postea reuocatam, seu, ad propriorum insuper Prælatorum licentiam coarctatam, qua non obtenta, nullius sit momenti absolutio, vt supra dicebamus, coarguit.

De Ordinum verò collatione dispar est ratio; cum enim nequeant Ordines nisi à Deo agente principali per causalitatem Sacramentalem, conferri, Ideò Ecclesiæ prohibitio, ne conferatur in non subditos, Potestatem in Episcopo, ipsius Dei ministro, necessariò supponit, actamque ordinationem reddit proindè illicitam potius quàm inanem, quod Ecclesiæ nullum sit ius illam inualidandi, vt quæ non perficiatur per modum contractus, aut iudicij, sub Iure Supremi Principis, & Iudicis existentium, sed tanquam nuda concessio, seu coaptatio in Ecclesiasticorum statum gratiosa, de qua nil ad Principem, vel Iudicem spectat. Sicut autem iudicium externum, & in foro fori, vt sit validum, ne dum essentiales conditiones, sed multoties etiam accidentales requirit, ne v. g. sit de nocte, aut à non sedente pro tribunali, &c. Defectu quorum: ita Supremo præscribente Iudice: iudicium nullum sit, sic iudicium fori pœnitentialis, non solum inualidum esse contingit, defectu iurisdictionis, requisiti essentialis, sed etiam accidentalis licentiæ, seu facultatis superioris, & proprij Sacerdotis, quoties hæc sub nullitate ab Ecclesia fuerit prærequisita.

10. *Quod tertiò hæc sententia assumebat, iurisdictionem s. vi quidem ordinationis accipi, cum dependentia tamen ab Ecclesia, non plus subsistit, quam cætera; etenim vi ordinationis, non absoluta iurisdictio, sed prorsus conditionata oriretur, quam tamen redarguunt verba.* Accipe Spiritum Sanctum, quorum remi-

seris, &c. *quæ absoluta, sic absolutam conferre Potestatem sit consequens; est enim certi iuris regula, sacramentales formas, non aliter conferre, quam significent.*

Quæ ratio eò magis conuincit, quod per hæc eadem verba, eò confertur potestas, quò confertur Character, aut saltem aptus redditur ad operandum; Characteris autem operatio, si tota physica sit, omnem excludit iurisdictionem, quæ est moralis tantùm potestas, si sit moralis, non erit respectu Ecclesiæ, sed Dei, cum quo solo, & non cum Ecclesia, de supernaturali concursu præstando, pactum per ipsum Characterem initur.

Huc facit, quod, non minus per Episcopalem Ordinationem, Potestatem Ordines conferendi Episcopus recipit absolutam, quã per Sacerdotalem, absoluendi Sacerdos, cum vtrobique forma absoluta sit, ibi: Quæcunq; sanctificaueris, &c. *hic* Quorum remiseris, &c. *aut ergo Ecclesia consequenter poterit impedire Ordinum quoq; collationem, aut nec absolutionem: Quo posteriori admisso, nil Iuris Ecclesiæ in hanc Potestatem remanere sit cõsequens.*

Præsertim, quod: Doctoribus communiter applaudentibus: quæ à Deo sunt immediatè, adeò immutabilia sunt, vt non nisi vrgẽtissima de causa sint dispensabilia; cuius generis esse iurisdictiones omniũ Summorũ Pontificum, & dudum Apostolorum, à Deo immediatè manantes, sicut & Potestatem in Sacerdote ad sacrificandum, nemo ignorat. Quorũ immutabilitatem fateri necesse est, non minus, quam Potestatem quamcunque, immediatè à Summo Pontifice alicui tributam, vnusquisque fatetur immutari, multò minus auferri, ab inferioribus Papa, nullatenus posse.

Multoq; minus auferri hæc iurisdictio posset, si muneri Sacerdotali: vt dicunt aduersarij: esset annexa, quin ipsi Sacerdoti nullo concurrente defectu, ablata, in iniuriam cæderet; muneri etenim

iam collato, & quæsito, non nisi per iniuriam detrahitur sine causa.

Nec simile est de Potestate absoluendi, nutui superiorum subiecta, per Pontificem Regularibus Sacerdotibus collata; aut .n. non est ipsis Sacerdotibus immediatè collata, sed Prælatis, qui illam sibi subditis quoties, & quatenus expedierit, impartiantur.

Qua ratione Christus Dominus se gessit in Ecclesia, suum instituendo Vicarum, cum iurisdictionis plenitudine, vt per ipsum in cæteros prout fuerit exigitum, postmodum descendat.

Aut si ipsis Sacerdotibus immediatè intelligitur collata: quod mihi verius videtur: collata est hac lege essentiali, vt à Prælatis licentiam obtineant, nec sine ab illis, iustis de causis, impediti. Atquì constat Sacerdotibus Ecclesiam, sine vlla prorsus causa, absoluendi iurisdictionem indiscriminatim interdicere, nisi specialiter ordinaria ipsis fuerit impartita, aut delegata. Qua vtraque ab Ecclesia manante, iurisdictionem emanare à Pontifice, non autem vi Ordinationis liquet vniuersam.

Quod minimè in ipsius cædit Potestatis detrimentum, quod scilicet vi Ordinationis collata Potestas, destitutæ iurisdictionis redoleat imperfectionem, tum quia: vt in sequentibus latiùs: eò non tollitur, quin sit potestas perfecta in suo genere, tum quia, etiam si hæc iurisdictio hanc potestatem compleret, non expedit tamen, quod à Christo fiat, exigente Monarchico Regimine Ecclesiæ, vt à valente eam moderari, iuxta varias rerum opportunitates, impendatur, cuiusmodi Pontifex Summus, ipsoque medio, cæteri inferiores dignoscuntur Prælati. Nec rebus nisi congruentes concedendæ perfectiones; Pontifex itaq; Summus, qui Christi Vicarius, plenaria fulgens potestate, alter in Terris appellatur Deus, totius Ecclesiasticæ iurisdictionis est Caput.

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR: EO QVIA POTESTAS VI ORDINATIONIS ACCEPTA, SIT TANTVM CIRCA PECCATA, NON CIRCA PERSONAS SVBDENDAS, QVO VALIDE ABSOLVATVR.

ELENCHVS.

1 *Bipartitam Potestatem, alteram circa peccata, alteram circa personas, necessariam quidam volunt ad absoluendum.*
2 *Inter se se certè discretas.*
3 *Prioremque perfectam in suo genere.*
4 *Ex quibus vnus tamen effectus cum duplici formalitate procedat.*
5 *Atqui conuincuntur.*
6 *Inter Iurisdictionem, & Iurisdictionis Potestatem discrimen.*
7 *Subiectio tùm ad substantiam, tùm ad validitatem Iudicij necessaria.*

8 Potestas Ordinis sine Iurisdictione, imperfecta simpliciter.

9 Iurisdictio ad omne Iudicium requisita.

1 

Superioribus expediti, celeres alij duplicem Potestatem necessariam ad absoluendum; Primam vi Ordinis acquisitam, secundā ab Ecclesia traditam, deputarunt. Priorem dicunt circa peccata, non circa personam subditam; licet enim peccata nequeant absolui, nisi vt peccatoris peccata sunt, sicut nec esse possunt: tamen haud necessario peccatorem, vt subditum, sed tantùm, vt peccatis obstrictum, atque adeò peccatorum obnoxium, connotant. Posteriorem verò designant circa personas subditas; cum nemo intelligatur Potestatem iudicandi habere, nisi vt superior, & superior intelligi nequeat, cui nullus sit subditus: vt hinc tali potestati respondeat à parte rei realis subiectio; Ob quam quidem Potestatem, Sacerdos circa personas, ius illud, quod per Ordinationem habuit de peccatis iudicij faciundi, valeat exercere.

Qua duplicata potestate dilucidè satis sibi persuadent, non posita legitima subiectione pænitentis, absolutionem inferendam nullam, quod retenta integra Potestate Ordinationis Sacramentalis, desit adhuc iurisdictio, potestas altera circa personas; vt ideò Potestati Ordinis, non versari circa personas subditas, sed circa solùm peccata, & peccatorem, nondum tamen subditum, summatim impingant.

Priorem Potestatem ex verbis colligunt Sacramentalibus: Quorum remiseris peccata, &c. *quibus peccata Sacerdoti subijciuntur in recto, velut materia, circa quam versetur; perso-*

nis tantùm in obliquo connotatis, quippè per eandem Poteſtatem, nondum ſubijciantur.

Colligunt poſteriorem ex Florentino, Decreto de Sacramento Pœnitentię, *ibi:* Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. *Nomen enim auctoritatis, ſicut & Iuriſdictionis, vſurpatum à Tridentino, loco ſæpius citato, & expreſſius nomen ſuperioris, apertiſſimam ſubiectionem perſonarum, circa quas verſentur, inuoluunt.*

Quæ auctoritas, ſiuè iuriſdictio, vera poteſtas moralis eſt, vt Concilium innuit; & duplex, altera ordinaria, delegata altera. Prior tribuitur incluſa in munere, cui annectitur, cuiuſmodi ſunt vniuerſa munera curam habentia animarum, ſeu adminiſtrationem, vel ex natura rei, vt munus paſtorale, vel ex inſtitutione, puta munus parrochiale, cui proindè ſubiectæ, non ſolum res, ſed ſimul etiam fiunt perſonæ, atq; adeò duæ ſimiliter poteſtates in eo clauduntur, hinc rebus, indè perſonis reſpondentes. Poſterior neutiquam incluſa in munere, ſed per ſimplicem, nudamque commiſſionem tribuitur; & quamuis iuriſdictio præciſa, vt dicunt, non niſi circà perſonas verſetur, cum ſolam inferat ſubiectionem perſonarum, ad quem effectum tribuitur; tamen ſub ipſa concedi prætenditur altera circa res, niſi adſit, in ordine ad quas, ipſæ perſonæ ſubijciantur; ſecus inanis, & ridicula eſſet ſubiectio perſonarum, cum abſque compræhenſione alicuius rei, ſeu functionis, nec concipi queat, modò tamen tribuens facere de ijs rebus valeat facultatem; vt infra de iuriſdictione in foro pænitentiali; & niſi, vt monuimus, delegatus eam facultatem habeat aliundè, vt in re præſenti accidit; cum enim Sacerdos, vi ſacramentalis Ordinationis, conſequutus iam fuerit remittendorum criminum

Poteſtatem, adeò vt, nec aliundè fas ſit obtinere, ceu à ſolo Deo offenſo tribuendam, qui non niſi in Sacramento eam dare conſtituit, ſit, vt Eccleſia ſub iuriſdictione, quam poſtea tradit, eam poteſtatem non tradat; Immò nec tradere poteſt, ſi nimirum tradat non Sacerdoti; quod erit ſolùm, eam alijs Sacerdotibus committendi, vt de ſe notum eſt, facere facultatem; In quibus proindè caſibus, iuriſdictio non pluſquam nuda poteſtas eſt ſuper perſonas, præciſiuè quò ad res, ſeu functiones. Vt ideò effectus ipſi præciſè correſpondens, ſit ſola ſubiectio perſonarum.

2 *Hinc inter ſe ſe duas has Poteſtates ſ. quæ ab Ordinatione, et quæ ab Eccleſia traditur, diſcriminari multipliciter perſuadent. Quod illa per Sacramenti cauſalitatem à Deo, hæc per ſimplicem verbalem deputationem ab Eccleſia, ſit. Per illam ius ſupra res: nemo enim peccata ualet remittere niſi Sacerdos: per hanc ius ſuper perſonas acquiratur, vt ideò Prælatus non Sacerdos, non valens à peccatis abſoluere, valeat tamen abſoluendi iuriſdictionem Sacerdoti delegare. Per illam Sacerdos Iudex tantùm cauſarum, per hanc conſtituatur etiam perſonarum, circa quas, cauſarum iudicium quod ſupponitur, & ad quod iuriſdictio eſt requiſita, exercere queat. Demum per illam nondum auctoritas, ſeu ſuperioritas acquiratur, ſitque ob id poteſtas ex parte dignitatis Sacerdotalis, quam proinde Sacerdos ad gradum Sacerdotalem adipiſcatur aſſumptus, per hanc acquiratur auctoritas, & ſuperioritas, correlatiua ſubiectionis perſonarum; indeq; poteſtas officij potius, quàm dignitatis iure ſit nuncupanda.*

Cum itaq; duæ hæ poteſtates, circa res, & circa perſonas, dignitatis, & officij, in generali tantopere diſterminentur ad inuicem; abſit mirum, quod alterutrum ſint ſeparabiles, quin immò re ipſa aliquando ſeparatæ: eſtò vt plurimum conferantur ſimul:

aut expreſsè, & principaliter, aut ſaltem vna implicita in alia. Do Epiſcopum electum Confirmatum, nondum tamen Conſecratum. euidens hunc tibi erit poſſe circa perſonas, vi Confirmationis, non tamen circa res, aut functiones dignitatis Epiſcopalis; ut Ordinare, Chriſmare, & Conſecrare; quis enim ignoret, hanc non niſi per ſubſequentem Conſecrationem impendi? Ex aduerſo accidit de Epiſcopo Conſecrato titulari, aut annulari, vt dicunt, ſine actuali Diæceſi, ad ſolum titulum Eccleſiarum in partibus infidelium, creato; vel Epiſcopatu ſe ſponte abdicato; hi profectò Ordinarent, Chriſmarent, & Conſecrarent validè, quamuis non licitè, propter Eccleſiæ prohibitionem etiam non ſubditos, vt ſæpius inſinuatum eſt; cum tamen nullas habentes perſonas ſubiectas, careant iuriſdictione. Quod dicas de Abbatibus quoque benedictis creatis titularibus, aut regimine abdicatis, quò ad minores conferendos, & Pontificalia exercenda.

Nec modò quò ad munus Epiſcopale, vel Abbatiale, ſed etiam quò ad munus paſtorale, quæ duo ſe viciſſim comitantur; hoc ſiquidem eſſentialiter circa functiones paſtorales, vt regere, dirigere, & iudicare, Poteſtatem importat, quam nec Eccleſia valeat auferre, cum à Chriſto Domino munus paſtorale fuerit inſtitutum, in ordine ad huiuſmodi functiones, vſque adeò, quod, facta ſemel legitima electione in Paſtorem, ab habente auctoritatem, eo ipſo intelligatur electus aſſequi facultatem, ea omnia munia peragendi, quæ in eodem munere paſtorali, ex Chriſti inſtitutione clauduntur: Indè tamen hunc nondum potiri Poteſtate circa perſonas, ex eo liquet, quod nulla adhuc fuerit ipſi aſſignata Diæceſi, vt ſuppono. quodque, non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè eas functiones exerceret; ob id ſolùm, quod in perſonas non ſubditas exerceret. Clarum igitur eſt, has duas Poteſtates ſeparabi-

les, & de facto ſeparatas aliquando exiſtere, tam quò ad munus Epiſcopale, quam Paſtorale.

Idipſum aſſerit hæc ſententia de munere Confeſſarij ad abſoluendum, duplicem ſcilicet ei Poteſtatem fieri, alteram Ordinis, iuriſdictionis alteram, illam quò ad peccata, hanc quò ad ſubiectionem Pænitentium, ita ut, quamuis per Presbyteratum aſſequatur Ordinis facultatem integram, & perfectam, nempè remittendi, tàm vnum quàm aliud peccatum, tàm vnius quàm alterius pænitentis; nondum tamen cum effectu ipſa peccata valeat remittere, quia id non fit niſi ad inſtar iudicij, quod eſſentialiter ſubiectionem exigit perſonarum, iuxta Tridentinum *loco ſæpius laudato ibi:* Quoniam natura, & ratio iudicij expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, &c. *nondum autem fuerīt ſubiectæ perſonæ, quæ poſtea ab Eccleſia per ſuperadditam ſubduntur auctoritatem, ſuperioritatem, ſeu iuriſdictionem: his nominibus appellatam à Concilijs Poteſtatem, perſonas Presbytero ad abſoluendum ſubijcientem.*

3 *Adhuc hi Doctores priorem Poteſtatem Ordinationis Sacramentalis circa peccata, & ſi deſtitutam poſteriori Poteſtate iuriſdictionis, nihilominus perfectam in ſuo genere aſſeuerant; vtpotè de ſe ſufficientem, & ſuaptè natura ad omnia peccata extenſam; vſque adeò, quod niſi remiſſio eſſet functio iudicialis, ad quam iuriſdictione proindè ſit opus, validè ſe ſola ad exequutionem circa perſonas, etiam non ſubditas, redigeretur. quemadmodum ſimilis poteſtas remittendi peccata, validè per baptiſma in quemcunque etiam non ſubditum exercetur, eò quod Sacramentum iſtud, per modum non iudicialis abſolutionis, ſed ſimplicis ablutionis, & ſpiritualis regenerationis adminiſtretur.*

Nec tamen, ſubdunt, quia Poteſtas Ordinis caret iuriſdictio-

ne, & eo ipso subditis, ad validitatem iudicij pernecessarijs: dicente Tridentino, Naturam iudicij expostulare, ut non nisi in subditos sententia proferatur; indè fit illusio iudicij circa res alterius à iudicio circa personas, illa siquidem adeò utiliter, immò necessariò circa peccata versatur, ut cæteroquì nemo de peccatis, per quantamcunque potestatem circa personas, seu personarum subiectionem, hoc est iurisdictionem ab Ecclesia receptam, valeat iudicare. Huic similem faciunt, quæ olim dabatur Iudicibus Cartularijs facultatem, quippequi ad iudicándum sponte sibi se se subijcientes essent electi; & quamuis actuali iurisdictione destituti, secus etiam in inuitos ius dicere licuisset; apti tamen, media iam facta deputatione in Iudices, ad iurisdictionis potestatem, per subiectionem spontaneam iudicandorum, assequendam; qua superueniente, eo ipso in illis Iudicibus resultabat potestas circa personas, integrans cum potestate iam tradita circa functionem iudicialem, absolutam, & perfectam potestatem, sufficientem ad personas deindè cum effectu iudicandas.

4 *Ut proindè isti Doctores duas facientes has potestates, moraliter in unam coeuntes, vicissim separabiles, & separatim etiam collatas; unum nihilominus velint effectum operari, ad utrarumque simul positionem resultantem; cum duplici tamen ambabus correspondente formalitate, ne alterutra sit otiosa, & inanis; quod enim sit de talibus rebus, nempè de peccatis, adeò Potestas Ordinis ad ea remittenda præexigitur necessaria, ut nemo non Sacerdos ullo modo ea queat remittere: Quod sit circa tales personas subditas, cum remissio, functio quippè iudicialis, nequeat omninò fieri ex Tridentino, nisi in subditos; huic formalitati potestas iurisdictionis, reddens ipsas personas subditas, correspondeat.*

Digitized by Google

5 *Sed enim adhuc eſt in quo diſpliceant hi Doctores; cum enim Poteſtas hæc, per Sacramentalem Ordinationem collata, ſit phyſica, realiſque, in reali Charactere conſiſtens, & ad tollenda peccata, per realem productionem gratiæ deſtinata; nequit omninò agere, niſi ex neceſſitate naturæ, ad inſtar omnium aliarum cauſarum agentium ex non electione; non poterit ergo ab Eccleſia impediri, quominus ſuum ſortiatur effectum remittendi peccata, per non factam ſubiectionem, quæ nihil aliud eſt, quam ens rationis, & reſpectus ſecundum dici, vt terminis vtamur Scholaſticorum. Quì enim rationalis reſpectus, ſeu non ens, phyſicam, realemque poteſtatem, ſeu realem illius influxum, impedièt? Num fortè, quatenus dempta iuriſdictione, Character non influat, defectu concurſus ſupernaturalis Dei ſpecialis, vel ſaltem generalis, modo in ſuperioribus capitulis explicato? At hoc ibidem euidenter improbatum eſt; ex eo præ cæteris, quod indè Sacramentum reſultaret tantùm inefficax, non inualidum; defectuſque non aſſignaretur ex parte Sacerdotis, ſed aliundè, contra modum loquendi Conciliorum.*

Quibus adde, quod nec fortaſsè inefficax fieret, ſaluis enim omnibus ſubſtantialibus ad phyſicè agendum: quibus non venit iuriſdictio, cum ſit pura relatio rationis, Sacramentum re ipſa operari, etiam abſq; iuriſdictione, videtur neceſſe. Ni velis iuriſdictionem concurrere pro applicanda materia, conformiter ad effectum ſubijciendi, hiſce à Doctoribus ei attributũ; ex quo ſubijcere materiam, ſonare nil præterea videatur, quàm ipſam ſternere, applicareuè agenti, quò circa illam ſuum exercere influxum, & in eam ſuum efficere valeat effectum. At hoc pluribus ſimiliter ſupra reiecimus, ea præcipuè ſæpius refricata ratione, præ alijs, quod

quod defectus sisteret præcisè in distantia, aut indispositione ex parte subiecti, eo modo, quo Sacramentum Pænitentiæ, in non attritum neutiquam operatur, quia Deus constituit non concurrere ad iustificationem Pænitentis indispositi; hoc est carentis attritione, dispositione quamuis morali in ordine ad gratiam, & eo ipso inepta ex natura rei ad impediendum effectum realem gratiæ. Indè sequeretur vlteriùs Sacramentum dumtaxat inefficax, non autem inualidum resultare: vt supra in simili argumentati sumus de Sacramento informi: eoq. ipso defectum totum assignari ex parte subiecti, vel Dei non concurrentis, non autem ex parte Sacramenti, & multò minus ex parte Sacerdotis agentis, contra sæpius repetitam mentem Conciliorum.

Amplius, cum hæc Ordinis Potestas sit in concreto, & in particulari tributa, secus haud esset Potestas realis, vtique est pro dicendo iure, in particularem pænitentem, de particularibus peccatis, tributa. Ad huiusmodi autem faciundum iudicium, subiectio omninò, & essentialiter præexigitur, dicente Tridentino *loco sæpius citato,* Naturam, & rationem Iudicij exposcere, vt sententia in subditos dumtaxat feratur. *Dat ergò Sacramentum subditos, cum iudicandi, sententiamque ferendi det pariter facultatem. Secus quia nil sine suis subsistit essentialibus, esset dare, & non dare Potestatem, quin potius, nullam, inanemque dando potestatem, esset illudere veriùs, quam dare.*

Accedit per hanc iudicandi potestatem, ligandi, soluendique, remittendi, & retinendi, conferri claues, quæ functiones verè iudiciales, verum iudicem, verum item superiorem constituunt: duo etenim hæc reuertunt inter se; quare fieri non poterit, quin subiectionem importent, cum Iudex, vt supra ostensum, sine iurisdictione nequeat reperiri, multò minus superior, cum subiecto cor-

relatiuus; ergò ulteriùs, aut iuriſdictio ab Eccleſia non eſt neceſſaria, quippè per Sacramentum tributa; ſuppoſito quod non requiratur, niſi propter ſubiectionem; aut erit ad effectum alium, quam ad efficiendas ſubditas perſonas, neceſſaria; & ita inanis aſſerta iuriſdictio ab aduerſarijs, propter ſolam ſubiectionem efficiendam.

6 *Ut ideò diſtinguendũ ueniat inter iuriſdictionem, & Poteſtatem iuriſdictionis, nam ex una parte iuriſdictio nil aliud operatur, quam ſubiectionem, ut in Epiſcopo exemplificauimus titulari; quem iuriſdictio non reddit potentiorem circa functiones Epiſcopales, ad quas per conſecrationem iam acceperat integram poteſtatem; quæ poteſtas realis cum ſit, ut diximus, nec etiam queit augeri per moralem iuriſdictionalem; ſolùm hæc iuriſdictio ſecum adducendo ſubiectionem, illas functiones Epiſcopales efficit licitas; quæ, illa non intercedente, ualidæ nihilominus forent. Ex alia parte ſubiectio pœnitentium, quatenus neceſſariò, ut uiſum eſt, in poteſtate iudicandi incluſa, per Ordinationem Sacramentalem tribuitur; Indè liquidò ultra iuriſdictionem, poteſtas iuriſdictionis admittenda apparet, eò ab ipſa iuriſdictione diſtincta, quod aliũ à ſubiectione operetur effectum, ſi uelimus inſiſtere Concilijs aſſerentibus, abſolutionẽ nulliter fieri, defectu alicuius Poteſtatis in Sacerdote.*

7 *Nec quicquam ſuffragari poteſt à cõtrarijs excogitata diſtinctio, de ſimplici ueritate, ſeu ſubſtantia Iudicij, ad quam ſubiectio neutiquam requiratur, & de ualiditate eiuſdem, ad quam ſubiectio requiratur. Nam quodcunq; Iudicium à parte rei, aut eſt ualidum, aut inualidũ; reciperet ergo Sacerdos ſua Ordinatione Poteſtatem ad dicendum ius inualidum; at iſtud ſimulacrum potius inanis iudicij, quam uerum, & effectiuum eſſet iudicium, ut de ſe conſtat, ergò Sacerdos, pro uero iudicio dicendo, haud acciperet poteſtatem, ergò peccata non eſſent uerè remiſſa, contra ſenſum uer-*

borum sacramentalium. Quorum remiseris, &c. *Præsertim quod* Tridentinum *loco citato, docens naturam iudicij exposcere, ut sententia feratur in subditos, loquitur absolutè, nullo addito validitatis apposito; intelligens procul dubio iudicium non subsistere, quin validum, & quin sub eius natura, & ratione, ut verbis ipsius utamur, subiectio comprehendatur.*

8 *Illud similiter commentitium est, quò confugientes, docent Potestatem Ordinis, seclusa iurisdictione, perfectam quidem esse, sed non à toto genere, ut indè iniuriæ nil refundatur in ipsum Deum, quatenus tribuendo potestatem sine necessaria iurisdictione, opus ediderit imperfectum; quicquid .n. sit, quod res fieri queat à Deo imperfecta à toto genere, modò sit perfecta in genere certo, cum facultate tamen ad consequendum, quod pro consumanda perfectione à toto genere omnibus numeris absoluta desideratur; si nimirũ sit sermo de perfectionibus accidẽtalibus; ex quo non dedeceat rem datam, magis, ac magis perfici, loquendo tamen de perfectionibus substantialibus, rem fieri posse imperfectam, ut falsum respuimus. Etenim res, præcisis substantialibus, nequit omninò in rerum natura subsistere: validitas autem, ut diximus, essentialis est iudicij, validitas inquam ex Iurisdictione dimanans; quippè correlatiua cum subiectione, hæc enim adeò necessaria est de mente Tridentini, ut cæteroqui iudicium nulliter fiat.*

Quod dictum est, ut distinguamus à validitate extrinseca, idest à Supremo Iudice apta decerni, propter non seruatam aliquam Iudicij circũstantiam, ut propter non seruatam cirsũstantiã præsentiæ Parrochi ab Ecclesia præscriptam, matrimonialis cõtractus in irritum fit: consisteret .n. hac sine, Iudicium adhuc quò ad intrinseca, & substantialia, ad quæ proindè tradita potestas, uerè diceretur ad aliquid tradita, quia iudicium re uera, usq; ad super-

uenientem contrariam Eccleſiæ diſpoſitionem ſubſiſteret.

9 Nec minus commentitium habe diſſectum ab alijs, pro ſubterfugienda difficultate, iudicium aliud circà res, neceßariam iuriſdictionem non exigens, aliud circa perſonas ſubditas, exigens iuriſdictionem; etenim percontari libet, num Sacerdos iuriſdictionis expers, abſoluat validè, & cum effectu, nec ne: ſi validè, quorſum vlteriùs iuriſdictio, pro iure dicendo circa perſonas, exigitur, cum habeamus peccata remiſſa, pro qua re contendimus? ſi nulliter, ergò non tantùm ad iudicium circa perſonas, ſed etiam circa res iuriſdictio prærequiritur. quandoquidem ad ius dicendum in particulari, & in concreto data eſt facultas in Sacramento, vt ſupra, & infra etiam magis firmabimus. Adde teſtimonia requirentia iuriſdictionem, indiſtinctè loqui de Iudice, vt inquirenti perſpicuum. ipſumque Tridentinum indiſtinctè de Iudicio: non diſtinguendo inter aßertum duplex iudicium: docere, naturam Iudicij expoſcere, vt in ſubditos dumtaxat ſententia feratur. Ex quibus, aut refellenda eſt illa diſtinctio, aut non magis in vno iudicio, quam in altero iuriſdictio requirenda.

Neq; tamen: vt omnia vnica ſub claui concludamus: hoc dicendi modo enodatur principalis difficultas, à Concilijs hucuſque petita, defectũ validitatis aſtruentibus, ex parte dumtaxat Sacerdotalis Poteſtatis, oridnariæ, aut delegatæ: aſſignata ſiquidem inualiditate ex defectu ſubiectionis pænitentis, ac Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ Confeſſarij, eo ipſo defectus ex Poteſtate Eccleſiæ, non autem Sacerdotis euidenter reſultare conuincitur. Ei namq; adſcribenda Poteſtas, cui illius effectus adſcribitur. Sed Eccleſia non Sacerdos ſubijcit pænitentem, ergò abſolutio defectu poteſtatis reſidentis in Eccleſia, non in Sacerdote, corrueret. quod vel ipſi etiam concedere verentur aduerſarij.

Digitized by Google

CAPVT XXV.

SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON SVBIECTIONEM LEGITIMAM POENITENTIS, NON ORITVR EX EO, QVOD POTESTAS VI ORDINATIONIS ACCEPTA, NON SIT CIRCA SVBDITOS SIGNANTER, ET PARTICVLARITER DESIGNATOS.

ELENCHVS.

1 *VI Ordinationis Presbyteralis, dari Potestatem neutiquam circa subditos singulariter designatos, æstimant aliqui.*

2 *Efficaciter probari contendunt.*

3 *Quam potestatem cum altera Ecclesiastica, coniunctione Ordinis, & effectus, coalescere putant.*

4 *Multaquè ita autumant probè saluari.*

5 *Quì improbentur.*

1 *NObiscum superiores sententias Doctores nonnulli improbantes, & ipsi nihilominus annuentes Potestatem absoluendi peccata in pænitentiali foro, totam esse Iuris Diuini; Vt saluent deindè, cur absolutio ex non le-*

gitima pænitentis Eccleſiaſtica ſubiectione ſit nulla, introrſum re perſpecta pronunciarunt tandem, vi ſacramentalis Ordinationis vtique dari Poteſtatem integram, & completam iudicandi de rebus, & de perſonis, non tamen ſignanter, & ſingulariter, ſed tantùm ſub vniuerſali, confuſa, & vaga quodammodò ratione, ſubiectis. Quam indiuidualem ſubiectionem efficere muneris ſit deindè Eccleſiæ, aut pænitentem alicui Sacerdotum ſubijciendo, aut Sacerdotem alicui pænitentium præficiendo; vel per collationem muneris Curati; vel per ſimplicem delegationem: ità tamen, vt ex vna pænitens in ſingulari tali Sacerdoti ſubditus, & ex alia parte talis Sacerdos eidem pænitenti ſuperior, cum poteſtate conſtituatur.

Vt ideò hæc requirat ſententia ad abſoluendum duas poteſtates, alteram à Chriſto in Sacramentali Ordinatione collatam, quò ad pænitentes ſubditos non expreſſos, quamuis ſingularem, & indiuiduam entitatiuè, ſeu in genere qualitatis; obiectiuè tamen, & quò ad ſubditos vagam, & communem: alteram ab Eccleſia manantem, quò ad eoſdem ſubditos, ſicuti expreſſos, ita non amplius entitatiuè tantùm, ſed ſimul etiam obiectiuè ſingularem, & determinatam.

Non quod poteſtas illa ideò ſit communis, quia pænitentes, præciſa ratione ſubiectionis, connotet, vt ſuperior aſſerebat ſententia, ſed quatenus ad pænitentes ſubditos quidem, verùm nondum adhuc expreſſos, dirigatur; ad differentiam poteſtatis ſingularis, eoſdem pænitentes, & ſubditos, & inſuper expreſſos, ſingulariterque ab Eccleſia ſubiectos, & deſignatos, reſpicientes.

Niſi enim illa poteſtas communis ad pænitentes, aliqua ſaltem ratione ſubiectos, extenderetur, iam in Sacramentali Ordinatione nulla daretur Poteſtas; cum enim ſit tradita per modum iu-

Digitized by Google

dicij, ut uerba sacramentalia denotant expressè; Eaq́ Sacerdotes constituantur Iudices, ut munia, ad quæ eo ipso destinantur, manifestè præseferunt; nequeunt de alio omninò intelligi, quàm de homine iudicando, qui simul subditus sit: necessaria igitur est subiectio, non tamen excedens communem, ut item communi traditæ, correspondeat potestati, hoc est nulla facta singulari expressione eorum, qui per ipsam ueniunt iudicandi. Ex quo deindè talis sacramentalis subiectio communis, comparatione actualis subiectionis singulas Ecclesiasticæ aptitudinalis ueniat nuncupanda quatenus ea unusquisque fidelis aptus sit, qui deputetur absoluendus in singulari, à quocunque designando Sacerdote, sicuti de facto per singularem, ac determinatam subiectionem postmodum deputatur; & è regione unusquisque Sacerdos sit aptus, quò possit signanter, & singulariter deputari, pro absoluendo quocunque designando fideli pænitente, quemadmodum de facto, uel certi muneris curati traditione, uel determinata commissione, ac delegatione, postmodum deputatur.

2 *Quam sic positam, explicatamq́ assertionem, isti DD. in primis, efficaciter colligi ex citatis uerbis sacramentalibus.* Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris, &c. *persuadent; Ex quo .n. denotant potestatem, circumscipta expressione, in quos determinatè significent exercendam, liquet, eam dumtaxat cõmunem tradere, atque eò ipso insufficientem, & ineptam ad operationem, quæ non nisi circa singulare subiectum uersari queat. Undè alteram potestatem, nempè singularem, & quidem à sola postmodum Ecclesia, tribui, necesse est: Quippè nulla alia potestas, præter Christi Domini spiritualia attingat, quam Ecclesiastica, ex quo proindè iurisdictio, iure ad Ecclesiam communiter dignoscitur pertinere.*

His dictis, mire fauere videtur institutum de Iudicibus cartularijs qui olim ab Imperatoribus constituebantur Iudices, ad omnes quidem, & singulos eorundem Imperatorum iudicandos subditos, nondum tamen ea deputatione expressos, & designatos; ita vt non nisi accedente postmodum iudicandorum singulari, & spontanea subiectione, ius in ipsos de facto dicere adhuc impotes essent: non secus existimandum docent, vi Sacramentalis Ordinationis Potestatem iudicandi integram, atque completam, de vniuersis equidem peccatis, & personis, conferri; nondum tamen signanter, et determinatè, sed in communi dumtaxat subiectis. Quam porrò singularem subiectionem, esto subditi cartulariorum, voluntaria subiectione, de se ipsis, præstarent: in re tamen nostra ipsa dumtaxat præstat Ecclesia, deputatione tacita, vel expressa, verbo, vel facto, nutu, vel signo, aut alio quocunque modo, ipsam sufficienter præseferente.

Facit magis, quod Episcopis titulotenus, consecratione datur facultas, ad omnes Ordinum functiones proprias dignitatis Episcopalis, in omnes quidem indiscriminatim exercendas, non tamen, vt subditos expressos, & indiuiduales, cum particularis designatio subditorum non sit muneris (Consecrationis, sed Confirmationis; qua Episcopi actualis, & particularis Diœcesis deputantur Pastores; per quam quidem deputationem ipsis traditur Iurisdictionis Potestas. Simile quid affirmant contingere in Sacerdote; is enim in Ordinatione consequitur Potestatem dignitatis Sacerdotalis, ad peccata quorumcunque pænitentium, sibi in communi subiectorum, remittenda. quia tamen nondum habet ipsos pænitentes, ui eiusdem Ordinationis, sibi subditos expressos, ac indiuiduos, sine qua indiuiduatione nequeat suum sortiri effectum; indigeat idcircò Potestate Iurisdictionis, qua subijciatur

quotquot absoluendi veniunt à peccatis. Quamuis cum discrimine Sacerdotis, ab Episcopo, quod huic iurisdictio deseruiat solùm ad licitè Potestatem Ordinis Episcopalis exercendam, ex quo huiusmodi exercitium, ad instar solius gratuitæ largitionis emergat. Sacerdoti autem ne dum ad licitè, verùm ad validè absoluendum sit opus eò quod non absoluat nisi ius dicendo, & pronunciando super delicta pænitentis, vt sæpenumero insinuatum est.

3 *Quas duas Potestates, Ordinis scilicet, & Iurisdictionis, illam Iuris Diuini, hanc Papalis, Sacerdoti competentes, in vnam secundo loco docent, coniunctione Ordinis, & effectus, coalescere Potestatem, completam, totalem, sufficientem, & efficacem ad validè absoluendum: sic tamen, vt vnaquæque in suo genere existat integra, & completa, adeò vt posterior nullatenus priorem perficiat, aut queat perficere, eò quod prior sit entitas realis, nempè Character, in quo consistit ipsa iudicialis potestas. posterior sit ens morale, nempè iurisdictio ab Ecclesia per simplicem verbalem iniunctionem procedens; quas ideò, vtpotè inter se, ceù ens reale, & morale disparatas, euidens est nequire inuicem componi sic, vt vna realiter perficiat alteram.*

Differunt amplius, quod potestas singularis est vera iurisdictio, in ordinariam, & delegatam partita, totaque ab Ecclesia dimanans, cuius, immò omnigenæ Ecclesiasticæ Iurisdictionis Summus Pontifex apud sacram scripturam, & Canones, caput, & scatebra passim nuncupatur. Per quem ideò limitari, impediri, aut etiam in totum auferri queat; pro vt salutari Ecclesiæ Monarchico regimini ille nouerit expedire. potestas verò communis iurisdictio non est, quia subiectionem expressam, & singularem, quod essentialiter concernit iurisdictionem, non infert. Secus Pontifex Maximus non esset caput totius Ecclesiasticæ Iu-

riſdictionis, ut infra elucidabitur: vel ſi placet iuriſdictionis vocabulo decorare, additamentum apponito, iuriſdictionem vocitando communem, quatenus importat ſubiectionem in communi, ut explicatum eſt; Aut ſacramentalem, quatenus confertur vi Sacramenti: aut aptitudinalem, ſeu in habitu, vel inchoatam, comparatiuè ad iuriſdictionem ſingularem, actualem, & completam, modo explicato.

Quæ tamen appellatio, nec quidem cum prædictis additamentis frequenter, & ſine delectu ponatur in more, quippè phraſi Conciliorum inuiſa, apud quæ nulla commemoratur iuriſdictio, præter ordinariam, & delegatam, ſpecies ſolius iuriſdictionis in ſingulari; præter quam, nulla alia propria, & abſoluta iuriſdictio apud antiquos cordatos Auctores reperitur.

Ut ideò veriori, atque ſtrictiori verborum proprietate, ea iuriſdictio communis Ordinis Poteſtas dicatur; non modò, quod ſacramentalis ordinationis vigore tribuatur, ſed de magis, quod illi proprijſſimè adaptetur Poteſtatis Ordinis definitio, ſic tradita; Eſt poteſtas ad conſecrandas res, & perſonas. Per quid enim amabò quis aptius conſecratur Deo, quàm per habitualem gratiam, effectum huius poteſtatis, qua homo dum formaliter liberatur à peccatis, vſq; adeò conſecratur, vt ne dum compos ſanctitatis, ſed ipſius Diuinæ Naturæ conſors fieri dicatur? ratione cuius gratiæ ipſa etiam Myſteria ſenſibilia, à Chriſto Domino ad noſtram ſalutem inſtituta, atque ordinata, eò Sacramenta paſſim in Eccleſia vocitantur, quod ad eandem gratiam, vnanimi Doctorum ſententia interprete, hominem formaliter ſacrantem, ſint deſtinata.

4 *Quibus poſitis, & explicatis, inferunt ſententiæ huius Auctores, facilè ſaluari, quod à nonnullis circumfertur, Sacerdoti per*

Sacramentalem Ordinationem, Potestatem quidem fieri, at non materiam legitimam, circa quam ea potestas versetur, non nisi per singularem insuper subiectionem ab Ecclesia deindè expectandam; cum enim vna cum subiectione fiat eo ipso iurisdictio Sacerdoti, cui talis subiectio dirigitur, tanquam correlatiua cum ipsa; indè absolutio, ea subiectione seclusa, nullius euadit momenti, non quidem defectu materiæ, sed quod non adsit iurisdictio ex parte Sacerdotis ergà absoluendum, non adhuc ab Ecclesia in particulari subiectum; quia cautione loquendum omninò est, ad verificandam phrasim Conciliorum, refundentium absolutionis nullitatem in defectum non materiæ, sed iurisdictionis requisitæ ex parte Sacerdotis, vt sæpè est ex Tridentino relatum, dum dicit, persuasum semper fuisse in Ecclesia, nullam esse absolutionem, quam profert is, qui non habet ordinariam, aut saltem subdelegatam in absoluendum iurisdictionem.

Facili non minus negotiò indè colligi vlteriùs asseuerant, vndè Sacerdos habeat in mortis articulo, ab omnibus peccatis venialibus, & mortalibus; & omni vitæ tempore, à venialibus tantùm, validè absoluere, non alia inquiunt ratione. nisi qua indulsit Ecclesia iurisdictionem omnimodam, & illimitatam pro venialibus; in solo autem mortis articulo pro omnibus indiscriminatim peccatis; quam iurisdictionem sic, & non aliter, ex Ecclesiæ indulto, adesse, indicat planè communis praxis, & hominum sensus; nempè per conniuentiam, permissionem, tacitamq; licentiam perpetuam, ac nunquam Ecclesiæ interruptam. Namq; in nascenti Ecclesia Apostoli, per immediatam iurisdictionem à Christo receptam, cæteri autem Sacerdotes, de Apostolorum consensu, indiscriminatim absoluebant; ad quem effectum, in actu Ordinationis Presbyteralis, sic rerum statu tunc exigente, subintelligebantur ab Ec-

Digitized by Google

clesia deputari; cui generali indulto, seu deputationi Ecclesia, rebus deinceps mutatis, edicto restitit: quod deindè sub Vrbano Secundo, vt supra notauimus, firmitatem obtinuit: reseruando exindè mortalia, de cætero absoluenda, solis Presbyteris proprijs, & designatis; idque non nisi extra mortis articulum, declarante Tridentino sess. 14. de Sacr. pœnitentię cap. 4. *Ne animæ perirent, custoditum semper fuisse in Ecclesia, mortalia in mortis articulo non intelligi reseruata. Hinc iurisdictionem de venialibus illimitatè, & de mortalibus in articulo mortis, ad hæc vsque tempora, colliges indesinenter perseuerasse.*

Illud etiam defacili sibi suadent explicare, quì Pontifex, quandocunque, & quomodocunque validè absoluatur, ab eo, quem sibi pro libito in Confessarium eligit, asserendo Confessario sic assumpto, adesse ex rei necessitate iurisdictionem, per Christum: cum enim Pontifici fuerit tradita suprema, generalis, atque absoluta Iurisdictio in vniuersam Ecclesiam; ita vt cæteros habens sibi subditos, ipse tamen nulli vnquam subsit; sed nec subesse queat humanæ potestati; liquet quemlibet Sacerdotem, Iure Diuino, pænitentiali iurisdictione supra Papam, ad huius placitum, semper gaudere: etenim Pontificem, qui sibi superior non est, sicut se ipsum iudicare, ita potestatem iudicialem, quam in se non agnoscit, alteri participare repugnat; ni igitur hanc iudicialem, seu iurisdictionalem Potestatem Sacerdoti, per Pontificem assumpto, fateremur à Christo, tam prouidum, & liberalem, quam amatorem Ecclesiæ sponsum Christum damnare necesse foret, quod cum corpori Ecclesiæ de sufficienti remedio salutis prouiderit abundè, ipsum deindè Ecclesiæ caput remedio destitutum, cunctis fidelibus ipso longè inferioribus, & ignobilioribus miserabilioris reddidisset conditionis.

Omnia tandem his dictis bene cedere concludunt; egregiè ſiquidem ſaluatur, quod Eccleſia valeat hoc Sacramentum irritare, pro vt de facto irritat, defectu ſcilicet Iuriſdictionis, quod valeat limitare, aut etiam auferre pro ſuo arbitratu abſoluendi Poteſtatem, nimirum vtendo, vt libet, Iure ſuo, dum aufert, aut immutat quod antea conceſſerat; retento quod diximus omnem Iuriſdictionem, propriam ſcilicet, & ſingularem à Pontifice Summo Supremo, & vniuerſali Paſtore, in alios inferiores Prælatos, & ab his in cæteros ſubditos Sacerdotes deſcendere; cum enim cuncti fideles Pontifici, ratione Supremi Dominij legitimè ſubſint, non eſt cur ipſos regere nequeat, ſi placet, immediatè, aut medijs inferioribus Prælatis, quoties, quando, & quomodo ipſe maluerit, ſalute dumtaxat ſubditorum proſpecta, & ſaluis Sacramentorum ſubſtantialibus, vt non ſemel Tridentinum, præ alijs, teſtatum reliquit.

Poſtremò ſaluatur, iuxta Conciliorum doctrinā, aliam iuriſdictionem, quam ordinariam, & delegatam, non dari, Vtrāque ſufficienter ab Eccleſia manantem, quoties exiſtenti in poſſeſſione audiendi confeſſiones conniuit, vel verbo, aut facto, ſciens non contradicit, ſeu rationabiliter præſumitur conſentire, aut non contradictura, ſed rati habitura cum reſciuerit; communis namque ſenſus, atque vſus inualuit, id ad tradendam iuriſdictionem in hoc foro pœnitentiali, quidquid ſit de foro fori extrinſeco, & contentioſo, ſufficere; quod vel ex Porrochorum praxi, communiter probata, apertè elicitur, qui per conſenſum præſentem, vel futurum rationabiliter præſumptum, facultatem abſoluendi vnuſquiſque ſubditos alterius, ſibi mutuò impertiri cenſentur.

Intelligitur vlteriùs, quid ſibi velit Eccleſiam minuere, aut

etiam in totum adimere Sacerdotibus Poteſtatem abſoluendi; non enim aufert Poteſtatem vi Ordinationis à Deo traditam, quæ indelebilis eſt, ſicut & Character, in quo conſiſtit, ſed ſolam Poteſtatem iuriſdictionis, quam ipſa Eccleſia explicitè, vel implicitè, modis ſuperiùs explicatis, antea tradiderat. Nec quidem eam tollit, quam nec tollere poteſt, iuriſdictionem ſub præfata Poteſtate vi Ordinationis collata neceſſariò contentam; nimirum ad Pœnitentes non expreſſos, nec deſignatos ſubditos, ſed in communi tantùm conſideratos relatam; hæc enim cum adhæreat cuicunque Poteſtati iudiciali, nequit non comitari Poteſtatem abſoluendi, eſſentialiter, vt vidimus, iudicialem, quippe quæ Poteſtas ſit Iudicis, & ad verum munus pronunciandi de peccatis iudiciale deſtinata; ſed dicas auferre ſolam Poteſtatem Iuriſdictionis, priori iuriſdictioni, ab Eccleſia, ad effectum conſtituendi pœnitentes ſubiectos ſignanter, & in indiuiduo, ſuperadditam, quæ ſola propria, præſſa, & abſoluta iuriſdictio ex dictis ſupereſt nuncupanda.

Vtique, ſi aliò mentem vertas, dicere licebit, Eccleſiam reſtringere ipſam etiam Poteſtatem Ordinis, accipiendo nimirum reſtrictionem, non entitatiuè, ſeu ex parte virtutis, in quam Eccleſia nullatenus poteſt; quippè entitatiuè realem ſupernaturalem, & indelebilem, aut quoquo modo immutabilem; ſed ex ſola parte materiæ, ſeu obiecti, circa quod illa verſatur; quod eſt reſtringere obiectiuè, hoc enim quod ea iuriſdictio communis, eſt ad pœnitentes in communi ſubiectos relata, & iuxta ſenſum verborum Quorum remiſeris,&c. *ad omnes indiſcriminatim extenſa; ſuperueniens poſtmodum iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſubijciens aliquos ſolos pœnitentes in particulari, coarctando vim, & efficacitatem præfatæ Poteſtatis Sacramentalis, ab illimitatio-*

ne erga quoscunque pænitentes, ad solos subditos expressos, & designatos, definitæ iurisdictioni sibi factæ ab Ecclesia ex equo respondentes, traducit.

Nec hinc decipiaris, deducendo superadditam iurisdictionem ab Ecclesia non requiri, cum ex dictis sola Ecclesiæ prohibitio, inhibens aliquibus se subijcere, quod est proprios, & designatos Confessores, proprijs, & designatis pænitentibus constituere, videbatur sufficere. Eò magis quod per hanc solam prohibitionem, concinnè satis saluetur hierarchia Ecclesiæ Monarchico regimini necessaria, ac mirum in modum ad optimum, pacificumq; rerum statum Ecclesiasticarum conducens. Quamuis .n. ea prohibitio connotet iurisdictionem, eò quod prohibere, pænitentem subijci alicui Sacerdoti, est nolle Sacerdotem in foro pænitentiali esse illius Iudicem, ac Superiorem, quod est iurisdictione carere circa illum; ille tamen modus loquendi non est de facili admittendus; etenim inualiditas absoluendi tota refunderetur in defectum ex parte materiæ, non Sacerdotis, retenta ex alio capite Sacerdotis iurisdictione Iure Diuino manante, cum sola adiuncta prohibitione ex parte Iuris Ecclesiastici, & Papalis, contra Sacros Canones, passim Pontificem caput totius Iurisdictionis constituentes, & contra Concilia totam inualiditatem huius Sacramenti, non prohibitioni Ecclesiasticæ, sed carentiæ Ecclesiasticæ Iurisdictitionis vnanimiter adscribentia, quæ duo adeò differunt inter se, vt cum prohibitio solam licentiam, accidentalem iudicij circumstantiam, ipsa tamen carentia iurisdictionis, non nisi per collatam iurisdictionem, iudicio ex dictis essentialem abrogetur.

5 *Verum quidquid sit, quod hæc sententia multa congruè saluet, & explicet; falso tamen iacto fundamine superædificat. Nam potestati absoluendi, iurisdictionem obiectiuè vniuersalem*

attribuendo, decipitur; ſiquidem poteſtas, vt operetur ex conditionibus indiuiduantibus pendet, ergò intra obiectum vagum, vniuerſale, nondum indiuiduum, non expreſſum, non ſignatum conſiſtere nequit; eò quod exercitium cuiuſque Poteſtatis, imbibat eſſentialem ordinem ad ſingulare obiectum, circa quod verſetur, ſingulare dicimus, nedum ratione perſonæ abſoluendæ, ſed etiam in ratione ſubiectionis, ita ut ſingularitas cadat ſupra ſubiectionem, vltra pænitentis indiuiduationem, cum ſine ſingulari ſubiectione, iudicium, ex Tridentino ſæpius repetito, validè nequeat exerceri. ad quam validitatem ea poteſtas etiam præcisè ſumpta, vt Poteſtas Ordinis, ne illuſoria ſit, aut nulla, vt ſupra deduximus, dirigitur neceſſariò.

Deindè Epiſcopus, vi Conſecrationis, Ordines conferendi accipit Poteſtatem, per verba Quæcunq; conſecraueris conſecrentur, &c. *quæ ſunt non minus indefinita, quam verba Ordinationis Presbyteralis.* Quorum remiſeris, &c. *Si autem non important ſubiectionem in particulari; quì nihilominus adhuc Ordines validè conferuntur, cum aliundè certum ſit, nullum agens ſuum ſortiri effectum circa paſſum, ſibi non ſingulariter ſubiectum? Si verò important ſubiectionem particularem ad effectum neceſſariam; cur eandem quoque non importarint ſimilia poſteriora? Qua admiſſa, ò quam verè illud diſcrimen inter Ordinationem, & abſolutionem communiter circumfertur; quod abſolutio, ideò ſine Iuriſdictione particulari non teneat, quia perficitur per modum iudicij, quod Supremus Iudex ius habet inualidandi, non minus quam Princeps contractum. Tum maximè quod Concilia non irritant abſolutionem, ex non appoſita ſubiectione, tanquam conditione requiſita, ſed ex natura ipſa Iudicij, eò quod, ſine debita Poteſtate auctoritatis, ſuperioritatis, & iu-*

& iurisdictionis, vt loquuntur, nequeat perfici; sicuti est etiam de natura cæterarum rerum, quod vt fiant, debitam in agente potestatem supponant. Ex quibus hæc sententia suspecta fit adhuc magis, quod nihil assignat à parte rei huic Iurisdictionis potestati respondens, in quod absurdum antecedens etiam sententia ruit; cum tamen sine alicuius saltem formalitatis in re assignatione, nulla ad effectum sit ponenda potestas.


Sit igitur iurisdictio Potestas, quomodo Ordinum collatio sine iurisdictione valet? sicut enim Potestate posita, impossibile est effectum non poni, quantum ex parte agentis ex necessitate naturæ, ita ablata Potestate, effectum auferri necesse est; aut itaque iurisdictio non erit Potestas, aut explicandum huic superfuißet sententiæ, vnde hæc naturæ rei maximè repugnans diuersitas oriatur.

Præsertim cum sublata Iurisdictione, adhuc Gratia & Character in collatione Ordinum imprimantur, eo quod in Ordinante tota Potestas, vt dicunt, sit collata, per ipsius consecrationem; non erit igitur iurisdictio potestas, nec absolutio nulla defectu potestatis, aut huic nullitati, aliud quid, ad dirimendam difficultatem vrgentissimam ex Concilijs, totam nullitatem in defectum potestatis refundentibus, assignandam.

At ex alio capite si est Potestas merum ens rationis. quì reali sociabitur potestati, ad efficiendam gratiam, peccatorum formaliter expultricem, ad quem effectum, tam Potestas Ordinis, quam iurisdictionis diriguntur? quod autem asseritur, copulari, medio reali concursu Dei supernaturali, specifico, vel generali, qui non nisi posita iurisdictione, modo superiùs explicato, ponatur; merum esto effugium; non enim esset ex parte Sacerdotis, sed Dei assignare defectum, nec reddere Sacramentum in-

ualidum, ſed tantùm inefficax, contra Conciliorum iam ſæpiſſimè inculcatam doctrinam.

Tandem profundo iactati diù, vorticibus hi ſunt Doctores abſorti, aut enim fatendum ipſis, vi Sacramentalis Ordinationis Poteſtatem conferri nulliter abſoluendi, quæ per allegata nulla eſſet poteſtas, aut ſaltem incompletam, quod Diuinæ Prouidentiæ imperfectionem impingens, ipſi adhuc vnanimiter diffitentur.



CAPVT XXVI.

TANDEM SACRAMENTVM POENITENTIAE REDDI NVLLVM, OB NON LEGITIMAM POENITENTIS SVBIECTIONEM, ORITVR QVOD VI ORDINATIONIS, FIAT POTESTAS AD SOLVM IVDICIVM INTERNVM, CVM ALTERA REQVISITA AD EXTERNVM, FIAT DEINDE AB ECCLESIA.

ELENCHVS.

1 *EPitoma nostræ sententiæ.*
2 *In Pœnitentiæ Sacramento. Iudicij moralis, ecclesiastici, et extrinseci vera ratio reperitur, & praexigitur.*
3 *In qua realis, Diuini, & inuisibilis Iudicij fundatur altera.*
4 *Ex duplici iudicio, duplex Potestas in Confessario praexigita.*
5 *Potestates inter se dissitæ.*
6 *Culpa, & reatus, ni intendantur, in Iudicio neutiquam tolluntur.*
7 *In Ecclesiastico foro vt tollatur peccatum.*
8 *Potestatis Ecclesiasticæ Iurisdictionis quis proprius effectus in Pœnitentiæ Sacramento.*

9 *Eccleſiaſtica Iuriſdictio, vera facultas, Poteſtas, et Auctoritas.*

10 *Quæ haud requiſita vt nuda circumſtantia, in hoc Sacramento.*

11 *Ad quid neceſſaria.*

12 *Ad cæterorum validitatem Sacramentorum neutiquam requiſita.*



E quidem vera Poteſtatem abſoluendi, per impreſſionem gratiæ, formaliter expultricis peccatorum, integram, perfectam, expeditam, omnibuſque numeris abſolutam deſcendere totam à Deo, tanquam ab agente principali, vi Presbyteralis Ordinationis, veræ cauſæ phyſicæ inſtrumentalis, tum ex dictis, tum ex dicendis magis, ac magis ſemper eluceſcet. Quia tamen apertiſſima ſunt verba Conciliorum, & Sacrorum Canonum, ſæpius à nobis in ſuperioribus relata; requirentia adhuc in Presbytero nouam, & diuerſam Poteſtatem, quam iuriſdictionem, auctoritatem, & ſuperioritatem appellant, defectu cuius, vt dicitur in cap. Omnis vtriuſque ſexus de Pœniten. & Remiſſ. *Sacerdos non poſſit abſoluere, & ligare, & in* Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de Reform. *Sacerdos non poteſt Confeſsiones audire, neq; ad id idoneus reputatur, quod deinde* idem Tridentinum, *loco ſæpius allegato, ratiocinatum eſt illis pluries recitatis verbis, nullius momenti eſſe illam abſolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionẽ, quia natura, & ratio iudicij expoſcit, vt ſententia in ſubditos dũtaxat feratur.*

Digitized by Google

Ideò reprobatis hac de re præcedentibus dicendi, & opinandi modis, seu impertinentibus, aut ineptis, & insufficientibus. Vt duo quæ indè consequuntur, aut scilicet adesse, & abesse potestatem, aut priorem, vi Presbyteralis Ordinationis traditam, non esse completam, ex quo vlteriori potestate iurisdictionis indigeat; quæ primo aspectu non contemnendam difficultatem videntur ingerere, elucidentur; Vnus tandem à nobis excogitatus est modus, qui sicut à cunctis, hucusq; in medium allatis difficultatibus, liberabit, vt sequenti capite demonstrabimus, ita faxit Deus, vt celeberrimam, & fermè inextricabilem hanc controuersiam pro dignitate planam faciat.

1 Secamus igitur iudicium huius pænitentialis fori in internum inuisibile, & externum visibile, vt indè eliciamus, ideò Sacerdotem sine iurisdictione nulliter absoluere, quod consequutus quidem, vi Ordinationis, Potestatem perficiendi iudicium internum, quam appellant Potestatem Ordinis, careat nihilominus adhuc requisita potestate ad perficiendum iudicium externum, ab Ecclesia dumtaxat expectanda, quam iurisdictionis potestatem dicunt. Quæ duæ potestates iure ob id appellari quibunt, illa interna inuisibilis, Diuina Physica, & realis; hæc externa, visibilis, humana, seu Ecclesiastica, moralis, & rationis; quemadmodum & iudicia, ad quæ diriguntur, illud internum, inuisibile, Diuinum, Physicum, & reale, hoc externum, visibile, humanum, seu Ecclesiasticum, morale, & rationis. Ambæ tamen in suo genere integræ, perfectæ, & expeditæ potestates, quia de se alterutra valida, altera circumscripta, ad effectum sibi præcisè respondentem efficiendum; quæ omnia ex dicendis compertissimè, quantum suademus, Deo dante, clarebunt.

Vt ideò, sicuti duplex in Sacerdote pro hoc pænitentiæ Sacramento

mento perficiendo assignatur potestas, duplicem pariter effectum, ipsis correspondentem, assignari necesse sit. Quos, sine vlla hæsitatione, asseueramus non alios esse, quam ipsa iudicia, internum scilicet, & externum, iniuriarum eo ipso coram Deo, & etiam aliqualiter coram Ecclesia abrogatoria, etiam si iudicium externum, verum tamen, & legitimum, sufficeret pro fundamento alterius iudicij interni: quod satis videtur ad perficiendum Sacramentum: quamuis iniuriam, per peccatum Ecclesiæ irrogatam, nullo modo abrogaret, sicuti de facto eam vsquequaque non abrogat, quatenus non obstante iudicio Pænitentiali, & Sacramentali, possit adhuc delinquens in ius vocari, ad rationem de delicto iam Sacramentaliter expurgato, in foro contentioso reddendam, vt statim prosequemur.

Quæ duo iudicia hoc ordine subordinantur vicissim, vt internum totum externo nitatur, sic decernente Christo Institutore, ad instar contractus interni matrimonialis, externo eiusdem matrimonij contractui innixi, & ablutionis internæ externa ablutione suffulta in Baptismate, & cibus interni suffulti externo in Eucharistia, & sic de reliquis, sic, vt duæ itidem potestates, ipsis respondentes, mutuò pariformiter eo auxilio habeant sibi vicissim, ni in essendo, saltem in operando opitulari, vt neutra ad actum, sine altera, exilire queat, quasi opem reciprocam sibi implorent alterutrim, vt ideò, nemo, quantacunque Iurisdictionis extrinseca potestate ab Ecclesia, donatus, valeat peccata remittere, nisi alteram internam Ordinis Potestatem prius à Deo acceperit, quippè nondum aptus, sine Potestate reali, & physica, iudicium, internum, coram Deo, per gratiæ infusionem, perficere, quo anima in interiori, & reali Deiforo physicè absoluatur, & à peccatis liberetur. Et contra, nemo, quantacunque interna, & reali

Ordinis Potestate à Deo condecoratus, valeat externum iudicium coram Ecclesia perficere, quo pænitens, in externo morali Ecclesiæ foro, ab eisdem peccatis moraliter, redimatur, nisi postmodum ab Ecclesia alteram iurisdictionis moralem, & extrinsecam, receperit Potestatem, tanquam ineptus ad Ius in Ecclesiæ morali, atque extrinseco foro, legitimè dicendum.

Ita tamen, vt vna, & eadem sit functio in indiuiduo, duas hasce inuoluens rationes iudiciorum, physici scilicet, & moralis, vt vnus pariter indiuiduus sit minister illorum, binas quoque habens Potestates, Ordinis nempè, & Iurisdictionis, quibus ex æquo, ambæ in suo quoque genere respondeant iudiciorum rationes, quæ de consequio sint in suo genere perfectæ pariter, ac necessariæ ad integrum Sacramentum perficiendum; diuisæ tamen ab inuicem, & alioqui ineptæ, vt copulentur ad vnum, eundemq; effectum, cum alterutrius effectus sit peculiaris, distinctus, generisque tantumdem diuersi, quantum physicum distat à morali, ad quos respectiuè producendos alterutra per se concurrit, & est sufficiens, quod ex verbis, Quæcunque solueris super terram, erunt soluta, & in cælo, *infra expendendis, & ex locis Tridentini, & alijs pluribus statim adducendis, satis innotescet.*

Hinc Sacerdos, vi Presbyteralis Ordinationis recipiens Potestatem Ordinis physicam, adeò in suo genere physico integram, perfectam, & expeditam, vt nulla alia requiratur, aut concurrat ad perficiendum iudicium physicum, & Diuinum, quo eo ipso physicè deleantur, & remittantur peccata, in reali, & interno Dei foro; simul per eandem potestatem, à Deo, Iudex physicus, internus, ac, ut ita dicam, Diuinus constituitur, nempè per impressionem Characteris, physicæ, ac diuinæ qualitatis, in qua posita est: vt cap. de Charactere adnotauimus: ipsa Presbyteralis Ordinationis

Poteſtas, tradita per uerba. Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, &c. *ad effectum abſoluendi ab iniuria Deo irrogata, & ſubindè à culpa, eo ipſo realiter contracta per peccatum. Per quam eandem poteſtatem ſimul etiam, ac ſemel, peccator in hoc eodem phyſico, & interno Dei foro, Sacerdoti ſubijcitur; cum iudicium nequeat fieri, niſi in ſubiectos, ſic exigente ipſius quidditate, ut non ſemel ex Tridentino oſtenſum eſt. Vt ideò quicunq; Sacerdos, antequam fuerit Confeſſarius, ab Eccleſia, media iuriſdictionis poteſtate, deputatus; quinimmò futurum, ut ab Eccleſia nunquam fuerit deputandus, uerus nihilominus iudex omnium delictorum in foro Dei, per ſolam Poteſtatem Ordinis, intelligatur conſtitutus; ſicut & omnis peccator, cuicunq; Sacerdoti verè ſubiectus, quippè peccatorum obnoxius, quæ per Ordinis realem Poteſtatem, realiter ueniunt abroganda; neutiquam per iuriſdictionis poteſtatem, quæ moralis, & rationis cum ſit, nec gratiam, qualitatem realem, attingere, nec iniuriam Deo irrogatam, realiter remittere eſt potis.*

Qui Sacerdos, ex alio dendè capite per deputationem, ab Eccleſia recipit iuriſdictionis poteſtatem, ipſam quoque in ſuo genere morali, adeò integram, perfectam, & expeditam, ut nulla alia requiratur, vel concurrat ad perficiendum iudicium in foro Eccleſiæ morale, & extrinſecum: iudicium, inquam, non apparens, & ſolum ad inſtar, ſed verum, legitimum, ac idoneum, ad tollendam iniuriam, per peccatum Eccleſiæ irrogatam (etiam ſi id non intenderetur à Sacerdote, nec huius fuiſſet habita ratio in inſtitutione Sacramenti, tanquam ordinati ad ſolam tollendam iniuriam Deo irrogatam) uerum tamen, & ad id aptum eſſe oportet, quia in uero iudicio extrinſeco, non ficto, nec apparenti, inſtitutum, & fundatum eſt à Chriſto alterum

suprapositum iudicium internum, per quod Sacramentum perficitur; sicuti, & matrimonium in contractu extrinseco vero, & Baptisma in reali, & vera ablutione, & Eucharistia in vero, & vsuali cibo, & potu, sunt instituta; & sic de reliquis, quod factum est in re nostra, non solum propter suauem, & connaturalem institutionem; sed etiam propter vtilitates complures, quæ inde, tàm Sacerdotibus, quàm pænitentibus scatent, vt mox subiungemus.

Recipiens igitur Sacerdos ab Ecclesia Potestatem Iurisdictionis, ad hoc iudicium extrinsecum, & humanum, verum, validum, & auctoritatiuum perficiendam, per eandem perficitur verus Iudex moralis Ecclesiasticus extrinsecus, & terrenus, illorum pænitentium, & delictorum super quibus, ab eadem Ecclesia, per verbalem deputationem, recipit facultatem; ac simul pænitens, eidem Sacerdoti, ac de eis delictis respectiuè subijcitur, vt qui per iudicium physicum iudicatus, verè solutus est dicendus in cælis, per hoc alterum morale iudicium, non minus verè solutus dicatur in terris; qui effectus solutionis terrestris, & Ecclesiasticæ, vtique non nisi à iudicio vero, & valido, vt de se constat, prodire potest, cumque non sit realis, & physicus, eò quod consistat in sola communi hominum æxistimatione, nec per ipsum pænitens ali quid in se recipiat, seu realiter immutetur; non est quod potestatem realem Ordinis requirat, prærequisitam ad productionem solius gratiæ, qualitatis realis, vt diximus; sed satis superquè sufficit moralis potestas iurisdictionis, tradita à Pontifice, ad quem, tanquam totius Ecclesiæ Supremum Iudicem, & moderatorem, onus, & honor incumbit, legitimum, & illegitimum iudicium constituere, declarare, & perficere, vel immediatè per se ipsum, vel mediatè per ipsius loca tenentes inferiores Prælatos, & Sacerdotes.

Docemus ergò, hoc Pænitentiæ Sacramentum institutum à Christo fuiße in illis functionibus, tàm realibus, quàm verbalibus, ac alijs quibuscunque, quæ pro humano, morali, atque externo, vero, & auctoritatiuo iudicio, in foro, seu facie Ecclesiæ perficiendo, requiruntur: quò illo innitatur, ac per illud proportionatè repræsentetur iudicium alterum, Diuinum, & reale, quo pænitens, in foro Dei, per Gratiam in animam impressam, à peccatis soluatur: Ea lege, vt morale iudicium generis, seu materiæ ipsius Sacramenti, totius moralis, & methaphysici, vicem subeat, substans practicæ, ac infallibili remissionis peccatorum significationi Sacramentali, veræ differentiæ, ac formæ eiusdem totius moralis, alteri significationi earundem iudicialium functionum, nondum, præcisa Christi institutione, practicæ, nec infallibili, ex ipsa deindè Christi institutione, adhærenti, ex qua quidem Sacramentali significatione, ac prædicto morali iudicio, ipsũ consurgens Sacramentum, etiamsi constet functionibus realibus in ratione materiæ; non est tamen plusquam ens rationis, in ratione totius, cum significatio Sacramentalis ipsum complens, non sit plusquam ratio moralis, & rationis, quamuis appræhensa communiter ab hominibus, ac si eßet ens reale, quippè sit rationis, non ratiocinantis; idest merè ab intellectu conficta, & commentitiæ, sed ratiocinatæ, idest habens reale fundamentum à parte rei, quatenus resultat ex reali institutione Christi, quæ institutio fundans respectum rationis, nullo tamen modo valet importare rationem realem in Sacramento, quamuis ipsa sit actio realis, ex quo ipsi Sacramento extrinseca sit, tanquam iam pridem transacta, antequam Sacramentum perficiatur; Et hæc totius nostræ sententiæ summa esto, nunc enucleatiùs eam pergamus adaperire.

2 *Requiri itaque, & reperiri in primis in hoc pænitentiæ Sa-*

cramento rationem veri iudicij moralis, extrinseci, & sensibilis in facie Ecclesiæ, expreßè docuit Tridentina Synodus, sess. 14 de Sacramen. Pænitentię, c. 2. *ibi:* Christus Dominus hos, *scilicet fideles*, si se postea crimine aliquo contaminauerint, ante hoc tribunal, tanquam reos, sisti voluit, vt per Sacerdotum sententiam, quoties, ab admissis peccatis, ad ipsum pœnitentes confugiunt, possent liberari. Et cap. sequenti, *ibi:* Absolutio Sacerdotis non est nudum ministerium declarandi remissa peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à Iudice sententia pronunciatur: ita vt si Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi desit, pœnitùs pœnitens coram Deo non sit absolutus, & subsequenti cap. *ibi:* Quoniam ratio, & natura iudicij exposcit vt sententia in subditos dumtaxat feratur, &c. *vbi non est dubitandum, quin sermo sit de iudicio externo, & Ecclesiastico, cum mentio fiat iurisdictionis ordinariæ, aut delegatæ, quæ vtraque est ab Ecclesia; atque de iudicio auctoritatiuo, cum ad ipsum perficiendum Concilium requirat iurisdictionem, ac superioritatem, ac adeò vero, vt insuper requirat, tum animum Iudicis Sacerdotis seriò iudicandi, & absoluendi; tum ipsos pœnitentes, ante ipsum Sacerdotem sistendos, non minus, quam rei sisti consueuerint ante tribunal Iudicis in foro contentioso; ita vt functio humana, atque extrinseca absoluendi non sit, vt declarat Concilium, nudum, seu apparens ministerium declarandi, pronunciandi, ac sententiam proferendi, sed veræ, legitimæ, atque iuridicæ sententiæ, ab ipso Sacerdote iuridicè pronunciatæ, non declarantis peccata remissa, sed vim habentis peccata eo ipso remittendi, quæ sanè vis, non nisi in vero, ac legitimo iudicio posita esse queit.*

Digitized by Google

3 *In hoc item morali, externo iudicio, ſenſibili, & Eccleſiaſtico, quo pænitens coram Eccleſia verè iudicatur, fundari alterum reale Diuinum, & inuiſibile iudicium iudicandi, & abſoluendi peccatorem coram Deo, inuiſibili, per gratiæ infuſionem, qua inuiſibiliter peccata deleantur, apertiſſimè deſumitur ex prælegatis* Tridentini *Verbis ibi:* Pœnitens verè, & coram Deo non ſit abſolutus, *& ex alijs citati capituli quinti, ibi:* Christus Dominus è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Iudices, ad quos omnia mortalia deferantur, in quæ Christi fideles deciderint, quò per Poteſtatem clauium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam, pronuncient. *Cum enim Eccleſiæ ſit, pro perficiendo ſuo iudicio Eccleſiaſtico Iudices deputare, ac conſtituere, profectò qui ab ipſa non ſunt deputati, ſed iam relicti, ac deputati Iudices ſub Sacerdotio à Chriſto, nòn amplius Iudices ſunt Eccleſiaſtici Iudicij, ſed alterius ab ipſo diuerſi, nempè eius Ordinis Diuini, & ſupernaturalis, in quo ipſe Chriſtus illorum auctor reperitur, ſicut, & in eodem Ordine Diuino reperitur Poteſtas, ipſis ab eodem Chriſto, ad id, ui ſupernaturalis, ac Diuinæ Ordinationis Presbyteralis, attributa. Ex quo enim Sacerdotes fiunt: quod non niſi per Presbyteralem Ordinationem contingit: eò ipſo, vt inquit Tridentinum, ſuccedunt Vicarij Chriſti, præſides, ac Iudices peccatorum, adeoq́ veri iudicij Iudices, vt ſint præſides, ac Superiores, quorum Poteſtas iuriſdictionis cum ſit, non niſi ad verum, legitimum, & auctoritatiuum iudicium requiſita eſt.*

Qui Iudices, ex quo Chriſti Vicarij, à Tridentino relicti dicuntur, euidenter dignoſcuntur Iudices conſtituti à Chriſto, non verò à Papa, ſeu ab Eccleſia; alioquì Vicarij Papæ, aut Eccleſiæ,

non Christi fuißent dicendi: quemadmodum Papa, ex quo Potestatem iurisdictionalem regendi, & moderandi Ecclesiam, immediatè Christo acceptam refert, verè Christi Vicarius prætitulatur; cæteri autem Prælati inferiores, à Papa, non à Christo suas iurisdictiones deriuantes, non Christi, sed Papæ Iudices, & Vicarij verè nuncupantur. Ex eo igitur quod Christus Sacerdotes instituendo in Ecclesia, eos dicitur reliquiße sui Vicarios, præsides, ac Iudices peccatorum, planè elucescit Iudices esse alterius iudicij ab Ecclesiastico, nempè Diuini, sicut Diuinus est Christus ipsos constituens, & Diuinum est Sacerdotium sub quo relicti fuere; & eo magis, quod peccata, de quibus iudicare habent, ipsius Christi Dei offensæ cum sint, nequeunt nisi ab ipso Deo, aut à sibi subrogatis Iudicibus, & Vicarijs condonari.

Mirè his congruit doctrina, passim à Sanctis Patribus, & Concilijs, iuxta phrasim etiam scripturarum, promulgata. per Ordinationem scilicet Sacerdotalem Sacerdotes fieri Iudices, recipere claues, posse ius dicere, absoluere, & remittere peccata, sententias pronunciare, cum Iudiciaria, ac auctoritatiua potestate præsidere; & similia: quæ omnia non nisi de Diuino, atque inuisibili iudicio queunt intelligi, & explicari, vtpotè Sacerdotes, nondum habentes potestatem iurisdictionis ad iudicium externum, & Ecclesiasticum perficiendum, quam facere, post completam Ordinationem Presbyteralem, spectat deindè ad Ecclesiam, seu ad Summum Pontificem, plenitudinem Potestatis, ad regendam Ecclesiam, ac subindè ad quodcunque iudicium, in suo Ecclesiastico foro, perficiendum, habentem.

Quod vtrunque iudicium, oh quam appositè exprimitur verbis illis Christi Domini, ad Sacerdotes. quæcunq; ligaueritis, aut solueritis in terris, erunt ligata, aut soluta in Cælis; cum dicitur

terris, Ecce tibi visibile, terrenum, atque Ecclesiasticum iudicium; cum dicitur Cælis, ecce tibi Diuinum, cæleste, atque inuisibile alterum. Aduerte amabò hunc dicendi modum; erunt inquit soluta in cælis, non dicit solueritis in Cælis: nempè Deus est, qui per infusionem gratiæ realiter à peccatis soluit, non Ecclesia, nisi virtute supernaturali accepta à Deo, agente principali, in hoc reali, & inuisibili iudicio; in quo proinde Ecclesia se habet solummodò, vt causa instrumentalis, cui denominatio efficiendi gratiam, & eo ipso soluendi à peccatis, nequit absolutè & simpliciter attribui, cum denominationes, ut tritum est in philosophia, principali agenti dumtaxat meritò adscribantur.

Christum verò Dominum hoc inuisibile, & reale iudicium delendi peccata, in altero visibili, & morali instituisse, atque fundaße, fuit apprimè, tùm pœnitentis bono, tum rectè huiusmodi Sacramenti administrationi consentaneum, atque proficuum; quo scilicet, per Iudicij inuisibilis suauem, proportionatam, atque connaturalem institutionem, humano, visibili, morali, ac familiari iudicio suffultam, homo faciliùs, & verisimiliùs assurgeret ad illud idem reale, inuisibile, atque Diuinum iudicium credendum, ac contemplandum; nec non idem inuisibile iudicium rectius, atque rerum, temporum, ac personarum exigentijs eò accomodatius, tractaretur, exerceretur, ac perficeretur, quò, medio iudicio visibili moraliter, atq; humanæ legitimo, & auctoritatiuo, potestati item humanæ iam subiectum, per homines itidem fas esset illius exequutionem, ac suaptè natura, tum eßentialia, tum accidentalia, præscribi, designari, limitari, immutari, ac sub nullitate, vel simplici tantùm deordinatione, præcipi; prout in dies expediens fuerit iudicatum. Quod perficere in tam graui negotio, vbi de rerum omnium summa, animarum salute, agitur, Ecclesiæ munus iure

esse debebat, ne dum iurisdictionem, iudicij auctoritatiui essentialem impartiendo, sed quascunque etiam circumstantias, aut solemnitates ea prudentia, & opportunitate, successu temporum præscribendo, ac determinando, quò omnia in huius iudicij celebratione interuenire debentia, congruè, ac prudenter bono, tam Confeßarij, quam pœnitentis benè cederent, solemnitatum aliàs sub pœna deordinationis, aliàs nullitatis, prout rerum status opportunè expostulauerit, præstituendo.

Iure quidem, ac sapienter factum, non modò ex parte Confessarij, ac pœnitentis; verùm etiam ex parte peccatorum, de quibus in hoc iudicio sententia remissiua, & retentiua est pronuncianda: cum peccatum duplicis iniuriæ inuoluat rationem, scilicet contra Deum, & contra Ecclesiam; contra Ecclesiam, cum hæc sit ad instar benæ institutæ Reipublicæ, de cuius ratione, cum sit, vt benè, beatèque transigatur, in quam finem hominum associationes diriguntur, profectò, dum malè viuitur, non leuis eidem Ecclesiæ iniuria irrogatur, maior, vel minor, pro vt contra illius finem, vniuersis vtilem, ac neceßarium, committitur. Huic igitur iniuriæ, communi Ecclesiasticæ; quamuis non politicæ, ex quo forum Ecclesiæ, vt contra distinctæ à communitate temporali, ac politica, sit pœnitentiale, politiæ verò contentiosum, sapienter subintrat iudicium Ecclesiasticum, proportionatè recipiens validitatem, & auctoritatem ab ipsa Ecclesia læsa, ac proindè aptum, quò ea iniuria ipsius foro deleatur, ac remittatur. Contra Deum similiter, vt per se patèt, & ita per iudicium quoque Diuinum, & inuisibile, in quo inuisibilis gratiæ, peccati formaliter expultricis, fiat infusio, idem peccatum congruè remitteretur, atque adeò peccatum, quò ad ambas iniurias, per remedium, duplici item iudicij ratione illis adequatè respon-

dens, pænitens abrogaretur, quatenus totidem remiſſiones fierent, quot iniuriæ re ipſa occurrunt remittendæ,

Nec quidem quod de duplici iudicio docemus, Diuino ſcilicet, & humano, duplici iniuriæ abſoluendæ correſpondente, in hac materia Sacramentorum, peculiare, ac nouum eſt cenſendum. Simile enim in Matrimonij Sacramento omninò conſpicere eſt; hoc quippè fundatur, ceu in genere, vel materia ipſius Sacramenti, in contractu humano, atque eò ipſo legibus humanis validando, vel inualidando; tam quò ad ſubſtantialia, quam quò ad accidentalia; ab Eccleſia ipſa, ex cauſa ſibi bene viſa regulante, ac dirigente, quò, tùm prudenter, atque vtiliter celebretur, tùm etiam proportionaliter per ipſum repræſentetur, & perficiatur contractus alter Diuinus efficax, atque realis coram Deo, per quem totum Sacramentum compleatur; ita vt contractus humanus, cum ſua connaturali ſignificatione, nondum ſpirituali, practica, ac infallibili, ſtet loco generis, ſeu materiæ; ſignificatio autem ſpiritualis gratiæ practica, & infallibilis, locum ſubeat differentiæ, vel formæ, quod aiunt, methaphyſicæ, ad ipſum Matrimonij Sacramentum, in ratione totius moralis, ac methaphyſici, conſtituendum; poſſitq; proindè, ex quo oporteat eſſe in foro Eccleſiæ contractus verus, ac validus, ab eadem Eccleſia inualidari, prout ob non ſeruatam inter eſſentiæ Parrochi circumſtantiam, fuit inualidatus. Verus, inquam, oportet eſſe contractus, ſic decernente Chriſto inſtitutore, quod intrinſecus alter contractus, non niſi in vero contractu extrinſeco altero nitatur. Simili ergò prorſus ratione, verum pariter, ac reale eſſe oportet iudicium externum in hoc pænitentiæ Sacramento, quippè deſtinatū ad fulciendum, ac inſinuandum internum alterum iudicium, per

quod peccatum animæ inuisibiliter adhærens, re ipsa deleatur.

4 *Præmisso itaque, duplex intercedere in hoc pænitentiæ Sacramento iudicium; hinc Iudex duplicem itidem, vt dicebamus, recipiat, oportet Potestatem, Diuinam scilicet, Ordinis nuncupatam, & Ecclesiasticam, dictam iurisdictionis; per illam homo designatur à Deo, quatenus media causalitate Sacramentali Sacerdos constituitur; per istam non quilibet Sacerdos, sed qui censetur idoneus, ab Ecclesia eligitur, ac deputatur. Vterque siquidem, Deus, & Ecclesia, suas vices committit, ad perficiendum iudicium idoneum, quo remittatur iniuria vtrique facta, de cuius natura est, vt ab illo, cui irrogata est, vel immediatè, vel medio substituto, remittatur.*

Atque adeò Deus Supremus vniuersorum Dominus, & Pontifex Max. supremum Ecclesiæ caput, dum vices Confessario tribuunt, ipsum constituunt eo ipso Superiorem, & Iudicem, ad complendum iudiciale Sacramentum, quo remittantur peccata. Ex quo fit consequenter, Confessarium duplicem Potestatem, seu Superioritatem habere in pænitentem. Ipsumque pænitentem duplicem subiectionem Confessario, iuxta duplex iudicium, idoneum ad abrogandam duplicem iniuriam, visibilem, ac inuisibilem, Ecclesiæ, Deoque, irrogatam. Quæ vtraque potestas, siuè ab Ecclesia, siuè à Deo, auctoritatiua est, quia alteruter auctor est facultatis, quam tribuit. Iuris enim Dei est, veluti Supremus Iudex Diuinus, diuinam facere facultatem, Iuris Pontificis est, veluti Supremus Iudex Ecclesiasticus, Ecclesiasticam facere potestatem.

5 *Quæ quidem Potestates, maximè, vt dicebamus, inter se differunt; nam illa ad internum requisita iudicium, vt diximus, est Ordinis, vt potè collata à Deo per causalitatem Ordinationis Sacramentalis; ista requisita ad externum iudicium, est iurisdi-*

ctionis, vtpotè facta ab Eccleſia. Vt ideò prior dicatur Diuina; poſterior Pontificia, ſeu Eccleſiaſtica.

Diuina eſt realis, ac phyſica, ordinata ad producendum realem effectum, ac phyſicum, nempè gratiam, qua peccatum tollitur, vt iniuria facta Deo. Eccleſiaſtica eſt ſolùm moralis, conſiſtens in hominum æſtimatione, ordinata item ad ſolum effectum moralem conſtituendi actus, qui fiunt, in ratione Iudicij moralis, & Eccleſiaſtici, & eo ipſo apti remittere iniuriam, vt irrogatam Eccleſiæ, vt ſupra.

Et quidem remiſſio iniuriæ contra Deum eſt realis effectus, ac phyſicus, cum conſiſtat hæc iniuria in reali priuatione gratiæ habitualis. proindè nequit remitti, niſi per productionem phyſicam eiuſdem gratiæ.

Remiſſio verò iniuriæ contra Eccleſiam, eſt moralis dumtaxat effectus, in tantum enim remitti dicitur, in quantum extrinſecè condonatur, ſeu non amplius imputatur; quatenus abſolutus per eum ad quem ſpectat, quamuis nullam indè ſubeat phyſicam mutationem, quod omnes tamen habeatur, ac ſi non peccaſſet: Quæ omnia in ſola hominum æſtimatione conſiſtunt: Nec modò maculam iniuriæ, ſed etiam reatum, ſeu obligationē ad pænam, cui talis iniuria erat obnoxia, tolli, & condonari, per iudicialem remiſſionem extrinſecam, intelligas; ſi modò à Iudice ipſe quoque reatus intendatur auferri; etenim poſſibile eſt apud homines auferri iniuriam, quò ad maculam, non tamen quò ad reatum. Quod accidit cum remittere iniuriato, Iudice adhuc pænam exigente, ab iniuriante. poſſe verò reatum ipſum exolui, per ſolam remiſſionem extrinſecam, atque moralem, abſque aliquo pænitenti realiter impreſſo. patet, quia & ipſe reatus, perindè, ac macula, nihil reale eſt, ſolùmque conſiſtit in libera Superioris volun-

tate ipsius exolutio; quatenus Iudex, per extrinsecam solam, & verbalem suæ voluntatis declarationem, pœnam relaxat.

6 *Nec inconsultò diximus tolli culpam, & reatum moralem, si, & quatenus à Iudice intendantur: siquidem neutrum absolutè in iudicio pœnitentiali, quantum spectat ad potestatem politicam, diuersam ab Ecclesiastica, vt Ecclesiastica est, aufertur. Vndè si illud ipsum confessum peccatum deducatur postmodum ad forum contentiosum, modò sit eius generis, quod politicam offendat communitatem, poterit adhuc pœnitens reus, & culpabilis declarari, & pœna debita mulctari; namq; de essentia iudicij, non est quod liberet absolutè, & quomodocunq;, aut à culpa, aut à pœna, sed satis est idoneum esse, vt pro intentione Iudicis remittat, & culpam, & pœnam, pro viribus suis; à culpa autem, & pœna fori contentiosi, neutiquam Ecclesia liberare intendit, neq; eousq; pertingunt vires sui iudicij, quod solùm pœnitentiale, non exemplare est; sed terminatur ad solam iniuriam Deo, & Ecclesiæ irrogatam, hoc est ad absolutionem culpæ, & pœnæ realis, à Deo, & ab Ecclesia, vt contra distinguitur à politia, approbatam, pro iniunctionem pœnæ salutaris, in foro pœnitentiali, ab eadem Ecclesia impositæ.*

Quantumcunq; enim iudicium perfectum, iuridicum, & auctoritatiuum, constans omnibus essentialibus perfecti, iuridici, & auctoritatiui Iudicij, nequit, nec etiam intra suas vires, suum sortiri effectum, nisi Iudex illum intendat, vt patet de Iudice amente, seu coacto: certum est autem Ecclesiam nullatenus intendere, in delictis pœnitentialiter absoluendis, potestati politicæ inferre præiudicium, quo minus in eisdem, si quæ fuerint contra bonum politicum perpetrata; ac legitimè ad forum contentiosum delata, possit politicè animaduertere; cum ipsa pœnitentialiter

Digitized by Google

tantùm processerit. Benè verum est, quod si delicta non fuerint contra bonum politicum, iam adeò per absolutionem pœnitentialem veniunt absoluta, remissa, ac condonata, ut amplius nequeant in ullo alio foro diiudicari.

Attento præsertim, Christum Dominum, hoc externum iudiciũ requisitum in hoc Sacramento, voluisse ut præseferret iudicium alterum intrinsecum, quo pænitens ita soluatur in terris, ut sit solutus in cœlis; ex quo proindè fit, minimè curandũ fore de extrinseco effectu culpæ, ac pænæ politici, & contentiosi fori, absolutorio; sed ex quò institutum fuerit ut pars materialis Sacramenti, ordinati ad auferendam in Dei, & Ecclesiæ approbatione, pænam, tum æternam, tum etiam aliqualem temporalem, in altera vita luendam, simul cum culpa reali, sita in reali carentia gratiæ habitualis, satis de consequio est, quod deseruiat ad effectum talis pænæ, & culpæ auferendæ, cum pars qualibet, ad totius ordinari effectum, sufficiat, & requiratur.

Quod quidem valdè consentaneum est formæ huius pænitentialis iudicij; etenim cum contentiosum non sit, sed secretum. quid ni sufficiet remittere culpam, & pænam æternam, seu temporalem, secretæ alteri vitæ alioquì reseruatam, nulla facta abrogatione in hac præsenti, politica, atque publica communitate?

7 *Cum hoc tamen, quod per utrumque iudicium, Diuinum, atque Ecclesiasticum, illud idem peccatum remittatur, non tam in foro Dei, quam etiam in foro ipsius Ecclesiæ, secreto tamen, non publico, quatenus per ipsum satisfit Ecclesiæ, solutionem illius Sacramentalem certis temporibus, ac legibus præcipienti; ut ideò sic absolutus, per Ecclesiam nequeat amplius cogi ad subeundum aliud iudicium Ecclesiasticum, de eodem peccato, ad quod iam obligabatur semel ab Ecclesia, supposito quod semel*

legitimè, ac iuridicè in facie Ecclesiæ, hoc est ab ipsius habente iurisdictionem, ei fuerit remissum; cum Ecclesia ex tunc habeat peccatum pro legitimè expurgato, & condonato; qua stante expurgatione; per quam fuit impletum præceptum Diuinum, simul, & Ecclesiasticum, nullum aliud ius amplius superest Ecclesiæ in illud peccatum, eò ipso quod Ecclesia, simul cum ipso Deo legitimè, & iuridicè de illo semel iudicauerint; nec bis in id ipsum iudicetur.

Non sic si peccator per veram contritionem peccatum expiasset; quamuis enim innocens effectus coram Deo, non indè tamen innocens, & expiatus diceretur etiam coram Ecclesia, sed hæc posset expetere, sicuti re ipsa expetit nouam alteram expiationem, medio scilicet iudicio hoc pænitentiali Ecclesiastico, quo deindè suscepto, pænitentem approbat, vt verè expiatum, adeò vt ad aliam expiationem nequeat de cætero cogere, nec pænis puniri spiritualibus, ac corporalibus, quibus re vera peccatum puniri posset, ni ad præscriptum Ecclesiæ iudicatum, & absolutum fuisset: argumento manifesto, non minus ab Ecclesia, quam à Deo, peccatum haberi in Sacramento Pænitentiæ pro absoluto, & condonato, atque in vtroque foro remisso, etiam quò ad reatum pænæ in facie Ecclesiæ, illius nimirum semel confitendi, & de eo alioquì pænæ ab Ecclesia sumendæ, ni semel fuisset ritè, & legitimè iudicatum.

8 *Ommissa nihilominus tanquam non necessaria, & redundante ad fundandam iurisdictionem, hac remissione, seu abrogatione culpæ, & pænæ in foro, & approbatione Ecclesiæ, satis correspondens effectus Potestati Ecclesiasticæ Iurisdictionis est, reddere ipsum iudicium pænitentiale verum, & iuridicum iudicium in facie Ecclesiæ, quemadmodum expediebat à Deo sic institui,*

tum propter maximas, & necessarias vtilitates, indè futuras, eò ipso quod Ecclesiæ auctoritati subijceretur, tum etiam propter alias rationes, & congruentias superiùs adductas; prout etiam exemplificatum est in Sacramento præsertim Matrimonij, in quo oportet contractum esse humanum, verum, ac validum, etiam in facie Ecclesiæ, vt sit repræsentatiuus alterius contractus supernaturalis, in quo perficitur Sacramentum Matrimonij; quod verum iudicium in facie Ecclesiæ, equidem subsisteret, quamuis de pæna, vel culpa in facie Ecclesiæ nihil per illud remitteretur, solo posito effectu Sacramentali liberationis à peccato coram Deo, ad quem illud institutum est. Ita vt necessarius effectus Potestatis Ecclesiasticæ iurisdictionis, sit ratio, & veritas iudicij in facie Ecclesiæ, effectus quidem moralis, vt de se patet, morali itidem Potestati, qualis est hæc iurisdictionis, optimè correspondens.

9 Quæ Ecclesiasticæ Iurisdictionis Potestas, quamquam moralis, vera tamen potestas, facultas, & auctoritas est; vt ideò meritò dixerint Florentinum, Tridentinum, & alia Sacra Concilia, & Sacri Canones locis sæpiùs adductis, Sacerdotem nequire, nec esse idoneum validè absoluere non subditum, defectu auctoritatis, seu potestatis iurisdictionis; eamque proindè potestatem necessariò adesse debere, vt Sacerdos veram dicatur proferre sententiam, & eò ipso verum iudicium perficere.

Indè infertur, non posse absolui, nisi qui in foro Ecclesiæ subditus sit; cum enim potestas iurisdictionis versetur circa functiones, verum iudicium, ac veram sententiam externam, sensibilem, & Ecclesiasticam, concernentes: nequit vllo pacto, non etiam circa personas in eodem Ecclesiastico foro subiectas, versari, vt multis, tum auctoritate, tum ratione, hucusque comprobatum est; id quod expressè Tridentinum *loco sæpius laudato, veluti*

abſolutiſſimo compendio, ſignificauit, ijs verbis. Quoniam ratio, & natura iudicij expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper fuit in Eccleſia, &c. *Quarè in hoc Pœnitentiæ Sacramento, Iuriſdictio, non modò admonet pœnitentem ad ſubeundam abſolutionem, media ſubiectione, quam ſecum adducit, ſed etiam operatur effectum moralem, conſtituendi ſpeciem, formamque functionum iudicialium, in ratione veri, & auctoritatiui iudicij, ſecundùm quod pœnitens verè, ac propriè abſolutus, & in facie Eccleſiæ iudicatus dicatur: vt eo ipſo pariter coram Deo, verè abſolutus ſit, ad formam verborum Sacramentalium*. Quçcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis, *duobus hiſce iudicijs inuicem annexis, ac ſe ſe mutuò comitantibus*.

Vt ideò eſſe iudicij Eccleſiaſtici, ſit effectus procedens à iuriſdictionis Poteſtate ex parte functionum; ex parte verò pœnitentis, & peccati, ſit remiſſio iniuriæ Eccleſiæ, vt Eccleſiaſtica, non politica communitas eſt, modo ſupra explicato, irrogatæ, quatenus ſemel confeſſus Sacerdoti, vicem habenti ab Eccleſia, non teneatur de eodem peccato, Eccleſiæ vlteriorem reddere rationem; Etiamſi iniuria particulari perſonæ fuerit irrogata, modò non agatur in terminis fori contentioſi, quod non eſt Eccleſiaſticum, vt Eccleſiaſticum, ſed politicum; Eccleſia enim, vel Pontifex, qui caput eſt, Poteſtatem habet pro remittendis totius communitatis iniurijs, in communi, & in particulari, cum in tantum Pontifex à Chriſto conſtituatur caput, vt poſſit omnium, ſingulorumque iura tueri, ac proindè in ipſum vniuerſalis transferatur auctoritas; qua poſſit miniſtrare iuſtitiam, & ſuum ius reddere vnicuique.

10 *Porrò Poteſtas hæc Iuriſdictionis, quam requirimus in hoc Sacramento, non eſt requiſita, vt nuda circumſtantia præcepta ab Eccleſia, ſub pœna nullitatis ipſius iudicij, ſed vt intrinſeca, & omninò neceſſaria ad ipſius iudicij valorem, vt apertè ſupra ex Tridentino adduximus. Colligiturque ex natura rei; nequit enim iudicium legitimum appellari, ac iuridicum, authenticum, & verum, ſine dicta iuriſdictione: non ſolùm, quia homo non eſſet iuridicè iudicatus, hoc eſt ſecundùm iura poſitiua, quæ decernunt, Iudices dumtaxat legitimè conſtitutos, hoc eſt iuriſdictiònem habentes, poſſe iudicare; ne paſſim in maximum ciuium, & communitatis præiudicium, perniciemque, vſurparentur iudicia; ſed etiam ex natura ipſius iniuriæ contra communitatem, hoc ipſo quod communitas inſtituta eſt, & coacta ad benè, beatèque viuendum; proindè ab ipſa communitate venit, vel condemnanda, vel abſoluenda, aut ab eo, qui totius communitatis caput conſtitutus, eius habet gerere vices.*

Etenim nequit iniuria remitti, niſi ab offenſo, aut ab ipſius ſubſtituto, aut ab eo, qui ſit offenſi ſuperior. Cum igitur iuriſdictio traditur, ſeu vices demandantur, ius, & poteſtas, ſeu ſuperioritas, à tradente, in eum, cui traditur, ad effectum verè, ac iuridicè iudicandi, transfertur; vſque adeò quod functiones examinandi, interrogandi, & ſententiam proferendi, ſecluſa iuriſdictione, ſpeciem tantùm, & nudum miniſterium, non veram rationem iudicij ſortirentur. Nempè minimè cogerent ad reſpondendum, & parendum ſententiæ, neque iudicatus haberetur, reputareturq́ pro verè condemnato, aut abſoluto in communi hominum ſenſu, & æſtimatione; careret ſiquidem iudicium Superioris auctoritate, quod perindè eſt, atque legitimo carere Iudice.

11 *Omninò ergò, ut ad calcē deducatur oratio, iuriſdictio eſſen-*

tialiter est requisita, non quidem in ratione potestatis ad producendum effectum Sacramenti, hoc etenim pacto sine iurisdictione esset absolutio potius inefficax, quam nulla, vt sæpiùs inculcatum est. præter quam quod, quì potest requiri tanquam necessaria, ad effectum realem gratiæ iustificantis in Sacramento, potentia, seu facultas moralis, qualis est iurisdictio? Neque est necessaria ad conferendam vim supernaturalem Sacramento, seu sacramentali absolutioni, vt sit productiua gratiæ, ob eandem rationem; sed requiritur ad efficiendum Iudicium morale, in facie, & approbatione Ecclesiæ, vt diximus: sine quo nequit esse Sacramentum, cum sit illius pars materialis, in quo instituta est, ac imposita practica significatio sacramentalis, quæ est eiusdem Sacramenti pars altera formalis. Ratione cuius significationis, vis deindè confertur supernaturalis Sacramento, à Deo illud eleuante ad producendam gratiam, per quam remittantur peccata commissa contra Deum: in quo stat Iudicium coram Deo: ita vt vnum iudicium sit alterius fundamentum, vt iam supra probauimus, per quod vtrumque Iudicium, pœnitens venit absolutus, & à peccatis liber, in vtroque foro, scilicet coram Deo; cum fiat iustus, & amicus Dei; & aliqualiter coram Ecclesia, cum reconcilietur, habeaturque communiter in Ecclesia pro reconciliato, sitque proindè, tum Deo, tum Ecclesiæ satisfactum.

12 *In cæteris verò Sacramentis quamuis adinuenire sit veram rationem Sacramenti, & effectus sacramentalis, neutiquam Iurisdictio requisita est ad validitatem, eò quia nullus assignatur effectus, quem ipsa causare deberet, cum per modum iudicij non fiant. Quicquid sit quod deindè prærequisita veniat pro eorum licito vsu. Videre est in Baptismate, quod iurisdictione neutiquam indiget, quamuis institutum ad remittenda peccata,*

Digitized by Google

cò quod rationem iudicij nullam habeat. Qua ablata, ſi fieri poſset à Sacramento Pænitentiæ, vtique neque ipſi iuriſdictione eſset opus, non ob aliud requiſita, quam ob ipſam rationem iudicij moralis Eccleſiaſtici. Ad quod efficiendum ab Eccleſia iuriſdictio impartitur. En tandem quomodo Iuriſdictionis defectu, nulla ſit ſacramentalis abſolutio, vt Concilia docent; Quanquam vi Ordinationis acceptam Poteſtatem omninò integram, perfectam, & expeditam fateamur. Quod ſequenti capite fuſiùs, inter alia, proſequemur.



Digitized by Google

CAPVT XXVII.

EX PREDICTA SENTENTIA DIFFICVLTATVM OMNIVM CONCORDANTIA.

ELENCHVS.

1 *ORdinis, & Iurisdictionis Potestates discretæ.*
2 *Vtraque ad proprij productionem effectus, integra, ac expedita.*
3 *Sacerdos ex sola Ordinatione, Iudex verè, propriéque constituitur, cuius Potestas, clauis nomine gaudet.*
4 *Potestatem nihilominus alteram Iurisdictionis requirit.*
5 *Iurisdictio, ac Iurisdictionis Potestas, haud idem.*
6 *Qua Iurisdictione, à venialibus quivis Sacerdos exsoluat illimitatè.*
7 *Qua autem, in mortis articulo, à mortalibus.*



VAria Doctoribus, quo vna hac se expedirent difficultate libuit, vt vidimus opinari. Quæ omnia inter se dissita, mira, fas sit putare in vna nostra sententia, consensione concordant.

1 *Primum namque has Ordinis, ac Iurisdictionis Potestates*

Digitized by Google

inter se docemus ualdè discretas; tùm ex distinctione subiecti. Quiuis .n. Sacerdos Potestate Ordinis pollet, multi iurisdictione carēt, tùm ex distinctione effectuum, quibus non distinctis, impossibilis est potentiarum, Potestatumq; distinctio; tùm ex conditione potestatum. cum Potestas Ordinis sit physica, quatenus ad expellendum peccatum, per physicam gratiæ infusionem data; Potestas verò Iurisdictionis sit moralis, quæ præter munus constituendi Superiorem, ac subditum coram Ecclesia formalitates in sola hominū existimatione consistentes, instituta est ad perficiendum vlteriùs iudicium extrinsecum Ecclesiasticum, ac morale, in quo nititur alterum iudicium reale, Diuinum coram Deo realiter per supra dictam gratiæ infusionem tollens peccatum, & per quod insuper idem peccatum pro legitimè, & iuridicè expiato coram Ecclesia, & expurgato habeatur ab ipsa, ita ut Ecclesia ad aliud iudicium, quo idem denuò expietur nequeat, eò quod bis in idipsum non iudicetur obligare, fuerit autem semel legitimè, tàm ex parte Dei, quàm Ecclesiæ peccatum illud iudicatum, expurgatumque, quod dictum sit, vt discernamus hanc iudicialem peccati expiationem ab ea, quæ fit per veram contritionem, hac siquidem quamuis verè, & realiter expurgetur, & condonetur peccatum coram Deo, nihilominus ex quo Ecclesia in illud Ius non dixit, & exercuit, potis est obligare, & de facto inter alia semel in anno obligat suo Ecclesiastico Iudicio expurgandum, sic vt impleto annuali præcepto regulariter nulli vnquam alteri iudicio sit amplius subijciendum solus Iudex politicus illud denuò poterit in foro contentioso iudicare, si læserit politicam cōmunitatem, iuridiceq; ac legitimè ad illum fuerit delatū; quod tamen forum est à foro Dei, & Ecclesiæ discretum, & ad solam politicam pertinens Potestatem nec ad Ecclesiam amplius spectat, nisi quatenus ex

accidenti politicam induit Potestatem. Damus insuper præfatas ambas Potestates vtrinque distinctas ex earumdem causarum distinctione. cum Ordinis Potestas per Ordinationem media Characteris infusione descendat; iurisdictionis verò ab Ecclesia, per nudam iniunctionem, seu verbalem institutionem, vt hucusque firmatum est. Tùm demũ ex proprietate, cum illa Ordinis sit indelebilis, sicut & Character, ista iurisdictionis delebilis, ac mutabilis collationem nouam extinctionem, diminutionem patiens, ac augumentum.

2 *Deindè easdem potestates vnamquamque ad proprij productionem effectus, absque alterius adminiculo, integras facimus perfectas, ac expeditas; quamquam ad vnius constitutionem Sacramenti faciat vtraque. Et quidem gratiæ productio, qui physicus est effectus, à Potestate morali, qualis est Potestas Iurisdictionis vtique dependere non valet. Nec sine gratiæ habitualis infusione, remittuntur peccata, cum remissio, in culpæ, aut maculæ abrogatione consistat non nisi per oppositam habitualem gratiam assequenda.*

Porrò Ordinis Potestatem integram expeditam, perfectamq́; idcircò constituimus præ cæteris, ne Dei potentiæ, ac prouidentiæ aliqualem iniuriam inuramus; Dei namque cum perfecta sint opera, nequit hæc potestas ab illo tanquam agente principali, in Ordinatione collata alterius postmodum, vt suum sortiatur effectum indigere. quin etiam cum Iurisdictionis Potestas moralis sit; quì potest concipi perfectionem attribuens physicæ alteri facultati? quæ omnia cum communi Conciliorum, ac Patrum loquutionè dicta sint.

Neque difficultatem ingerit Hieron. super Matth. 16. *ibi:* Sicut Sacerdotes veteris legis discernebant inter lepram, &

lepram, sed illam non poterant auferre, ita & nouæ circa peccata. *Non enim potestatem adimit verè remittendorum criminum, verique iudicij faciendi iuxta proprietatem verborum.* Quorum remiseris peccata. *sed tantùm Sacerdotis arbitratum condemnat, cui: ut idem subdit: non licet damnare innoxium, noxiumq; absoluere, sed expensis meritis est iudicandum.*

3 *Saluamus insuper hoc nostro modo dicendi quod plurimorum torsit ingenia, Sacerdotem vi solius Ordinationis quacunque Potestate Iurisdictionis circumscripta verum, ac proprium Iudicem constitui, cum eò ipso ad inuisibile, Diuinumque iudicium de peccatis faciendum toto cælo à Iudicio Ecclesiastico discretum accipiat Potestatem. Indè à communi in causis procedendi modo, nec passu quidem in huius Sacramenti administratione aberramus. quippequi per claues Ordinis reum examinamus, cum accusatur, illumque absoluimus, uel damnamus, quæ sunt munia veri Iudicis constituti, atque adeò recitatis verbis.* Quorum remiseris, &c. Quorum retinueritis, &c. *Quibus Sacerdoti fit Ordinis Potestas: infensi non sumus; per ea siquidem potestas dicendi iuris, ferendæque sententiæ in eum, qui, vel absoluendus, vel damnandus sit importatur, qualis non nisi Iudicis Potestas esse dignoscitur. Quin adhuc Ecclesiæ traditionem complectimur, quæ per verba,* Quorum ligaueritis, *persuasum semper habuit à Christo pro peccatorum causis decidendis, ac terminandis, institutum fuisse tribunal, ac Iudices constitutos.*

Vt hinc Ambrosius 1. de Pænit. c. 2. *eam Potestatem, appellarit,* Potestatem ad uindicanda peccata. Hieron. cap. 1. Sacerdotes *voluerit* habentes claues, ante diem Iudicij iudicare. Eusebius Emisenus hom. in natali S. Petri *dixerit.* Istis, & clauis, & potestas à Deo data est, vt non solùm

Ecclesiam, sed etiam cœlos aperiant. *Exclamaueritque tandem* Bernardus Serm. 1. de SS. Petro, & Paulo. Quid Petro potentius? Qui claues Cœli tam singulariter accepit, vt precedat sententia Petri sententiam Celi.

Equidem meritò Iudiciaria hæc Potestas clauis nomine gaudet, Cœlum namque peccatoribus aperit abserratum; Ex quo definitur per text. exauag. quorundam de verborum significatione. Clauis est Potestas, quia Iudex Ecclesiasticus dignos admittere valet ad Regnum Cœlorum, & repellere indignos.

Cumque duplex Pòtestas in huius fori Iudice sit, nempè ad iuridicè interrogandum pœnitentem, illumque obligandum, quo suum aperiat statum; & ad obsoluendum à confessis. Hæc clauis alioquì vna, duplex respectiuè censetur, scilicet scientiæ, & potentiæ quod iudicarunt. August. Serm. 27. de Sanctis, & Ambrosius Serm. *66. ibi:* Clauis est, quæ, & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem misterij salutaris includit. *Licet non Sacerdos, dum non absoluit, infernum etiam Peccatoribus reseret, tamen clauis inferni hinc impropriè diceretur; cum nulla ex non data absolutione imponatur nouiter culpa, sed tantùm remaneat, quæ præcesserit.*

4 *Amplius Potestatem alteram, Iurisdictionis Ecclesiasticæ; omninò prærequirimus, ad faciendum scilicet morale iudicium extrinsecum, & visibile. Quam quidem ipsa natura iudicij, sibi essentialem exigit omninò luculentissimè* Tridentino *testante.* Quia ratio, & natura Iudicij exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, &c. *Certè quid ad nos de his, qui foris sunt iudicare? Iudicandus igitur ex Apostolo sub Iudican-*

tis iurisdictione sistendus est. Aut fateri cogimur pænitentem ad iniunctam à Sacerdote pænitentiam exequendam nullatenus obligari. Qui enim Iudex non est nec obligare, nec in delicta pœnis animaduertere potis est, sicut qui non est subditus nec parere, nec supplicia subire tenetur.

Cæteroquì discrimen nullum esset adinuenire inter hoc pænitentiæ Sacramentum, & alterum Ordinis, quod iurisdictionem non exigit ad ualorem. Præsertim quod iurisdictio ex parte pænitẽtis; si qua consurgit sola non sufficiat, sed ex parte Sacerdotis omnimodè requiratur. Ratio quippè Iudicij iurisdictionem, nedum ex parte materiæ, verùm etiam ex parte agentis principij requirit, vt sæpè est, cùm auctoritate, tùm ratione inculcatum.

Vndè hæc iurisdictio, potestas dumtaxat quò ad personas, exclusis causis, actionibus, ac functionibus, neutiquam esto. Sed essentialiter respicit iudiciales functiones, ac circa ipsas de consequio versatur; cum Sacerdotem potentem, & idoneum reddat actiones iudicare per modum iudicij constituat in vera, valida; & auctoritatiua ratione iudicij, culpasque remittat in foro pænitentiali, in facie, & approbatione Ecclesiæ, modo supra explicato, quæ omnia veram, propriamque potestatem coarguunt.

5 *Indè Potestate, seu facultate, ad aliquid efficiendum, iam data subiectio, seu superioritas, quæ postmodum aliquando: quamuis non in subiecta materia: fieri contigit, dici quidem iurisdictio potest, neutiquam tamen Potestas Iurisdictionis; eo .n. casu iurisdictio deseruiret dũtaxat pro applicatione materiæ, in quam præhabens potestatem, eam aut simpliciter, aut ritè, ac rectè exerceat: Quod accidit in habente facultatem ordinandi; nullum tamen habente subditum, qualis Episcopus titularis, cui si deindè, vel per iurisdictionem ordinariam, assignata Diæcesi, vel Ecclesia; vel*

per iurisdictionem delegatam, ac simplicem commissionem, quispiam subijciatur, quantum ad Ordinum collationem dicetur quidem eò ipso Iurisdictiō tradi. at non Potestas Iurisdictionis; iam enim per Potestatem vi Sacræ Ordinationis acceptam, Episcopus validè: vt certum est: quemcunque poterat ordinare. itaque per factam denuò subiectionem, nulla nouiter potestas confertur; sed vt ritè fiat, quod fit, materia solummodò applicatur.

A priori huius ratio rei, Potestas siquidem, seu facultas nequaquam ponenda, nisi correspōdens ipsi ex parte rei ponatur effectus; sunt enim potentia, & effectus tanquam correlatiua inuicem se se ponentia, & remouentia. Vt ideò cum Ordinum collatio, vel sine iurisdictione consistat ex iurisdictionis accessione, nulla exindè nouiter accedit potestas.

Cum autem ex Pænitentium subiectione, quam Ecclesia facit, ne dum ipsi Pænitentes applicentur Sacerdoti, sed is Sacerdos dicendi iuris in pænitentes, verique, & auctoritatiui iudicij in illos exercendi potestatem alterius accipiat optimè Tridentinum ob non factam subiectionem pænitentium irritam, ac nullam proclamauit absolutionem; potestate enim Iurisdictionis deficiente, externum, Ecclesiasticumq. iudicium pars materialis Sacramenti nullatenus fit. ac de consequio, essentiali parte subtracta, ipsum ab intrinseco Sacramentum corruere fit necesse.

6 Tandem Cerberum illum tricipitem, Doctorum aliquot, in superioribus exterrentem, apud nos cicurem ostentamus. nullo nempè negotio ostendentes, ex qua Iurisdictione, illimitatè adhibitis Sacerdotibus, vel non deputatis Confessarijs, Pænitentes à venialibus semper expientur, & à mortalibus in mortis articulo; & ab vtrisque Summus Pontifex, si, & quandocunque simplicem Sacerdotem sibi in Confessarium eligat.

In priori etenim casu, Iurisdictionem ab Ecclesia traditam esse fatemur; edocti à Tridentino sess. 14. de Pœnit. c. 4. *sæpissimè memorato. Ex quo indistinctè habeat non posse sententiam proferri nisi in subditos, & ab habente non nisi Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. hocq; semper fuisse in Ecclesia persuasum. Quod si de proferenda sententia qualicunque res ita se habeat. quì dubitabimus, venialia ne quicquam sine Ecclesiæ iurisdictione remitti? Præsertim vt supra notatum, cum Ecclesiæ non minor circa venialia, quàm circa mortalia, sit Potestas, dummodò illa etiam venialia, quæ possent vtique aliter per Sacramentum veniant expianda, tùm quod adhuc in eorum expiatione gratia infundatur, tùm quod offensa Deo idcircò irrogata, nequeat nisi ab eodem, vel eius loca tenente remitti, tùm tertiò quod ad veram Iudicij Ecclesiastici rationem, quale intercedere tanquam partem materialem Sacramenti supra ostendimus, Iurisdictio quoque Ecclesiastica semper prærequiritur de essentia.*

7 *In altero item casu, de mortalibus absoluendis à quocunque Sacerdote, in mortis articulo, seu periculo: confundimus enim, vt supra articulum, periculumque mortis, ex* c. Eos qui, de sentent. Excom. in sexto*: Iurisdictionem pariter ab Ecclesia referri asseueramus, eodem suffulti* Tridentino *ibidem docente*, Ne sub hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis. *Non ne diurno clariora sydere verba hac? Potuisset etenim Ecclesia, vel in mortis articulo iurisdictionem mortalium expiandorum reseruare, quam tamen, ne hac occasione, vt Concilium asserit aliquis periret, non reseruauit. ergò eiusdem pariter Ecclesiæ est eam iurisdictionem impartiri, vt ideò eam non reseruando dare censeatur quatenus antiquam Ecclesiasticam Iurisdictio-*

risdictionem, quæ sub Ecclesiæ primordijs simul cum sacro Sacerdotali Ordine concedi intelligebatur eò ipso confirmata. Vndè benè superiùs adnotauimus, præsente tunc periculo Sacerdote Ecclesiastica prædito iurisdictione, nequire à simplici Sacerdote mortalia solui, ex quo nullo eo præsente damnationis imminente periculo, simplici Sacerdoti, Ecclesia non censeatur iurisdictionem tribuere.

Suprema superest posita difficultas. Summus nimirum Pontifex, qua nam Iurisdictione, à quocunque sibi in Confessarium electo, à venialibus, mortalibusque soluatur, de qua sequenti capite claritatis ergò, lubentissimè disceptabimus.



Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

PONTIFEX SVMMVS, PRO SE, IN POENITENTIALI FORO, PRAE CAETERIS PRAELATIS, VT HABEAT POTESTATEM.

ELENCHVS.

1 *Sacramentalis absolutio, ab ipsomet absoluendo emanare impossibilis.*

2 *Politici corporis gubernandi facultas, simul pro capitis gubernio nùm collata.*

3 *De ea, quam Pontifex Summus habet, oppidò verificatur, præ cæteris Prælatis.*

4 *Absolutè quempiam in se ipsum valere, asserendum.*

5 *Quem maluerint, Episcopi approbatum Sacerdotem queunt eligere sibi in Confeßarium, ex non subditis.*

6 *Regularibus Prælatis eadem facultas.*

7 *Communi Regularium exemptioni nequit renunciari.*

8 *Regulares Prælati, vel non approbatum Sacer-*

dotem externum ſibi queunt eligere, in Confeſſarium.

9 *Adhuc autem in caſu Iubilei.*

10 *E quibus fontibus Summi Pontificis in ſe ipſum Auctoritas haurienda.*



B hac difficultate egregiè Doctorum aliqui, cum opinarentur, Iuriſdictionem, Poteſtatemque ad abſoluendum in Pœnitentiali foro, totam Iuris eſſe Diuini, ſe expeditos putarunt. Quibus ſupra relatis, quia minimè in id ſententiæ plauſimus; mox antecedenti capite, alijs obiectis nobis difficultatibus exolutis, primariam hanc alteram ex integro huc adduximus, diluendam.

1 *Nec quidem ſupremæ huius difficultatis cardo conſiſtit: an Summus Pontifex, nullo medio Confeſſario, à peccatis, cùm venialibus, tùm mortalibus, ſi quæ fortè commiſerit, ſe ipſum queat abſoluere. Stat etenim pro comperto, abſolutionem ſacramentalem, ab ipſomet abſoluendo emanare, prorſus impoſſibile. Ex Diuina nimirum inſtitutione, quam ſole clarior ſcriptura demonſtrat:* Confitemini alterutrum peccata veſtra, Iac. 5. *Patetque in alijs Sacramentis, quorum ad inſtitutionem, miniſtrum perſonaliter à ſuſcipiente diſcretum, ſpectat habere.*

Cum cæterùm ex natura puri, merique Iudicij, neutiquam repugnaret identitas. Vndè in diſpenſatione, quæ ob diſcuſſionem cauſæ in diſpenſando requiſitæ, ſpeciem veri Iudicij præſefert, ſubſtinet Doct. Angelicum ſequutus Caietanus 2.2. quęſt. 96. *poſſe Prælatos Regulares, ſecum in obſeruantijs, ſicuti cum*

subditis dispensare.

Cuius hæc esto compendiaria ratio. Quia dispensatio ex voluntaria proficiscitur Iurisdictione, ad quam distincta persona nequaquam præexigitur. Siquidem nulla hic, contra naturæ Ius, iniquitas intercedit: quatenus ius sibi contra ius aduersarij dicat, quod prohibetur, l. vnica, C. ne quis in sua causa. *Neque hæc iurisdictio, cum coactiua, punitiuaque non sit, abhorrens illud à natura includit, vt quis deseuiat in se ipsum. Dispensatio itaque præter prudentem directionem Iudicij faciundi de causa, qua dispensatur, nil aliud præstolatur; quæ prudens directio, in Prælato etiam respectu sui, eò debet præsumi, quod non æquè expendendo causam, peccaret, ex qua postmodum iniustitia, secum etiam illicitè, ne dicam inualidè dispensaret. Quoties verò, & quomodo. idem in se ipsum valeat, infra latiùs est animo complanare.*

Nec Sacræ Congr, ad cap. 6. sess. 24. Tridentini, *officit declaratio. vbi habetur, Episcopum vti posse suo Confessario, pro consequenda absolutione, & dispensatione; non enim aliud, quam Episcopos eadem potiri facultate in se ipsos, quam habent in subditos, ibi Sacra prætendit Congregatio, vt infra.*

Benè uerò tutissima ea, laudabilisque censetur consuetudo, qua Prælati non nisi per Confessarium secum dispensat; ne proprius ille in omnibus amor offendens, Iudicij rectitudinem in discernenda causa subuertat.

2 *Præsens itaque difficultas in hoc altero collocatur; num Pontifex Summus alteri possit tradere facultatem, qua ipse à peccatis, quæcunque sint, validè absoluatur. Quæ profectò non exigua est nobis, edocentibus, Summo Pontifici Potestatem traditam pro se met iudicando, annexam muneri; non uerò extra munus: vtrūq; alij deindè tradi à Christo sunt opinati. fit enim in hac nostra sen-*

tentia, vt idem in se ipsum habeat Potestatem, quod perplexam implicat quaestionem.

In aliorum autem sententia asserente, Pontifici fieri Potestatem à Christo, extra munus Pontificis; aut scilicet quatenus tradendo Christus Pontifici iurisdictionem vniuersalem in Ecclesia, eò ipso intelligitur etiam tradere peculiarem, pro se ipso, delegandam Sacerdoti, cuicunq; maluerit Pontifex; aut quatenus immediatè Christus eam tradit Sacerdoti, simul atq; is à Pontifice Confessarius adhibetur. eo modo, quo per diploma quis priuilegiatus, posse assumere sibi, quem maluerit Confessarium, vt à reseruatis Pontifici absoluatur, non ipse, sed assumptus pro libito Confessarius, à Pontifice mutuari intelligitur Potestatem. In hac, inquam, aliorum sententia, nulla difficultas ingeritur: quippè quod, non idem in se ipsum Potestatem exerceri sequeretur. cum semper Christo veniat absolutè Potestas tradita, referenda. Quarè non nisi discusso prius nubilo harum sententiarum, veritas in proposita difficultate, à nobis asserta, elucescet.

Et verò quàm multis ea arridet sententia, quod vniuersaliter de ratione cuiuscunque facultatis, traditae ad gubernium politici corporis, sit, vt simul etiam pro capite intelligatur collata, idest eadem ad caput etiam extensa: ob quam rationem, sub largita Iurisdictione absoluendi, aut dispensandi, vni Congregationi; simul Iurisdictio etiam capiti illius intelligitur elargita; non solùm committendi alteri eam iurisdictionem, sed ipsam quoque in se exercendi, si non absolutionis poenitentialis, quam iure Diuino diximus absoluentem requirere, ab absoluendo distinctum, saltem caeterarum absolutionum, quales sunt indulgentiae, & similia, & dispensationum, vt exemplificauimus.

Iuxta quam doctrinam, c. Ne pro dilatione de Poenit. & Remiss.
De Regul. Aristocra.

Remiss. *ibi:*Ne pro dilatione Pœnitentię periculum immineat animarum,permittimus Episcopis, & alijs Superioribus,nec non minoribus Pręlatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum, & discretum sibi posſint eligere Confessorem. *Declaratiuum potius esse consequitur Auctoritatis,& iurisdictionis iam concessæ ab Ecclesia Episcopis,& alijs superioribus,& minoribus Prælatis, simul atq; ipsis tradita est iurisdictio in subditos, sub quibus,& ipsi tanquam membra illius Diœcesis, aut Congregationis,& communitatis ueniunt, quam nouæ facultatis collatiuum.*

Ad quæ optima ijs Doctoribus suppetit ratio. non .n. verisimile est, dum corpori prouidetur, non simul capiti, principaliori membro, esse prouisum. Secus, antequā facultas recitati c. fuisset indulta, ni dicamus illud declaratiuū tantūmodò; Illucusq; Prælati communitatū, peioris extitiſent conditionis, cæteris alijs mēbris ignobilioribus. Prouisa igitur tota communitate, simul de magis prouisum capiti, venit asseuerandum; vt sicut caput potest iurisdictione cuicunq; ex suis subditis delegare, ad absoluendum alterum, pro se ipso quoque absoluendo possit eandem pariter delegare.

Nonnullis alijs probatur oppositū, asserentes ex natura cōcessionis toti factæ cōmunitati, neutiquam comprehendi caput; neq; hoc eſſe de mente concedentis, ex natura rei, interpretandum, nisi se explicet expresſè, aut legitimus vsus id induxerit, vel interpretatus fuerit. Ideoq; prędictū c. Ne pro dilatione, *facultatis non antea obtentæ collatiuum fuisse. Quò proinde fuerit capitibus omnibus, quibus antea non prouisum, specialiter consultum.*

*Verùm .n. verò, quidquid sit de alterius, ex his, sententiæ ueritate, quæ non incōgruè priori tribueretur, uerbis d. capituli diligēter perpēsis inibi.*Ne pro dilatione pęnitētię periculū īmineat

Digitized by Google

animarum, permittimus. *Quid amabò permittimus? idest, quod vi muneris hisce Prælatis est datum, liberè exerceri permittimus; seu, vt Glossa videtur innuere, ius confirmamus antiquū, quo per electionem Confessarij, quilibet ueniebat Sacerdos idoneus; idest non nominatim excommunicatus, non suspensus, sciens ligare, & soluere. Et vnusquisque Sacerdos ante Tridentinum, pro suo arbitratu, cuicunque alteri Sacerdoti confitebatur.*

3 *Sed estò etiam posterior sententia veritati accederet magis, vt ad Pontificem Summum conuertamus sermonem; disparem esse de ipso, cæterisque Prælatis inferioribus, reputamus rationem. Vt ideò, licet circumscripta peculiari concessione ab Ecclesia facta, nequirent inferiores Prælati à suis absolui criminibus, indigerētque proindè concessione ea, aut distinctè, à concessione vniuersaliter totam tangente communitatem, aut saltem sub ea, ex intentione concedentis, virtualiter contenta; ita quod Ecclesia potuisset totam priuilegiare communitatem, Superiore neutiquam priuilegiato. Et priuilegium, seu beneficium Iurisdictionis factū communitati potuerit, & possit diuidi, separariuè à beneficio eiusdem capiti indulto, vnumque possit absque altero elargiri. Nihilominus Pontificem Summum, iurisdictionem pro se ipso absoluendo, alteri deleganda, ex rei natura, adhuc gaudere fatemur.*

Cum enim Iurisdictio absoluendi, non sit à Christo Domino tradita, nisi pro iudicio externo, & Ecclesiastico validè faciundo, in quo fundatur, vt hucusque visum, alterum internum inuisibile. Quì vides, Pontificem Summum non habere pro se ipso iurisdictionem, ex natura, tùm Summi Pontificatus, tùm institutionis à Christo factæ de Pœnitētiæ Sacramento? Quæ validior tibi ratio, vt possit vnum potius, quam aliud, Pontifex validare iudicium: aut si potest quodcumque iudicium Ecclesiasticum

Digitized by Google

validare totius communitatis, non possit pro se ipso? an non eiusdem speciei iudicium est; num non idem Sacramentum? num diuersum de Pontifice iudicium fori pœnitentialis, à iudicijs alterius cuiuscunque?

Quin pro nobis præclara militat ratio à priori; ideò namq; diximus requiri iurisdictionem ab Ecclesia: quia delenda iniuria, per peccatum Ecclesiæ ipsi, ceù benè institutæ communitati, aut Reipublicæ, ab benè, beatèque viuendum ordinatæ, irrogata; quæ iniuria, non nisi ab Ecclesia læsa, aut à loca ipsius tenente, & totum translatum Ecclesiasticum ius in se cohibente, valet remitti. Iam uerò, cum Pontifex Summus à Christo traditum hoc habeat ius, ideò ad ipsum spectare, istam facere cæteris alijs Prælatis, aut Sacerdotibus iurisdictionem, iam consequenter firmauimus; quatenus totam communitatem repræsentans, auctoritatiuè pœnitentes de peccatis confessis condemnando, ipsis facultatem dat salutaris imponendæ pœnitentiæ; qua media, pœnitentes absoluãt, recipiantq; perindè, ac si nunquam peccassent, ad recõciliationem, eo prorsus ordine, quo in iudicio contentioso accidit, in quo reus se accusans, & delictum confitens, punitur, qua adimpleta punitione, ad reconciliationem, vt verè expurgatus, ac si nunquam deliquisset, recipitur.

Hoc stante: quis inficias ibit, posse Pontificem Summum suum peccatum tollere, quatenus Ecclesiasticam lædit communitatem, cum Supremus sit Princeps, ac Iudex, ad quascunque Ecclesiæ irrogatas iniurias remittendas constitutus, prorsus, vt per ipsum remissæ, perindè, ac si immediatè per Ecclesiam met læsam fuissent condonatæ, se intelligantur habere?

Profectò, cum Pontifex Summus ius omne habeat circa Ecclesiam totam, & singulos eius indiuiduos, in se ipso transfusum

Digitized by Google

à Christo Domino, circa se ipsum etiam habere, concludendum est, non minus, quàm si Princeps absolutus alicuius Vniuersitatis, politicè deliquisset, vtique posset: ni eum denegemus suæ Reipublicæ absolutum, ac Supremum: suæ tradere curiæ iurisdictionem, qua absolueretur; aut nulla imposita pœna, vel etiam imposita, aut aliqua spontè sibi benè visa assumpta, ex eo quod cunctas soluendi politicas iniurias, fulgeat potestate: nec ipse inferioris cæteris conditionis sit æstimandus: neque eius iniuria potior, quin ab ipso met, sicut & cæterorum queat deleri, & expurgari; Immò, etiamsi minimè expurgaretur, nihilominus ab eodem met Principe, hoc ipso quod nullius alterius pateretur iudicio subijci, condonata eo ipso intelligeretur, quod ab alijs, tāquam Supremus, nequeat cogi, solaque, ad bonum non lædendum communitatis, vi teneatur directiua. Quod de magis in Pontifice locum habet, quippè qui, non à Republica, vt Princeps ciuilis, iurisdictionem mutuatus est, vt proindè aliquibus in casibus, ab eadem Republica cogi, puniriuè valeat; sed eam à Christo, independenter ab Ecclesia, est auspicatus, prorsus vt omnem iurisdictionem illimitatè, ac independenter, tàm pro se ipso, quàm pro alijs, quò ad iniurias, in ipsius externo Ecclesiæ foro, remittendas, eò ipso assequutus intelligatur.

Ex quo facili negotio discrimen habebis. cur cæteri inferiores Prælati: si velimus alteram ex prædictis amplecti sententiam: non intelligātur per suæ superioritatis deputationem, hanc iurisdictionem consortiri: sed à Supremo Iudice Pontifice Maximo recipere habeant, aut seiunctim à iurisdictione, ipsis communiter in totam vniuersitatem, cui præficiuntur, commissa; aut saltem sub ea deputatione, de æquitate mentis ipsius deputantis Pontificis, compræhensa: ne scilicet ipsi Prælati, suis subditis peioris

conditionis existant: quod nimirum inferiores Prælati in vniuersam Ecclesiam ius minimè habeant, & de consequio iniurias, per peccata eidem irrogatas, nec remittere; nec alteri remittendas committere queant.

4 *Hisce igitur prioris difficultatis discussa caligine; ad alterius iam propositæ plenam illustrationem gradum facientes; firmiter habeto, quam habet Romanus Pontifex in vniuersos Christi fideles iurisdictionem, eādem prorsus in semetipsum habere, quam proindè Sacerdoti, sibi pro libito in Confessarium assumpto, delegare nullatenus ambigas.*

Estò primo intuitu videri, neminem in se iurisdictionē exercere posse, ex quo nulli sit integrū per se, in proprio facto, auctoritatē præstare, l. quāquam, 1. §. De auctoritate, & consensu tutorū; *aut se ipsum eligere,* c. finali de institutionib. *aut se ipsum, vtcumq; idoneum, ad Ecclesiasticum personatum præsentare,* c. Per nostras, de Iure personatus: *Re tamen medullitùs perspecta, non denegatur absolutè, quemlibet in se ipsum agere valere.*

Vtq; clauum clauo, nempè iura iuribus retundamus, nonnullos textus id statuentes, non grauatè recolligas, c. A collatione, de appellationibus in 6. *decernitur, à beneficio, per capitulum collato, cui Episcopus, vt Canonicus, interfuit, appellari ad se ipsum, vt Episcopum licere: sicuti, & Episcopo appellare ad Archiepiscopum, interim verò ad Archiepiscopatum promoto, de ea causa cognoscere. Item* c. Multis 17. d. *statuitur, A sententia Archiepiscopi ad Synodum Prouincialem appellatum, fas esse, eidem Archiepiscopo, Synodi eiusdem præsidenti, eam causam recognoscere.*

Sane, quid impedit eandem personam, dantis, & recipientis, pro titulorum pluritate, substinere vices? Quæ amabò iurisdictio personarū distinctionē exposcit magis, quā actus rigorosæ Iustitiæ,

de cuius essentia est, ad alterum se habere? Et tamen Christus Dominus, ut homo, satisfecit sibi Deo, & communitatis officialis, sibi satisfacit eiusdem creditori, & incertorum furator sibi restituit pauperi.

Ne igitur iura quassentur; quod dicitur, neminem in se ipsum iurisdictionem exercere posse, ut simul dantis, & accipientis subeat personam; limita, cum communi Doctorum ad solos casus in iure expressos; aut nimirum ratione vitandæ ambitionis, relatis c.finali de Institutionibus, & c. per nostras, de iure patronatus, *eò quod, ut habetur* in c. Scripturis 8.q.1.& c. Sicut is. 1.q.6. *Vnusquisq; se ipsum eligendo, uel præsentando, veniat, ut ambitiosus, repellendus. Aut ratione fraudis vitandæ, ut in* d. l. Quamquam, de auctoritate, & consensu Tutorum, *cum agatur de administratione bonorum; aut tandem ratione institutionis, quæ sit inter duos, ut legitur in* c. habitum *& eius effectu.*

Hinc Canonistarum iam erupit concordissima vox; quempiam duorum vicem substinere posse, semper quod speciali iure non prohibeatur, de qua re latè Abbas in d.c. finali n. 5.

Est nè igitur Episcopis inhibitum eligere sibi, qui absoluat, & dispenset pro libito? tantùm abest, quin potius expressè sit addiudicatum d.c finali. Ne pro dilatione.

5 *Hinc* S.C. Concilij, *re gesta sub* c.6. Trid.sess.24.de refor. *quo Episcopis indulgetur facultas absoluendi, & dispensandi in propria Diœcesi, in omnibus casibus occultis, Sedi Apostolicæ reseruatis, iure censuit,* eosd. vti posse suo Confessario, pro consequenda absolutione, & dispensatione, cum opus fuerit, in omnibus casibus ibidem contentis; *ius antiquum, aut scilicet, ut tetigimus, sub vniuersali concessa Iurisdictione pro tota*

Diœcesi, cuius Episcopus est membrum principale, comprahensum; aut de æquitate mentis concedentis, ne caput peius habeatur cæteris membris, interpretatum, aut specialiter, & explicitè d. c. Ne pro dilatione, *postea indultum potius quam ius nouum inducendo, ex regula, quod declaratio, non sit ius nouum; sed solius antiqui explicatiua.*

Fatemur quidem Episcopis integrum non esse, absolutionem petere de peccatis, à Sacerdote non subdito, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus; ex declaratione Sanctiss. sub c. 15. Tridentini sess. 25. de Refor. *relata in is verbis.* Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione Congregationis, declarauit, Episcopos, vigore priuilegij, non posse sibi eligere Sacerdotem, non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit ad hoc, iuxta formam huius Decreti, admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.

6 *Eadem prorsus facultate eligendi sibi, quem maluerint pro absolutione, & dispensatione, gaudent Prælati Regulares; tùm ex eod.* c. Ne pro dilatione: *ibi:* Nec non minoribus Prælatis; *quod licet meminerit de sola absolutione, Doctores tamen communiter extendunt simul ad dispensationem, tùm magis ex recitato* c. 6. Tridentini sess. 24. de Reform. *loquente de dispensatione simul, ac de absolutione, quod tàm iure communi, quàm priuilegiorum, vt in expositione Bullæ Cenæ ex instituto prosequemur, ad Prælatos Regulares extenditur, vt ideò relata* declaratio S.C. *illius textus, ipsos etiam planè comprahendat.*

Quæ tamen facultas ipsis nequaquam est addiudicanda; nisi consentientibus cæteris Religionis Superioribus Prælatis, ordine hierarchico Regularibus apprimè neceßario sic exigente, ad præcauendam confusionem, & regularis disciplinæ eneruationem

quæ indè procul dubio oriretur; vt ideò ſolummodò ſpeciali conſtitutionum ſtatuto, aut præſcripta conſuetudine non refragante; localis Prælatus Regularis, tanquam ſoli Summo Pontifici, quò ad res fori interioris, ac voluntarij, immediatè ſubiectus, queat ſibi aſciſcere quem maluerit, pro obtinenda abſolutione, aut diſpenſatione.

Nec certè docuiſſet, vbi Regularibus ſubditis, preſtò ſemper eſt à ſuis Prælatis præſentibus, vel eorum loca tenentibus, neceſſarium remedium ſuarum animarum, ipſis deinceps Prælatis, illud ab abſente, & ſæpè longè diſſito eorum Superiore, expectandum fore; quemadmodum in dicto c. Ne pro dilatione *inſinuatur. Quid hic amplius refricatur, neminem eſſe poſſe ſe ipſo maiorem, & minorem; ſuperiorem, & inferiorem? cum id, eſtò abſolutè implicaret, quod ſupra redarguimus, non faciat ad rem, ex quo iuriſdictio Prælati in ſe ipſum ſupponatur effluere, non à ſe met, ſed à Summo Pontifice, mediatè, aut immediatè,* Ne, *vt recitauimus ex* c. finalis, pro dilatione pȩnitentiȩ, ipſis periculum immineat animarum.

Nec alleges præſentes adeſſe vbiq; Ordinarios locorum, aut ipſorum vices gerentes, à quibus Regulares Prælati, ad præcauendum præfatum periculum, iuriſdictionem ſibi neceſſariam, quoties fuerit opus, petere valeant. De ratione ſiquidem communis exemptionis Regularium eſt, vt nequeant omninò Prælati, nec etiam in rebus voluntariæ iuriſdictionis, locorum Ordinarijs ſe ſubijcere; Regulares adeò ab ipſorum Poteſtate, ac iuriſdictione ſubtrahẽtis, vt actus fiant alioquì, defectu iuriſdictionis, nulli, ac inanes.

Se, inquam, ſubijcere nequeant in ordine ad iuriſdictionem, qua Epiſcopi fruuntur in ſua Diæceſi; cum cæteròqui poſſint ſe ſubijcere delegando propriam iuriſdictionem, quod non eſſet vti

Digitized by Google

iurisdictione Episcopali, sed Apostolica, sibi, respectu quorumcumque sponte electorum concessa. Exemptio enim adeo vetat Regularibus Prælatis vti Episcopali iurisdictione, vt Summus Pontifex quandoque requisitus ad hoc, ne error in præiudicium iuris, tùm proprij, tùm Religionis, irreperet, id non concesserit, nisi tanquam à se delegatis, vt est casus expressus in Clem. Ex frequentibus, de sententia excommunicationis §. cum ex eo, *de fratribus minoribus, quibus indulgens absolutionem ab excommunicatione, per Episcopos obtinendam subnectit* Apostolica auctoritate fungi volumus in hac parte: *vbi* Glossa finalis, *notat, hoc fuisse dictum ob exemptionem fratrum.*

Solis legatis à latere, exempti Regulares Prælati, subdi possunt, & debent; vtpotè Apostolica auctoritate erga ipsos fungentibus, ac Summis Pontificibus, per Sacros Canones, æquiparatis. Habetur expressè, c. Si Abbatem. de electione in sexto. *ibi:* Ei ab alio, quàm à nobis, vel Apostolicæ Sedis legato, si sit in Prouincia, de latere nostro missus, dari non potest licentia suum deserendi monasterium, Et c. 1. de verborum significatione, *ibi:* Dictos fratres exemptos, in proprios Ecclesię filios fuisse receptos, quod ab alio, quàm à Romano Pontifice, vel ab eius legato de latere destinato, interdici, vel excommunicari, à quoquam non valeant, declaramus.

Quod intelligas de iure cõmunis exemptionis, quia de iure priuilegiorum, nonnulli sunt ab istis etiam immunes, ut nos Oliuetani, per Constitutionem, Et si ad vniuersos, Iulij 2. in Vol. nostrorum priuilegiorũ pag. 81. *ibi:* A quorũcumq; legatorum, etiam de latere, dictione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione, & correctione eximimus.

mus. *Exemptio sanè amplissima, tùm quia illimitata, tùm quod nouitios familiares, ac seruientes comprahendat.*

7 *Nec regula, vnumquemque iuri, ac fauori suo cædere posse* ff. de pactis, l. pacisci, c. Ad Apostolicam. de regulis iuris, c. Si de terra, Et c. Accedentibus. de priuilegijs, Et c. Dilecti. de foro competenti, *hic urget; cum exemptio non sit fauor vnius personæ exemptæ, sed vniuersæ Religionis, cui immediatè præstita est, cui proindè exemptioni, à nulla priuata persona vnquam renunciari fas est; vt dicitur* c. Si diligenti. de foro cōpetenti, *ibi:* Immemor constitutionis, qua cauetur pacto priuatorum, iuri publico minimè derogari. *& infra.* manifestè patet, quod non solùm inuiti, sed etiam voluntarij pacisci non possunt; cum non sit hoc beneficium personale, cui renunciari valeat. *& euidentiùs* c. cum tempore, de Arbitris, *ibi:* Cum, & si spontè volueris, de iure tamen nequiueris, sine licentia Romani Pontificis, renunciare Priuilegijs, vel indulgentijs libertatis, quæ monasterium illud indicant ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere *vbi* Glossa *distinguit: quod*, licet quantum ad se potuerit renunciare, non tamen quantum ad Papam. c. Suborta, de re iudicata, Et c. Inter dilectos, de donationib[9].

Quæ est ratio magistralis, cur nequeat renunciari communi exemptioni, quia hæc resultat in ius, & fauorem Pontificis concedentis, per c. Cum venissent, de in integrum restitutione, *vbi* Innoc. 3. *sic ait*, non tàm suum, quàm nostrum ius fuerit protestatus, quod monasterium ipsum ad Romanā Ecclesiam nullo medio pertineret, ne ipsius negligentia in damnum tàm nostrum, quàm Monasterij redundaret, Et c. Cum olim, il 2. de Priuileg. *ibi:* Nos igitur attendentes

quod eadem priuilegia, non solùm pro libertate Monasterij faciebant, sed etiam exprimebant ius nostrum, & Ecclesiæ Romanæ iustitiam tuebantur, ne in nos Monasterij lęsio redundaret, ad priuilegia exhibenda partem eius de gratia duximus admittendam.

Vsque adeò, vt nec tota Religio validè renunciaret, eadem ratione; prætermisso enim, quod subtractio ab iurisdictione Ordinariorum, quò ad vtrumque forum, sit primarius effectus exemptionis, vt latè c. de exemptione *in generali, prosequemur: sicut non consueuit fieri concessio in præiudicium alterius, ita nequit fieri renunciatio: multò minus si persona, cui præiudicaretur, careat Superiore, qui iuridicè præiudicium ei valeat inferre; cuiusmodi est Summus Pontifex; cum enim* Glossa in d. c. si diligenti, verb. Pacto priuatorum, *dicat non posse Clericum in alium Iudicem consentire, quia præiudicat Episcopo suo, sine cuius consensu alium Iudicem habere non potest; quid dixißet si actum fuisset de præiudicio Episcoporum Episcopo Summo Pontifici irrogando? quid quid sit deindè de alia ratione à prædicta Glossa allegata, ideò non posse renunciari, quia ius fuerat introductum pro publica utilitate Priuilegiatorum, & in odium simul aliorum, iuxta* textum ff. ad Macedonianum, §. Et si pater, *in fine, subiungente, exemptionem innectam fuisse, non tam in fauorem Regularium, quam in odium Ordinariorum, qui Regularibus oppidò erant infesti.*

Adde, nec etiam in casibus, per quodcumque Concilium, aut per Bullam Cœnæ, Sedi Apostolicæ reseruatis, integrum esse Regularibus Prælatis se subijcere locorum Ordinarijs, si & quantumuis habentibus de iure, vel communi, vel speciali illorum relaxandorum facultatem; cum enim æqua sit ratio de omnibus, &

exemptio sit vniuersalissima, & absolutissima, non est cur fallat in aliquibus casibus præ cæteris.

Nec refragatur priuilegium ab Eugenio Quarto Monachis S. Iustinæ Cassinensibus impartitum; de quo in Compend. priuileg. verb. Dispensatio, §. 25. *Quo nullum aliud hucusq; vrgentius reperi, quantumuis ab aliquibus Auctoribus asseratur adesse, indulgens;* ad omnem euagationis occasionem tollendam, aliquando potiùs Episcopos Diœcesis consulendos esse, quàm Romanam Curiam adeundam; de licentia tamen, & consensu Capituli Generalis, seu Definitorij: *prætermisso enim, indè potius inferendum intentum de Prælatis localibus, cum ipsis Pontifex ibidem omnimodam Episcoporum facultatem concedat; vt statim subiungemus; & in casu subiectionis, Capituli Generalis, vel Definitorij licentiam requirat; quin ipsum Capitulum Generale indiguisse speciali Pontificis indulto, vt eam possit concedere quãtum ad punctum obiectum, cum hæc non sit absoluta gratia, quippè aduersans exemptoni; sed tantùm respectiua parti supplici, sic sibi prouisum iri existimanti; non est, quod ad alios Regulares extendatur, vigore participationis, seu extensionis, meras gratias, ac fauores concernentis.*

Nisi eam restringamus ad eos tantùm casus, in quibus cæteroquì damnum, vel incommodum ipsis Regularibus, auctoritate Episcopali non vtendo, proueniret.

At obsecro, qui nam sunt isti casus? cum ex vna parte, Prælati Regulares Episcopali iurisdictione plenè gaudeant ex multis, & potissimum ex prædicto Eugenij Quarti priuilegio, ne, vt ibi subnectitur, eorum subditi euagari conantur, Romanam Curiam adeundo. Et ex alia, ne Regularibus minus prouisum videatur, quàm cæteris fidelibus, adsint casus in iure excepti, inter quos,

legitimum impedimentum perpetuum Romam adeundi, quod est Regularium proprium, addiudicat Prælatis Regularibus facultatem suos subditos absoluendi, in omnibus casibus, etiam per Bullã Cœnæ reseruatis, vt in expositione eiusdem Bullæ, ex instituto prosequemur. Vt ideò euidens fiat nullam vnquam necessitatem timeri, propter quàm Regularibus opus sit Episcopis, aut alijs extraneis Prælatis se subijcere, ac proindè Prælatis Regularibus, ne sint miserabilioris sortis, quàm subditi, quatenus habeant absolutionem, vel dispensationem, cum dilatione expectare, adesse iurisdictionem; quàm tradant, quibus, saltem ex suis subditis, pro mero arbitratu se subijciunt; aut eisdem à se electis à Summo Pontifice esse tributam.

8 *Immò etiam ex alienis, & extraneis, quamuis à proprijs Ordinarijs non admissis, vel approbatis; modò sint idonei; idest prouidi, & discreti, scientes ligare, et soluere, nec nominatim excommunicati, vel suspensi, per censuram, vt distinguamus à suspensione per nudam pænam, quæ non aufert iurisdictionem. Nam per recitatum* c. Ne pro dilatione, *fit ipsis Prælatis ea prorsus habilitas, quam subditis, dat licentia suorum Superiorum, hæc autem cum approbet Confessarios ab ipsis subditis electos, non indiget vlteriori probatione, cumque Prælati Regulares indulgere possint suis subditis electionem quorumcumque Sacerdotum nullibi approbatorum, potissimum itinerantibus, vtpotè absentibus à suis Prælatis, vt fusè cap. De Confessarijs Regularibus, planum faciemus: quid ni Prælatus Regularis eadem subditorum facultate potietur, cùm præsertim sit valdè remotus à Summo Pontifice, sibi per exemptionem immediato constituto Superiore?*

Sanè Superior, præter cuius licentiam, recitatũ c. Ne pro dilatione *permittit exẽptis Prælatis sibi eligere Confessarium, non est*

Confeßarij superior, quem non contingit abesse, cum vnusquisque superior, aut ipsius substitutus, resideat in sua Dictione. ergò est ipsius Prælati confitentis, qui, cum per exemptionem Summum Pontificem immediatè recognoscat, cuius licentia est electi appro-batio, quorsum vlteriori approbatione indigebit? Cur subditus, suo Prælato annuente, quempiam ex suis consubditis valeat eligere, quantumuis non deputatum, ob id, quod Prælati licentia habeatur pro deputatione, Prælatus verò nequiuerit ex quibuscumque Sacerdotibus, cum tamen secum consubditi eiusdem Summi Pontificis, communis Christi fidelium Prælati, sint vniuersi? Quò obsecro spectat recitatum c. Ne pro dilatione, *nisi Prælato Regulari, carenti Superiore præsente, à quo iurisdictionem pænitentialem valeat expetere, eandem permittere in se ipsum, prorsus quam habet in subditos?*

Eò magis, quod hæc permissio redit in ius antiquum, vigore cuius, vt vidimus, quilibet Sacerdos, solùm sciens ligare, & soluere, erat legitimus omnium Confeßarius; & de magis Sacerdotum, qui vsque ad Tridentinum perseuerauerunt, vt ex Nauarro, præ cæteris, allegauimus, sibi quem maluerint simplicem Sacerdotem eligere; iuxta quod, in d. c. Ne pro dilatione, *Sacerdos eligendus à Prælatis, designatur sub sola conditione prouidi, & discreti, nulla approbationis facta mentione, quod, animum non recedendi à iure antiquo, manifestè coarguit.*

Nec superiùs relata Sacræ C. declaratio, cohibens Episcopos ad Sacerdotes dumtaxat approbatos, vim facit Prælatis Regularibus, vtpotè non comprahensis sub Decreto Tridentini, *allegati* c. 15. seſſ. 23. de Reform. *cui talis declaratio innititur; ibi enim de Confeßoribus sæcularium tantummodò quamuis Sacerdotum cauetur, à quibus contra distinguntur Prælati Religiosi*

Digitized by Google

giosi in iure Regulares, non Saeculares praetitulati.

Quorum proindè idoneus erit quilibet simplex Sacerdos, eò ipso à Summo Pontifice, Ordinariorum Ordinario, approbatus, modò non sit nominatim innodatus censuris, à quibus per Praelatum eligentem non possit exsolui, & sciat ligare, & soluere, cum aliàs maiori scientiae, Praelatus ipse, propria scientia inter lepram, & lepram discernens, affatim supplere sit potis. Is siquidem Sacerdos poterit Praelatum à peccatis soluere, quamuis non possit ligare, non obstante Regula c. Inferior 21. d. eius esse soluere, cuius est ligare, *quia vt ibi* Glossa, *fallit in multis, praesertim in Sacramento Paenitentiae, locumque habet in eo solùm, qui vniuersaliter, & iure proprio soluere habeat, ad quod non assumitur praedictus Sacerdos, soluturus solùm asumentem, nec iure proprio, sed solo, sibi à Summo Pontifice, eo casu commisso, & delegato.*

Non est igitur cur ambigamus, Praelatis Regularibus licere Sacerdotem, quem maluerint, sibi eligere, vigore, vel permissionis explicitae d. c. Ne pro dilatione, *vel implicitae sub iurisdictione totius Monasterij, cuius ipse est principale membrum, vel saltem interpretatiuè de aequitate mentis concedentis iurisdictionem pro toto Monasterio, ne caput aegrius caeteris membris habeatur.*

Quod intelligas, nisi peculiares Constitutiones, vel Decreta, aut praescripta Religionis consuetudo; obstent; exploratum siquidem nobis est, noluiße vnquam Summos Pontifices, in rebus praecipuè salutem animarum concernentibus, statum, ac Ordinem cuiusque Religionis peculiarem excedere, ad praecauendam, prae caeteris, regularis disciplinae relaxationem; vt ideò, vbi non adesset in aliquibus Religionibus, extraneorum Confessariorum eligendo-

rum inhibitio, eam profectò pro Religionis vnitate, fidelitate, atque existimatione, vt quidem, non minus prudentes, quam pij, atque zelantes, Auctores animaduertunt, seruanda, ducamus, introducendam, sic, vt non nisi per rarò, puta ad scrupulum extraordinarium exonerandum, aut ob eligendi extraordinariam sanctitatem, & similia, non concedatur optio; Ne frequenter exposcentes, ex improba conscientia veriùs, quàm ex deuotione, verisimiliter permoti, in malis confoueantur etiam si sint Prælati.

9 Quantum tamen ex indulto Pontificis, cuique Prælato Regulari, quempiam simplicem Sacerdotem, etiam extraneum sibi in Confessarium Regulariter eligere fas est. Quid autem in casu Iubilæi, in quo non datur optio, nisi eligendus sit ex approbatis à suo Ordinario? prætermisso, an nomine Ordinarij veniat solus Episcopus, vbi dicatur à loci Ordinario, ex quo alij, quamuis respectiuè Ordinarij, non tamen loci Ordinarij dicantur; quod non est præsentis instituti decidere. Firmiter adhuc Prælatis Regularibus, quemcumque simplicem Sacerdotem, pro Iubilæo consequendo, sufficere substinemus. Amabò, prætendit ne aliud Iubilæum, quam gratias ampliare, concedendo quod desiderabatur, & licitum reddendo, quod antea non liceret? cur ergò facultatem antea licitam, atque permissam adimere suspicabimur, beneficium ad multiplicandos fauores, inter quos, optio Confessarij præcipuus dignoscitur, planè institutum? ergò onus potiùs, & grauamen, quam munus, & Iubilæum esset prætitulandum, cum læderet, & grauaret, nefas, quod cæteroquì fas esset, reddendo. Quorsum autem lædere dicamus, cum sit merum Principis beneficium, nulli ferens iniuriam, nec vllius detrahens Iurisdictioni, cum Prælatis Regularibus, quippè imme-

Digitized by Google

diatè Papæ subiectis, à nemine expectanda sit suorum Confessariorum approbatio, præter ipsum Papam?

Quorsum etiam requiris in Confessario Iubilæi maiorem, seu euidentiorem litteraturam, media proindè Ordinariorum approbatione canonizandam, ex quo in Iubilæo, de reseruatis grauioribus casibus relaxandis agatur, cum non sint ij casus quò ad Regulares Prælatos reseruati, vt in expositione Bullæ Cænæ Deo dante explicabimus, nec in electis Confessarijs ab ipsis, requisita fuerit iure antiquo maior litteratura, quàm simplicis Sacerdotis, eò tunc existimata, & semper iure optimo existimanda sufficiens, quod Prælatus eruditus, quantum opus esse possit, communiter præsumatur? quæ fuit ratio propter quam d. c. Ne pro dilatione, *nulla alia conditio, quam prouidi, & discreti, in Prælatorum Confessarijs fuerit requisita. De quibus tamen omnibus, quò ad Prælatos Regulares forum pænitentiale concernentibus, ex instituto c. De Regularium Confessarijs disputaturi; hæc pauca tetigisse sit satis.*

10 *Hoc itaque iacto fundamine, posse, nimirum ex vno capite, quemlibet in se ipsum mediatè, uel immediatè, iurisdictionem exercere, ni specialiter prohibeatur, quod vtiq; Summo Pontifici, nullum recognoscēti superiorem, accidere nequit; & ex alio, nequaquam Ecclesiasticis Prælatis denegatam esse, suæ obtinendæ absolutionis necessariam iurisdictionē, quinimmò, tàm implicitè, quàm explicitè esse permissam atq; addiudicatam; tanta Pontificij ædificij moles auspicato erecta, magis consurgit, ac consolidatur, scilicet indubiè Pontificem ex eisdem fontibus, quibus cæteri Ecclesiastici Prælati iure possunt in se ipsos, suam pariter iurisdictionem, vt minimum, deriuare: aut nimirum implicitè, ex tradita sibi à Christo plenaria iurisdictione, ad totam Ecclesiam, cuius ipse est*

membrum principale, iudicandam; quod esset vti secum indirectè iurisdictione, pro omnibus fidelibus concessa. Aut ex interpretatiua mente ipsius Christi, elicita, ne illum redarguamus, quod quàm abundè pœnitentialem absolutionem, secundam tabulam post naufragium, cæteris indulserit; capiti, contra omne ius, & fas, deindè denegauerit prætermisso nunc, an Christus Summo Pontifici contulerit hanc iurisdictiouem, alijs postmodum pro se ipso delegandam, an verò eam cuicumque, ab ipso Pontifice electo, intelligatur successiuè contradere, quod nihil refert.

Sed quid iurisdictionem hanc Pontificiam, ex fontibus alijs Prælatis communibus emendicamus, cum Summus Pontifex, non minus in hac re, quàm in cæteris, sit omnibus alijs quibuscumque anteferendus? ex speciali igitur Pontificatus munere, hanc iurisdictionem elicimus, ac firmiter confitemur; prorsus vt à munere Pontificatus eam auferri impossibilem agnoscamus; vsque adeò, quod, seclusis concessionibus implicitis, explicitis, vel interpretatiuis, quibuscumque alijs Ecclesiasticis capitibus adiudicatis; Pontifex nihilominus, nec cum ijs, nec ad eorum instar, sed iure proprio, principali, & peculiari Pontificatus fulgeat hac iurisdictione, ex natura rei, non modò, quatenus iudicium pœnitentiale visibile cum sit, superiorem pariter, à quo illius iurisdictio profluat, qualis non est Christus inuisibilis, requirat, ex Regula quod Iudex, & Iudicium in eodem ordine esse debeant; verùm etiam, quod ipse Pontifex iudiciorum omnium Ecclesiasticorum Supremus Iudex cum sit, nulla suppetit ratio, cur ius habens in aliena iudicia; idem non habeat in suum; tum tandem quod huiusmodi iudicium pœnitentiale non nisi iniuriam, Ecclesiæ irrogatam, abrogare habeat, cuius ius omne, cum Pontifex Ecclesiasticæ Monarchiæ Princeps constitutus à

Christo, sit consequutus, consurgit suaptè natura, quod ipse omnes iniurias, suis etiam comprahensis, condonare sit potis; potiori etiam Iure, quàm alij Supremi, atque absoluti Principes; cum ipse ab ipsa Monarchia vt alij, suam Iurisdictionem non sit sortitus, neque Ecclesiæ propter peccatum offensæ, ex vi coactiua, vt cæteri fideles, sed solùm directiua, satisfacere teneatur; quæ omnia cum superiùs fuerint pro dignitate à nobis explicata; hic summatim tantùm recollegisse sufficiat.



CAPVT XXIX.

A PONTIFICE SVMMO ORDINIS POTESTAS QVAM HABEAT DEPENDENTIAM.

ELENCHVS.

1 Episcopalis Ordo ex institutione Diuina.
2 Quì à Pontifice Maximo pendens.
3 Eius exercitium interdici valet.
4 Presbyteri Potestas, Iurisdictioq; pro pœnitentiali inuisibili Iudicio faciundo, procul dubio Iuris Diuini.
5 Ex Tridentina Synodo, sacrisq; Canonibus.
6 Vt pendeat ab Ecclesia, eiusq; capite Pontifice Summo.

Diuina opitulante Gratia, multa ad Potestatem Ordinis, multaque ad Potestatem Iurisdictionis pertinentia expediuimus; Prolixitatem doctrinæ, quàm necessitate metiebamur; laconismo maximè rependentes. E carcere nunc ad calcem ducti, ex instituti ratione, superest vtriusque Potestatis

dependentia à Summo Pontifice veſtiganda. Quoniam verò ab exordio libri huius, Prælatorum omnium Poteſtatem bipartiuimus in Ordinis, & Iuriſdictionis; Hancq́; Iuriſdictionis, iuxta bipartitionem fori, in internam, ſeu pœnitentialem, & in externam, ſeu contentioſam ſecuimus; Ideò triplicato capitum numero, de harum omnium dependentia Poteſtatum inquiremus. Ad præſens igitur caput accedentes, cum Ordinis Poteſtatem, alteram eius, qui in Presbyterum; alteram eius, qui in Epiſcopum ordinatus eſt, diſtinxerimus, claritatis ergò bipartita itidem methodo procedemus.

1 *Et verò quod Apoſtolus, aliò licet intentus, veriſſimè protulit:* Non eſt Poteſtas niſi à Deo. *Ordinis Epiſcopalis Poteſtati non minus appoſitè, quàm, & luculenter applicuit* Tridentinum ſeſſ. 23. de Sac. Ord. c. 4. *ibi:* Sacroſancta Synodus declarat Epiſcopos, qui in Apoſtolorũ locum ſucceſſerunt, poſitos eſſe ſicut Apoſtolus ait, à Spiritu Sancto. *Cum enim non ſint Epiſcopi, quòad Poteſtatem Iuriſdictionis, à Spiritu Sancto, ſed à Pontifice poſiti, vt ſequentibus capitibus innoteſcet, liquet de Poteſtate Ordinis intelligere Tridentinum.*

Quod clariùs etiam diſpaleſcit ex ſequentibus, ibi: Docet inſuper Sacroſancta Synodus in Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cœterorum Ordinum. *Cur, obſecro Tridentinum in eadem Ordinum ſeriè dinumerauit Epiſcopatũ? Certè vt quod indubitatum eſt, cæteros Ordines ex inſtitutione introductos Diuina, indubitatũ itidẽ haberetur de Epiſcopatu. Determinatio quippè plura reſpiciens determinabilia, æquè omnia habet determinare, ut certi Iuris eſt regula. Tùm magis quod inibi Epiſcopatus Ordo nuncupetur. Ordinationem aũt eſſe Iuris Diuini manifeſtè oſtendit, quod per ipſam detur Spũs Sanctus, et imprimatur*

Character,de mente eiusdem Concilij d. seff.can.4. *ibi:* Si quis dixerit,per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, aut non imprimi Characterem, Anathema sit. *Quodque Sacramentum à Christo institutum, ab eodem Concilio dicatur* seff. cit. can. 3. *ibi:* Si quis dixerit, Sacram Ordinationem non esse verè, ac propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, Anathema sit. *Quæ verba prolata de Ordinatione strictè sumpta, scilicet de collatione Ordinum, valent propriissimè in sententia saniori, Episcopatum Ordinem esse, & conferre Gratiam, & Characterem distinctum à Charactere Sacerdotali asserente. Et quid miri? Cum Episcopatus Gratiam, & Characterem adducat tùm ordinato Episcopo, tùm ordinandis postmodum ab eo, ad quos effectus, nulla vnquam pertingere datur humana institutio.*

Hinc Potestatem eiusmodi nequit Episcopus à se abdicare, Sicut potest alteram Iurisdictionis, quod de facto contingit in renuentibus gubernare. Atq; adeò circumscripta ab Episcopo quacumque Iurisdictione, immò quamuis renunciasset loco, & Dignitati Episcopali, Ordinatio, quæ ab ipso deinceps haberetur in quemcumque sibi consequenter non subditum, quamuis illicita, esset nihilominus valida, vsque adeò, quod ob Characteris impressionem, iterari fas nullatenus esset. est casus expressus in cap. 1. de Ordinat. ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui; vbi de quodam Episcopo, Dignitate, ne dum loco, sponte abdicato, mox roganti recensetur Ordines contulisse, de quo postmodum consultus Pontifex, sic ordinatum non modò validè ordinatum decernit, sed ministrare posse, si minoribus initiatum, si maioribus; dispensatione tamen indigere.

2 *Atqui, numquid eiusmodi Ordinis Potestatem à Pontifice*

Digitized by Google

Maximo nullatenus æſtimes dependere? falleris. quì enim licitè Ordinari valeat Epiſcopus, non habita à Pontifice Maximo facultate, immò non prius ab eodem electus, & confirmatus? Id quod omnimodam dependentiam, in executione, innuit huiuſce Poteſtatis Ordinis ab ipſo Pontifice, quatenus, neutiquam conferretur, niſi Pontifex facultatem dediſſet. neque enim ue cordes adeò eſſent Epiſcopi Ordinantes, vt à Summo Pontifice non electum, non confirmatum, ipſo inſuper inuito, auderent Epiſcopali Ordinatione condecorare.

Licet autem Apoſtoli, Pontifice Petro inconſulto, Epiſcopos complures validè, & licitè ordinauerint, vt Paulus Titum Cretæ, Thimotheum Epheſi. Dionyſium Athenis; nunc tamen temporis, nullus Epiſcopus hac Apoſtolorum facultate congaudet. Neque etenim Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, in facultate Iuriſdictionis, ſicuti neque in alijs pluribus prærogatiuis, puta Eccleſiam fundare, de fide conſcribere, diuerſis alloqui linguis, miracula patrari; quæ omnia propriè munus Apoſtolatus, non Epiſcopatus comitabantur, ſed intelliguntur ſuccedere quò ad ſolam Epiſcopatus dignitatem, ac præeminentiam, quatenus Epiſcopatus nunc etiam prima ſit dignitas, poſt Pontificiam, ſicuti in primitiua Eccleſia poſt Chriſtum, loco, & dignitate inſequebantur Apoſtoli, quo diſtinguebantur à 72. Diſcipulis, nunc per Presbyteros repræſentatis, cum tamen nec ipſi Presbyteri Diſcipulis ſint per omnia æquales, cum aliqui Diſcipulorum tunc temporis, ſolo Diaconatu fuerint inſigniti, vt Philippus, & Stephanus, Actorum 6. Quò ad Iuriſdictionem, inquam, nullatenus Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerunt. Hos namque vtpotè à Chriſto poſitos, ad fundandam Eccleſiam, in tota Eccleſia Iuriſdictionem decuit habuiſſe. Vndè Paulus 2. ad Corinth. 11. *ſe dicit omnium habuiſſe Eccle-*

ſiarum ſolicitudinem. Ad quid autem ſuccedaneis Epiſcopis vniuerſaliſſima Iuriſdictio concedetur? Immò nec ipſi Epiſcopi ab Apoſtolis Ordinati, præter quam certis locis, præſtitutam Iuriſdictionem conſequuti ſunt, vt Titus Cretæ, Thimotheus Epheſi, Dionyſius Athenis. Quin adhuc ea qualis qualis iuriſdictio ſuccedaneis Epiſcopis deinceps addiudicata, non vi Ordinationis, ſed tota deſcendit à Sum. Pont. vt latiùs vltimo capite demonſtrabimus.

Amplius Pontifici Maximo non ſit fas, nullum creare Epiſcopum, quod iſti ſint neceſſarij, pro tam diffuſa, in toto Orbe Terrarum, Dei beneficio, Sancta Orthodoxorum Eccleſia gubernanda; vt ideò ipſi quoque Apoſtoli, cum adhuc infans eſſet Eccleſia, alios nihilominus ſibi aſciuerint ſuffraganeos Epiſcopos, Titum, Timotheum, Dionyſium, cum facultate inſuper alios etiam ſubſtituendi, quemadmodum Petrus creauit Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum, cum Iure, in Aſia, & Africa, Epiſcopos alios inſtituendi,

Attamen integrum, ac liberum, quis neget eſſe Pontifici, eſtò illicitum, nullum in Eccleſia inſtituere Epiſcopum, ſicuti liberum ſimul, ac licitum eſt, hunc potiùs, quàm alterum, aut neutrum creare? Quid igitur, ſi Pontifex nullum vellet in Eccleſia Epiſcopum, poſito quod vniuerſi decubuiſſent, ita ut ex creatis nullus iam eſſet ſuperſtes? Certè nullum, hoc caſu, aliundè haberemus Epiſcopum; Ergò quos habemus, à Pontifice Summo, quò ad electionem, & exequutionem, dependentes fateamur, ne dum quò ad Poteſtatem Iuriſdictionis, verùm, & Ordinis, quæ à nemine, niſi à Pontifice Summo, tunc caſus valeret impendi.

Quod ſi ad memoriam reuoces antiquas Epiſcoporum electiones, quæ à Populo fiebant. illas ſcito fuiſſe tantùm deſignationes

perſonarum, quæ poſtmodum debito ritu, ſacriſque cæremonijs, ſacramentali Ordinatione initiabantur. Et quibus neq; populus iuriſdictionem dabat: nequit enim inferior Superiori Iuriſdictionem tribuere; ſed dabat Summus Pontifex, quatenus ſic ab initio conſtituerat, vt poſſet populus ipſo inconſulto, perſonam Epiſcopi deſignare; qui enim dat eſſe, ſeu concedit aliquem in eſſe conſtitui, quale eſt aliquem conſtitui in munere Epiſcopali, & Paſtorali; cenſetur etiam, eò ipſo, dare omnia conſequentia ad eſſe, cuiuſmodi eſt iuriſdictio, debita tali muneri paſtorali.

Addere his opinionem poſſes, ſi vera eſſet, Innocentij, & Abbatis, in c. Quanto. de conſuetudine, *aſſerentium Poteſtatem conferendi Confirmationem, & Ordines, poſſe per Summum Pontificem, ab Epiſcopis auferri. At* Couarr. lib. variarum reſolutionum c. 10. nu. 8. *hanc opinionem periculoſam exiſtimat.* Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione c. 22. *damnat, vt hæreticam: eò quia Poteſtas hæc Ordinis, ſit Iuris Diuini, in Epiſcopis, deturque per Conſecrationem, deſcendentem à Chriſto, tanquam ab Inſtitutore, & à Deo, tanquam ab agente principali, quæ proindè adimi nequit, ſicut nec Character per ipſam phyſicè impreſſus Epiſcopalis.*

9 *Illud tamen eſt verum, ſecundum prædictos Doctores, Summum Pontificem, poſſe ex cauſa, functionem, & exercitium talis Poteſtatis interdicere, aut apponere circumſtantias, ne ad actum ſecundum, illis non ſeruatis, niſi illicitè prodeat, vt eſt caſus expreſſus in* c. finali p. q. 2. *ibi:* Lugdunenſis Parochię Clericos, quos contra ſtatuta Canonum, ab alterius Parochię Epiſcopis ordinatos, &c.

Huc ſpectat vulgare illud veriſſimum philoſophorum effatum. Cauſam cauſæ, eſſe cauſam cauſati. Vt licet nunc Ordinatio huius,

Digitized by Google

in Episcopum, ab alijs Episcopis impendatur, ad summum nihilominus sit referenda Pontificem. Cum Episcopis Ordinatoribus, longa, & interrupta Episcoporum serie, per Sacram Ordinationem, ipse fecerit originariam facultatem.

Demum si contingeret Pontificem Maximum, immediatè Episcopum aliquem ordinare. tunc patens esset dependentia ordinati ab ipso; concurreret enim Pontifex per suum Characterem Episcopalem, in ratione physicæ, & realis causæ quamuis instrumentalis, quatenus suo Charactere eleuaret Ordinationem, ad imprimendum physicè Characterem in ordinatum.

Instrumentalis, inquam, quia nimirum virtus physica alterius Ordinis conferendi, aut est solus ipse Episcopalis Character, aut vltra Characterem, quidam superadditus specialis, actualis Dei influxus, si primum. quì dicas Pontificem causam principalem? Est enim Character, Virtus Dei non hominis Pontificis, superans principia humana, & naturalia, quorum est supra exigentiam, vt ideò per Characterem, dicatur Pontifex agere in Virtute Dei ex quo talis Virtus sibi indèbita, & supernaturalis descendit. Si secundum placeat, nimirum vltra Characterem, superaddere specialem nouum Dei actualem influxum. Adhuc, cum neque debitus sit hic specialis influxus, hominis Pontificis humanis, ac naturalibus principijs, vti dictum est de Charactere. vtiq. Pontifex per eiusmodi virtutem, causam principalis appellari nequibit.

Estò porrò sit influxus debitus Characteri Pontificis, quatenus Episcopus est, vt nimirum medio Charactere, valeat deindè exercere sua munia; quorsum hinc nihilominus Pontificem prædices causam principalem? Ad id quippè non sufficit. virtus, vtcũq. debita, sed insuper requiritur, vt sit debita iuxta naturalem

exigentiam eius, cui ineſt, quomodo non eſt, vt diximus, debitus, hic Dei influxus principijs humanis, & naturalibus hominis Pontificis; quodq́; ſit ſaltem Characteri debitus, quo deindè ex eo contradat Pontifex Ordinem Epiſcopalem non reddit adhuc Pontificem, pluſquam cauſam inſtrumentalem, ni velis omnia inſtrumentorum genera, rationem induere cauſæ principalis: Ex eo quod influxus primi agentis debitus ſit virtuti, per quam operatur. Hæc cenſuimus pro dependentia Poteſtatis Ordinis Epiſcopalis à Summo Pontifice.

4 *Ad Poteſtatis nunc Ordinis Sacerdotalis dependentiam, gradu concito properamus, Prætermittimus autem hoc loci, quam habet Sacerdos Poteſtatem in Corpus Chriſti verum, ſolùm inquirentes de exercenda in Corpus Chriſti miſticum in foro pœnitentiali.*

Quam quidem, quò ad faciendum inuiſibile iudicium coram Deo, incluſa inuiſibili pariter Iuriſdictione, lege indiſſolubili, internum hoc Iudicium, vt ſupra oſtendimus, comitante, Iuris eſſe Diuini, nemo niſi delirans, iret inficias. In ipſa namq́; Ordinatione Sacerdotis, Epiſcopus Ordinans, manus, hac forma, imponit. Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris, &c. *Quæ verba apertiſſimè vnà cum facultate proferunt actuale exercitium remittendi, quo Poteſtas omnibus numeris abſoluitur, & completur. At verba Sacramentalia, tota aſtipulante Theologorum Schola, id totum conferunt, quod ſignificant, vt ſubindè Sacerdos, per ipſam Ordinationem immediatè, totam cenſeatur abſoluendi Poteſtatem integram, & expeditam conſortiri.*

Sacerdos item abſoluit hac forma: Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius abſoluo te, &c. *At verò Poteſtate ſaltem ex parte, ab Eccleſia recepta, con-*

tra hanc formam, communemque sentiendi modum, nomine ipsius Ecclesiæ absoluere liceret, ad instar absolutionis ab excommunicatione, quæ absolutio Ecclesiæ, ita fit nomine, sicut auctoritate, hoc ipso quod ab Ecclesia saltem in traditione, si non in institutione à Christo manante, dependeat.

Amplius absoluendi Potestas, cum ad producendam gratiam, qua pœnitens iustificetur, dirigatur, in reali aliquo consistere, est opus, quod cum nequeat esse habitualis gratia, media Sacramentali Ordinatione tributa, quæ est Potestatis effectus, neque aliud præter Characterem Sacerdotalem, sit assignabile; in ipso vtique Charactere sistere consequens fit, indè est quod nulla inueniri possit Potestas in non Sacerdote, carente nimirum Charactere. Sed nec Ecclesia, aut quæuis alia humana potestas, valet vt principalis causa, Charactere effectum supernaturalem impartiri. omnis igitur potestas hæc erit à Deo.

Id quod hac ratiocinatione verissimum conuincitur. Aut enim Character, quibusdam subscribentibus, moraliter tantùm concurrit, nimirum vt signum pacti, inter Deum, & Sacerdotem, deprabendo suo supernaturali influxu, quo impendendam absolutionem eleuet ad physicam gratiæ productionem, peccatorum in anima formaliter expultricis; & tunc Sacerdos, ex quo per Characterem, vi Ordinationis impressum, ius acquisiuerit, obtinendi à Deo talem concursum, ad re ipsa absoluendum; qua quæso virtute alia, seu Potestate absolutionis poterit indigere? vel fateberis, Dei Potentiæ, ac Prouidentiæ, iniuriosus, illum ipsum concursum, inopem, imperfectum, ac creaturæ adminiculo suffulciendum.

Aut concurrit Character physicè, & realiter, vt nostra docuimus sententia, tùm ad exagerandam Sacerdotalis Ordinis di-

 gnitatem,

Digitized by Google

gnitatem, tùm quia Character ſupernaturalis qualitas, ſolius ſigni munus obeundo, inutiliter in anima indè iaceret; Et ita ſi eſſet virtus imperfecta, alterius indigens ad operandum, expectandæ deinde ab Eccleſia, ſequeretur aut Eccleſiam, ſupra vires natiuas, iungere effectum ſupernaturalem, cum ſupernaturali Charactere, pro effectione gratiæ, aut ipſam gratiam dependere à naturali virtute, vel potiùs morali Eccleſiæ Poteſtate. Vtrumque abſurdiſſimum.

Dehinc ad tollendum peccatum, Dei offenſam, ſanè non niſi Dei offenſi eſt facere facultatem. tritum enim illud; eius eſſe remittere, qui fuerit offenſus, modò offenſo non præſideat alius, qualis in Republica Princeps, qui ideò, quod in communitate Superior eſt conſtitutus, ſicuti propter Ius omnium, & ſingulorum Ciuium in ſe transfuſum, poteſt vnicuique reddere quod ſuum eſt, ita valet offenſos Ciues, quamquam ſine piaculo pertranſire. At Deo nullus Superior reperitur. quin etiam, ſi peccatum phyſicè conſideretur, vt macula ſita in priuatione gratiæ habitualis, adhuc ſolius Dei, tanquam auctoris, etiam in executione, eſt ipſa remiſſio, cum ſit principalis cauſa Characteris Sacerdotalis, inſtrumenti phyſicè eleuantis Sacramentum ad gratiæ productionem, qua formaliter eius priuatio abigatur.

5 *Luculentiſſimã hanc veritatem* Tridentinum *edocuit.* ſeſſ. 23. de Refor. c. 15. *ibi:* Presbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſoluendi Poteſtatem accipiunt. *totam igitur, & expeditam Poteſtatem hanc deſcendentem ab Ordinatione fatere. &* *amplius habes cõprobatũ ex ijs, quæ inibi ſequũtur.* Decernit tamen Sancta Synodus, nullũ poſſe Cõfeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari, niſi approbationem accipiat. *En tibi approbationẽ dũtaxat ab Eccleſia depẽdere. Obſerua vlteriùs,*

quæ ante docuerat, idem Trident. sess. 14. de Sacr. Pœnit. c. 6. *ibi:* Sancta Synodus docet quoque etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti, in Ordinatione collatam, tanquam Christi Ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque praué sentire, qui in malis Sacerdotibus, hanc Potestatem non esse contendunt. *Hæc perpendens de mente Tridentini, nequibis ambigere. Non solùm enim Potestatem contendit inesse Sacerdoti per virtutem Spiritus Sancti, in Ordinatione collatam, sed etiam Potestatis exercitium: cum dicat* functionem remittendi peccata exercere *quod idem est, ac inesse Sacerdoti integram, expeditamque Potestatem.*

Eandem veritatem habes exploratam, c. Adijcimus, §. ecce. 16. q. 1. *ibi:* Monachi in dedicatione sui Presbyteratus, peccata remittendi ritè potestatem accipiunt, tamen exequutionem suæ potestatis non habent, nisi à Populo fuerint electi. *Et c. Generaliter §. ecce. d. causa, & quæst. ibi:* sicut ergò in benedictione vtriusque: *scilicet Monachi, & alterius Presbyteri:* communem nanciscuntur Potestatem, ita in institutione communi, idest in Ordinatione Presbyteratus, etiam assequuntur Potestatis exequutionem. Cœterùm absque Episcoporum licentia, non solùm Monachis, sed etiam omnibus generaliter Clericis Potestatis exequutio interdicitur.

Quibus Canonibus Nauarra *teste* in man. c. 27. n. 259. 260. *coactus Panormitanus, vir consultissimus, ætate iam grauis, mutauit sententiam, quam tunc iam pridem docuerat, in c.* significasti. de foro competenti. *Eidem postea omnibus penè applaudentibus, referente* Stephano in additione Cap-

pellæ. deciſione 221. *Manifeſtiſſimè enim ex ijs euincitur expeditam, quam intendimus Poteſtatem, ipſa Presbyteralis Ordinationis vi conferri. Ex quo enim notatur* c. Adijcimus: tamen exequutionem ſuæ Poteſtatis non habet, niſi à populo fuerint electi, *inferendum eſt, Poteſtatem integram Sacerdotalem iam eſſe collatam, cum electio populi pænitentis nullam ad abſoluendum potis ſit: ut latè docebimus c. Vltimo: tribuere Poteſtatem, id quod etiam planius ſit* ex d.c. Generaliter, *ibi:* Cœterùm abſque Epiſcoporum licentia, non ſolùm Monachis, ſed etiam omnibus generaliter Clericis Poteſtatis exequutio interdicitur. *En Epiſcopali ſolam licentiam requiſitam, vt Sacerdotes ab abſoluendis eligi poſsint, non verò vt recipiant Poteſtatem, quæ ſub ijs verbis inuoluta expreſſa fuerat in principio eiuſd. can. ibi.* Monachis Presbyterij honore decoratis, à populo electis, ab Epiſcopis inſtitutis, eadem licent, quæ, & alijs Sacerdotibus. *Conſequutiuè ad præcedens allegatum* c. Adijcimus, *ibi:* Exequutionem ſuæ Poteſtatis, non habent niſi à populo fuerint electi.

Accedat c. placuit de Pœnit. 6. d. *ibi:* Nulli Sacerdotum deinceps liceat quemlibet commiſsum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu, cui prius ſe cōmiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confeſſus eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere tentaret, gradus ſui periculo ſubiacebit. Et c. 1. 13. q. 1. *ibi:* Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus Parochias, & cęmiteria eis diuiſimus; & vnicuiq; ius propriū habere ſtatuimus, ita vt nullius alterius Parochiæ terminos, aut ius inuadat.

Non audis ante dictas prohibitiones, indifferenter Sacerdotes abſoluere? Quid enim ſibi volunt ea verba d. c. placuit, Dein-

ceps non liceat? *Et* d. c. 1. 13. q. 1. Eccleſias ſingulas ſingulis *Presbyteris* dedimus? *ergò Poteſtatem iam ſupponuntur habere. Quod expreſſiùs quoque elicies* ex c. 1. eiuſdem diſtinctionis *6. ibi:* Qui vult confiteri peccata vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere. *Scientem ſolum debet querere? non ergò potentem ſimul, quod ſi ſcientem, & potentem quærere debuiſſet, cur eſt dictum, non niſi* ſcientem? *niſi quod præſcribebatur ibidem tantùm electio, cuius etiam concedebatur optio directa ad ſolam ſcientiam, non poteſtatem abſoluere debentis, quia nimirum iam cunctis Sacerdotibus erat poteſtas expedita abſoluendi, hoc eſt realiter delendi, per gratiæ infuſionem, peccata, circumſcripto quocumque expectandæ ab Eccleſia moralis facultatis influxu, qui nullus realis eſt. ſolius nempè facultatis itidem realis, in Ordinatione acceptæ, influxu, quali dumtaxat ad gratiæ formaliter expultricis peccatorum, productionem, eſt opus.*

Adeſt igitur vi Ordinationis, hæc facultas, cuius interdicitur executio dictis Canonibus, quæ namq. non adeſt, nequit impediri prohiberiuè. ita ut prohibitio, ſolùm cadat ſupra exequutionem illius abſolutionis priùs actualiter exercitæ, neutiquam ſupra facultatem, nec enim Eccleſia contendit vnquam adimere facultatem, de qua ne quidem fecerat mentionem, ſed illius tantummodò exercitium; quo non vſurparetur, non adhibitis debitis circumſpectionibus, prout animarum ſalus exigere videbatur.

Quinimmò d. c. Placuit. *particulæ* Non liceat, & qui ſecus fecerit gradus ſui periculo ſubiacebit. *aliud non uidentur innuere, niſi actum, aliàs ſequutum, illicitum, non verò inualidum: quatenus facultas altera moralis, ab Eccleſia tunc manutenebatur, ſolaque deſignatio Sacerdotum præſcribebatur, vt cir-*

cumſtantia reddens abſolutionem illicitam, & deordinatam, non autem inualidam. Quod etiam inſinuant illæ d.c. 1.13. q. 1. Vnicuiq; Ius proprium habere ſtatuimus, ita ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut ius inuadat.

Facit magis, quod ante Vrbanum ſecundum Canonis huius conditorem fuerat idipſum prohibitum per Dionyſium, & Calliſtũ Pontifices, & nihilominus non obſeruatum, niſi poſt Vrbanum denuò demandantem: quod indicat Auguſt. *ex quo d.Canon, Placuit, deſumptus eſt. Qua de re, ne dicas Eccleſiam toto illo tempore, inter Dionyſium, Calliſtum, et Vrbanum, pertuliſſe Sacramentum pænitentiæ inualidum, fatendum tibi eſt, Sacerdotio, ad abſoluendum, adfuiſſe tunc facultatem, etiam moralem, ab Eccleſia: quanto magis alteram integram, & expeditam realem Poteſtatem, ad phyſicam productionem gratiæ ſimpliciter neceſſariam?*

Cæpit autem prohibitio in morem poni, à præfato Vrbano Pontifice, cuius prohibitionis hæ fuerunt in cauſa, requiſitæ dotes in Sacerdote: Eruditio, Prudẽtia, Cognitio morũ, Ingenij, ac indigentiæ pœnitentis. Quibus cũ, Sacramentũ hoc expedit exerceri. Vt hinc cũ his non ſit opus, pro abſoluẽdo à venialibus, ritè docuerint aliqui, cũ eadem prohibitione ſtetiſſe, ac ſtare Poteſtatem rectè à venialibus indiſcriminatim, ac inceſſanter abſoluendi. Certa .n. Iuris eſt Regula, vim legis excedere non debere rationem ſui ipſius, c. Suggeſtum, *adiuncto* c. Meminimus. de Appellationibus.

Addamus poſtremò c. Vtriuſq; ſexus. de pœnitentijs *ibi:* Omnis vtriuſq; ſexus fidelis confiteatur proprio Sacerdoti. ſi quis autem voluerit iuxta de cauſa, alieno Sacerdoti, ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, & ligare.

Digitized by Google

Quibus apparet ex præcepto Eccleſiæ, nil aliud prærequiri præter licentiam, quæ cum non det, ſed facultatem ſupponat, quo pacto eam etiam ſupponit prohibitio illam impediens, fit vt tota facultas realiter ligandi, & abſoluendi animam à peccatis, cum iuriſdictione intrinſecè neceſſaria ad tale ius dicendum, cum ſine iuriſdictione nequit ex dictis, conſiſtere Iudex, aut iudicium tota reſideat, vt Ordinationis, in Sacerdote.

Quam non indè putes ab alieno Sacerdote abeſſe: eo quia d. c. *dicatur*. aliter ipſe non poſſit abſoluere, & ligare. *Etenim loquitur textus de ſola potentia, ſeu facultate morali, quæ prouenit ab Eccleſia nullatenus ingrediente poteſtatem producendi Gratiam, per quam realiter deleantur peccata, de qua eſt ſermo: niſi dicamus cum vſitato modo loquendi, Sacrorũ Canonum, quandoq; non poſſe, quod tantùm iure prohibente nequimus. Immò ſi ex d. c. & alijs ſuperioribus, eſt prærequiſita licentia proprij Sacerdotis, in omnibus pænitentibus non exceptis, quorum execeptorum meminit*, c. Ne pro dilatione. de pœnitentijs, *ibi:* Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam pręter ſui Superioris licentiam, proui dum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſarium. *Cur ad vſq; tẽpora Tridentini, paſsim Sacerdotes ſinguli, licet non Prælati alios ſibi liberè, & indiſcriminatim eligebant, quibus teſte* Nauarra d. c. Vtriuſq; ſexus n. 12. *ſua peccata confiterentur? Id certè non propter poſitiuam conceſsionem, quia nullibi inuenitur, non ratione conſuetudinis, nam* c. Si Epiſcopus. de pœnitentijs in 6. *ibi:* Nulla poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis pręter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit abſoluere, & ligare. *Supereſt ergò, vt iure proprio, quod inquit hic Doctor, id fecerint. quod ſanè*

non ſubſiſteret,niſi prætermiſſa manutentione iuriſdictionis ab Eccleſia,expeditam facultatem, vi Ordinationis traditam, integrè realiterq́ ſic influentẽ in gratiam,ut nihil requirat ad exequutionẽ ſui realis influxus, præter ſolam pœnitentis ſubiectionem, vi eiuſd. pariter Ordinationis,in ſingulis pœnitentibus,iuxta illimitata verba, quorũ remiſeris, &c.*conſtitutã,liberè,ac ingenuè fateamur.*

6 *Verùm his abundè dictis,nec à propoſito longè diſpalauimus; etenim ex Tridentino,Canonibus præællegatis, vna ſimul,quæ, et quanta ſit huiuſce Sacerdotalis Poteſtatis, ab Eccleſia,ſeu ab eius capite Pontifice Maximo,dependentia, luculenter colligitur: Id namq́ important* Tridentini *verba allegata* ſeſſ. 23. de Refor. c. 15. *ibi:* Decernit tamen Sancta Synodus, nullum poſſe Confeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari, niſi approbationem accipiat. *Quibus adde in ſuperioribus, ſæpè numero illa alia commendata verba* ſeſſ. 14. Sacr Pœnit. c. 7. Quoniam natura, & ratio Iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos tantùm feratur. *Quibus declaratur neceſsitas poteſtatis dependentis ab Eccleſia, circa ualidam abſolutionem huiuſce Sacramenti.*

Idipſum important verba, c. Adijcimus *præcitata. ibi:* tamen exequutionem ſuę Poteſtatis non habent,niſi,&c. Et c. Generaliter,*ibi:* Cœterùm abſque Epiſcoporum licentia, non ſolùm Monachis,ſed etiam omnibus generaliter Clericis, Poteſtatis exequutio interdicitur. *Quibus concinunt verba,* c. Placuit. de Pœnit. 6.d. Et c. 1. 13. q. 1. Et c. vtriuſq; ſexus. de pœnit. *quatenus ſine licentia proprij Sacerdotis, Poteſtatem abſoluendi, irritam faciunt, & inanem.*

Nec immeritò fuit à Chriſto Pœnitentiæ Sacramentum, cum hac dependentia, ab Eccleſia, inſtitutum, vt in ſuperioribus latè

 edo-

edocuimus; tùm quia peccatum per Sacramentum remittendum, duplicem habet rationem iniuriæ, contra Deum ſ. & contra Eccleſiam, quæ inſtar Reipublicæ ad benè, beatèq; viuendum inſtituta eſt. Vndè remitti æquum fuit ab eo, qui ab vtroq; offenſo iudex ſit conſtitutus. tùm quia fuit maximè, tàm bono pænitentis, quàm rectæ huius adminiſtrationi Sacramẽti expediens; tùm etiam vt ſuauis eſſet inſtitutio, proportionataq;, & per iudicium uiſibile ab Eccleſia, cui ſubijcitur, pro conditione temporum, rerum, ac perſonarum, vtcumq; expedire viſum fuerit, dirigeretur, ac inſuper vt alterum inuiſibile iudicium, quo peccata ab Anima realiter depelluntur, eò nixum, per idem quoque nobis innoteſceret. quod perperam equidem impleretur, ſi illud viſibile, veram, propriamq; non haberet Iudicij rationem, ſiuè quò ad eſſentialia, ſiuè quò ad accidentalia, ſub pæna deordinationis, & quandoque etiam nullitatis, quæ præſcribere potis eſt Eccleſia, ſeu Summus Pontifex, velut Supremus Iudex, quemadmodum vt Supremus Princeps, in contractu matrimoniali, aliqua, ſua etiam auctoritate, præſcripſit. quod ſuis locis abundè explicuimus.

Eſſentialem itaque ex dictis, inuoluit miniſterialem dependentiam hæc Ordinis Sacerdotalis Poteſtas ab Eccleſia, eiuſque Capite Summo Pontifice; cum neque licitè, neque validè, abſque Poteſtate Iuriſdictionis ab eodem Pontifice, ſe ipſo, vel medijs ſubſtitutis, manante, ad actum prodeat. Quibus proportionis limitibus commenſuratis, quæcumq; pro dependentia Ordinis Epiſcopatus à Summo Pontifice, hoc eodem capite dicta ſunt, adiungas; vt ideò Presbyteralem Poteſtatem abſoluendi, ne dum Iuriſdictionis, ſed etiam Ordinis, à Summo Pontifice, ſimpliciter, & abſolutè acceptam, pluribus numeris, recognoſcas.

Digitized by Google

CAPVT XXX.

A PONTIFICE SVMMO IVRISDICTIONIS POTESTAS IN EXTERNO POENITENTIALI FORO REQVISITA QVAM HABEAT DEPENDENTIAM.

ELENCHVS.

1 *EXterior Iurisdictio, pro foro pœnitentiali, tota ab Ecclesia manans.*

2 *Interior, quæ ex Ordinatione Presbytero fit, neq; delegata, neque ordinaria.*

3 *Supernaturalis attamen illa exterior est.*

4 *Iurisdictionalis Potestas in foro Ecclesiastico Iudicandi, omnis propria, connaturalisque Maximi Pontificis muneri.*

5 *Ad quem cæterorum Prælatorum Iurisdictio referenda.*



IN foro pœnitentiali duplicem præteritis capitibus, Iurisdictionem agnouimus. alteram internam, externam alteram. Qui enim Potestatem illam, vi Ordinationis acceptam, perfectã, omnique ex parte, ad iudicandum de peccatis, coram Deo, integram fecimus, Iurisdictionem quandam internã

ei annexam, ex consequenti, adiudicauimus, ex quo Sacerdos; eiusdem Potestatis vigore, verus, ac legitimus Iudex constituatur, sitque Iudici cuicumq; Iurisdictio non minus essentialis, quàm ad rationem veri, auctoritatiuique Iudicij perficiendam, necessaria, vt multis supra firmauimus.

Hanc porrò internam Iurisdictionem, clausam in Ordinis Potestate, auspicari à Summo Pontifice, & qua ratione, ipsius met Ordinis Potestatis supra habita examinatio, non obscurè demonstrat. De externa igitur Iurisdictione nunc pauca disseramus.

1 *Quam vsquequaque descendere, non ab Ordine, sed ab Ecclesia, seu ab eius capite, Summo Pontifice, palàm tibi innotescet, si perpenderis quod* Tridentinum *significauit, contingere Sacerdotem nulliter absoluere, iurisdictionis defectu,* sess. 14. de Sac. Pœnit. c. 2. *ibi:* Absolutionem nullius esse momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Iurisdictionem. *quì enim reperiretur Sacerdos sine vlla iurisdictione ordinaria, aut delegata, si Iurisdictio ab Ordinatione descenderet? Sicut enim Sacerdos sine Ordine Sacerdotali non est, ita sine iurisdictione, ipsum Ordinem comitante, consistere impossibile foret: & quomodo vlteriùs eo casu, absolutio nullius esset momenti, si non interueniente defectu materiæ, scilicet peccatorum accusationis; non formæ, nempè Absolutionis; non Intentionis ministri, quæ omnia adesse supponimus; non denique deesset Potestas, & Iurisdictio, semel admisso, quod non ab Ecclesia, sed ex Ordinatione dimanet; præter quæ nil aliud essentiale ad validitatem Sacramenti, requisitum est?*

Nec vlteriùs si Iurisdictio vi Ordinationis haberetur, rectè supponeret Tridentinum *posse ab homine committi, & subdelegari: inquiens,* In quem Sacerdos Ordinariam, aut subdele-

Digitized by Google

gatam non habet Iurisdictionem, *& Florentinum dicens:* nisi ordinariam auctoritatem, aut ex Superioris commissione. *Sicut nec ea posset ex toto adimi, aut ex parte limitari: quemadmodum re ipsa auferre, limitareuè, suo Ecclesiam arbitratu, hactenus probatum est. Nonne etiam Iurisdictio dicit Ordinem essentialem ad subditos; cum Tridentinum ibidem inferat, ideò non habentem ordinariam, aut subdelegatam iurisdictionem, nulliter absoluere, quod natura Iudicij exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur? Age verò, quos subditos habet Sacerdos ex Sacramentali Ordinatione? non omnes fideles, cum contingat quandoq; Sacerdotem, ex eodem Concilio, sine Iurisdictione, vel ordinaria, vel delegata, atque adeò sine subditis omninò reperiri; non aliquos tantùm, cum nulla potior de aliquibus, præ alijs, discretio, verbis præsertim Sacramentalis Ordinationis.* Quorum remiseris, &c. *indefinitè se habentibus: vt ideò consequens fiat, Sacerdotem, sicuti vi Ordinationis subditos non nanciscitur, nec vtique Iurisdictionem, subditos necessariò inuoluentem, similiter nancisci.*

2 *Tùm magis quod Iurisdictionem hanc, vi Ordinationis, Sacerdoti sic prouenientem, neque delegatam dixeris, neque ordinariam: Extra quas nullam aliam moralem, seu externam Iurisdictionem agnouerunt Concilia. non delegatam, nam per Ordinationem, nullam delegari,* Tridentinum sess. 23. c. 15. de Refor. *apertissimè edocuit. ibi:* Nullum Regularem posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, neq; ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis idoneus iudicetur, & approbationẽ obtineat. *Quam quidem approbationem recipi extra Sacramentum, per deputatum examen; & ea approbatione media,*

Pontificem impertiri Iurisdictionem, pro comperto est. Non ordinariam, secus, ea à quocumq; Sacerdote simul cum Ordinatione comparata, Tridentinum, *loco sæpius citato, male dixisset*. Persuasum semper in Ecclesia fuit, nullius esse momenti absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem neq; ordinariam, neq; subdelegatam habet Iurisdictionem, &c. Vtriusque sexus. de pœnitentijs, & remiss. *malè statuisset*. Nullum posse alteri confiteri, quàm Sacerdoti proprio, aut de licentia illius. *Vbi per proprium Sacerdotem Doctores, aut Parochum, aut in foro interno Superiorem, aut Episcopum: sicuti per delegatum, quemlibet, cum sola licentia ab aliquo prædictorum, communiter intelligunt.*

3 *Irrefragabilis itaq; veritas esto, hanc externam Iurisdictionis Sacerdotalis Potestatem, etsi supernaturalem, quippè supra exigentiam, viresque naturæ; sicuti etiam aliam Ecclesiasticam Iurisdictionem quamcumque, à Deo institutam: Iuris tamen, non Diuini sed Ecclesiæ, seu Pontificis Maximi esse nuncupandam, ex eo, quod eidem Pontifici, vigore institutionis, qua Supremus totius Ecclesiæ constituitur Iudex, debita sit vniuersæ Iurisdictionis plenitudo; non secus, ac naturali agenti virtus, atque Potestas in suos proprios, sibique naturaliter competens effectus, debeatur. etsi deindè non inficiemur, eam plenitudinem Pontifici contradi immediatè à Deo, simul atque legitimè ab Ecclesia non institutus, sed solùm electus est; Ecclesiæ namque partes sunt ipsum eligere, ac designare, neutiquam potestate summa donare; cum ipsa veluti corpus, Pontifice capite inferior, ad tantum fastigium nullo pacto pertingere queat; quatenus quod in se non habet, alteri dare valeat nemo.*

4 *Nec solùm proprium, ac connaturale est Pontificis muneri,*

Digitized by Google

quibuscumque alijs inferioribus, iurisdictionalem iudicandi in foro Ecclesiæ, Potestatem elargiri; sed ita Iuri, ac statui suo proprium, perpetuum, ac connaturale, omnes, singulosq; fideles, vni sibi subditos, vniuersos iudicare, cēsendum est, vt quisquis ille sit, ipso inuito, ab alijs omninò validè, ne dum licitè iudicari nequeat; futurum alioquì, ne ipsum, caput in Ecclesia omnium fidelium, totius iurisdictionis fontem, ac originem, contra PP. & Conciliorũ, non minus frequentissima, quàm constantissima pronũciata, fas esset appellare.

Id quod etiam specialiùs cernere est in subiecta Iurisdictione Sacerdotali, adfaciendum iudicium externum, pro remittenda iniuria, in facie, seu approbatione Ecclesiæ, modo in Superioribus explicato, impartita. Siquidem non est huiusmodi nisi in genere moris iudicium, quò nil physicum in pœnitente producitur; sed ius tantum in eum dicitur, aptum per sua validitate, & auctoritate, ad iniuriam in facie Ecclesiæ moraliter, eidem condonandam; quæ iniuria contra Ecclesiasticam vniuersitatem cum sit, negari non potest, quin illius remittendæ Summus Pontifex, eiusdem Ecclesiasticæ vniuersitatis Iudex, & Princeps legitimus, & Supremus, Auctor esse debeat. & consequenter tamquam Iudex Supremus habeat sic dicere ius in Ecclesia, vt, ipso inuito, Iudicis personam substinere valeat nemo; sed ex sola concessione, commissione, aut delegatione ipsius, in idipsum quis nitatur, nequit enim quiuis, Ecclesiasticæ communitatis offensæ, substinere personam, ad eam offensam illi irrogatam remittendam, nisi in quem ipsius Ecclesiæ ius fuerit translatum; quod ex terminis innotescit, cuiusmodi solus Summus Pontifex esse dignoscitur.

Itaq; tota huiusce iniuriæ abrogandæ auctoritas absolutè, simpliciterque, ac tota in sua proprietate, à Pontifice Summo descen-

 dere,

dere, & de ipsius iure mediatè, vel immediatè esse, dicenda est. Mediatè, inquam, cum medijs Episcopis, ad Sacerdotes descendere non diffiteamur. Sat enim est, Pontificem principalem esse causam, cui subindè agendi, conferendique denominatio tribuenda, cuius comparatione cuncti inferiores Prælati, eiusdem Ministri Potestatis, ac exercendorum actum Iurisdictionis, instrumentariæ causæ dicendi sunt. licet Episcopis, comparatione deindè simplicium delegatorum, aut Ordinariorum cæterorum, sibi inferiorum causæ principalis appellationem ascribere, non sit abs re. Quid enim refert ad rem præsentem, hanc Iurisdictionem à Pontifice Summo, & simul etiam ab Episcopis, tanquam à causis principalibus, in inferiores deriuare, Cum vtrobique iure ab Ecclesia, quo differat ab Ordinis Potestate descendere, quod intendimus, concludatur?

5 Semper etenim hinc verum, Prælatos inferiores, non nisi virtute Iurisdictionis à Pontifice sibi factæ, operari; vt subindè reductiuè, terminatiuèque Pontifici ipsi omnis veniat Iurisdictio referenda, omnium veluti Ordinariorum, ne dum quò ad Ius, verùm etiam quò ad Iurisdictionis collationem, seu exequutionem, Ordinario. Quò ad Ius quidem, quia Iuris Pontificalis muneris, ac dignitatis est, omnem iurisdictionem, in Ecclesia, secus non esset Supremus Iudex, contentam, tribuere; Quò ad exequutionem autem, quia ipse causa est principalis, primaque vndè omnis alia dependet, & cui subordinatur Iurisdictio; nisi etenim ille cæteris iurisdictionem conferret, vel conferri annueret, seu permitteret, nemo in Ecclesia, iurisdictione potiretur. Et si .n. ipso Papa inuito, Episcopi possent validè, quamuis non licitè, Presbyterum ordinare, & eo ipso Ordinis Potestatem, consistentē in Charactere, illi conferre: non tamen, ipso inuito, licitè, aut validè pos-

sent externam iurisdictionem conferre; Sicuti nec Diœcesim, cui præsideret, assignare; cur? Nisi quod omnis Iurisdictio à Pontifice, tanquam à fonte, perpetuaque origine, manat. Vt verissimum sit quod diximus, totam Iurisdictionem externam in Ecclesia, ipsi Maximo, Summoque Pontifici referendam. Atque ita ad ipsum collatiuè, & exequutiuè, saltem originaliter, tanquam in se plenitudinem Iurisdictionis inuoluentem, ne dum iuridicè, tanquam Iudicem, Principem, & Prælatum Supremum, omnes in Ecclesia, longè ipso inferiores, suam debere iurisdictionem acceptam referre; hisce maneat satis, superque declaratum.



CAPVT XXXI.

POTESTAS IVRISDICTIONIS IN FORO FORI, QVAM HABEAT A SVMMO PONTIFICE DEPENDENTIAM.

ELENCHVS.

1 *A Summo Pontifice, in cæteros Prælatos, Iurisdictio diffluit.*

2 *Dignitati Episcopali infallibiliter Iurisdictio haud annexa.*

3 *Præ cæteris, quì pertineant ad Ecclesiasticam Hierarchiam Episcopi.*

4 *Iurisdictio radicaliter tantùm, iuris diuini.*

5 *Tùm à Deo, tùm à Pontifice Prælatorum Iurisdictionem prodire absolutè pronunciandum.*

6 *Pontificis cur fratres, Episcopi nuncupentur.*

7 *Germanus sensus verborum: Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

8 *Apostolis minimè in omnibus succedunt Episcopi, Petro autem maximè Pontifex Summus.*

9 *Populus, à quo dudum Episcoporum Electio, Iurisdictionem eis neutiquam impendebat.*

10 *Quis sensus verborum: Constitues eos Principes*

super omnem terram.

11 *Auctoritatis, Iurisdictionisq; omnium Prælatorum arbiter, & moderator Pontifex.*

12 *Immutabilia, quæ Deum immediatum habent auctorem.*

13 *Indè descendit vndè limitatur auctoritas.*

14 *Item Iuris Pontificij, Regularium Prælatorum omnium Iurisdictio.*

15 *Quæ sinè perfectus adhuc Religionis status.*

16 *Estò à Religionis capitibus immediatè collata, à Pontifice planè dependens.*

17 *Originariè nihilo seciùs à Deo.*



IAm tandem extremo hoc capite Ecclesiásticam Potestatem, à Summo Romano Pontifice Christianæ Reipublicæ, omnibus, & singulis Prælatis impartiri vniuersam, palàm facimus. Iurisdictionem fori externi quantamcunque, ab eodem Romano Pontifice, totius Ecclesiæ Supremo Principe, ac generali Monarcha, in quemcumq; tàm Sæcularium, quàm Regularium Prælatorum dimanantem, ostendendo.

1 *Et sanè plenariam Iurisdictionem Romano Pontifici à Deo immediatè collatam, in ipso, ceu capite, ac scaturigine residere, à quo proindè in cæteros diffluat Prælatos, tanquam ab Auctore, seu à causa primaria, quod idem est; neutiquam verò immediatum à Deo influxum trahere, nisi quò ad communem institutionem, quatenus supernaturalem in Ecclesia adesse*

iurisdictionem constituit, Monarchicum Ecclesiæ regimen manifestissimè conuincit. Enimuerò Supremi Principis, ac Monarchæ omnimoda Potestate redimiti, cuiusmodi Pontificem ex PP. Concilijsque dignoscimus, iuris esse, vt nemo inferiorum regat, ac iudicet, seu iudicandi, & administrandi facultate, nisi dependenter ab ipso præfulgeat, satis ex terminis liquidò apparet.

Vt ideò sicuti idem Summus Pontifex à Deo suam trahere iurisdictionem perhibetur, quod ipsum superiorem sibi habeat, à quo illam meritò auspicari valeat, vt Doctores communiter; simili modo ab eodem Summo Pontifice, quia est superior generalis Ecclesiæ Monarcha, cæteros inferiores Prælatos, peculiares suas iurisdictiones deriuare necessum fiat. Cur enim adhuc fingătur eas deducere à Deo? nisi id quidem per iniuriam eiusdem Pontificis asseratur, qui Iudex, ac Princeps in Ecclesia Supremus existens, non tamen cæteros inferiores Iudices, ac Prælatos vniuersos, contra aliorum Iudicum, ac Principum Supremorum inueteratum, ac communiter adiudicatum, ac seruatum ius, vbiq; gentium in more positum, constituat,

Num in rebus naturalibus, hoc ipso, quod creatura aliqua, quamtumuis à Deo oriunda, suas proindè ab eodem aucupata fuerit vires, ac potentias, quibus operetur, non idcircò tamen suarum actionum, & effectuum principale agens prætitulabitur, ita vt eædem actiones, & effectus, veluti iuris proprij, ac perpetui sibi non attribuantur? Quid verò discriminis inter agens naturale, ac Summum Pontificem agens morale, vnumquodq; quò ad propriam influentiam, est reperiri, quò minùs Pontifex, postquă ad instar creaturarum in naturalibus receperit ipse in moralibus à Deo Supremam, sibi non minus debitam, quàm vires naturales creaturis suam Potestatem, ac Dominium, de cuius ratione inte-

reſt, vt non modò ſe ipſo immediatè regat, ac iudicet, ſed etiam per alios ſua loca tenentes, id potiſſimum expoſtulante primariò, ac generali per vniuerſum Orbem ſuo extenſo dominatu, nequeat rectores alios inferiores, viceſq; ſuas in diſſitis longè regionibus gerentes, quas ipſe vnus nequit regere, in partem ſuæ ſolicitudinis ſibi aſciſcere, et conſtituere? Quibus ſic ſe habētibus, quod licet iuris Pontificij ſit, hos inferiores, Iudices Rectoreſq; conſtituere. quis deindè in diſcrimen aduocabit, eorumdem conſtitutionem, ac ſubindè traditam ipſorum muneri debitam, ac competentem poteſtatem cum omnibus Iuriſdictionalibus functionibus indè ſecutis, hæc, & alia ſimilia Pontifici ipſi, ceu agenti principali, ac ſuo fungenti iure, adſcribenda vniuerſa?

2 *Tùm maximè, quod dignitati Epiſcopali infallibiliter iuriſdictio minimè adnectatur, neq; enim Epiſcopus per Poteſtatem iuriſdictionis in eſſe Epiſcopi inſtituitur, vt ſubindè Epiſcopatus, quamuis vt ordo, & Sacramentum Iuris ſit Diuini, eius tamen Iuriſdictio eſſe poſſit, ac re ipſa Pontificij, atq; Eccleſiaſtici Iuris ſit. Verba autem illa Matthæi 16.* Quæcunq; ligaueritis ſuper terrā, erunt ligata, & in cęlis. *Quæ* Tridentinum ſeſſ.14. de Sacr. Pœnit. c. 6. *Doctoreſq; communiter intelligunt, ad Epiſcopos, & Sacerdotes directa, tametſi Iuriſdictionis Poteſtatem importent, veluti de excommunicandi poteſtate pronunciata, præmiſſum quippè fuerat* dic Eccleſiæ, quod ſi non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. *Quem locum PP. vnanimiter exponunt de Iuriſdictione in foro exteriori; Indè tamen nō ſit, Epiſcopum per Iuriſdictionem in eſſe Epiſcopi conſtitui, ſic vt Iuriſdictio de intrinſeco Epiſcopatus conceptu eſſe intelligatur. Namque illis verbis, vt cuicumque percurrenti obuiam fiet, non plus ſignificatur, quàm Epiſcopi; ac Sacerdotes, poſtquam Iuriſ-*

dictionem fuerint aßequuti, rata habenda in cælis; Quæcunque per eam ligauerint in terris; vt ideò eam non conferri à Deo, eo ipso quod Episcopi, ac Sacerdotes constituti fuerint, magis quàm ab Ecclesia, seu ab ijs, ad quos in Ecclesia spectat, ipsis fore attribuendam supponatur. Quod tantùm abest significare ipsis à Deo immediatè conferri, vt potiùs compellat intelligere, dandam eße à Summo Pontifice, ex regula, scripturas implicitas explicandi per alias explicitas; non desint autem plures scripturarum auctoritates, quibus Summus Pontifex totius iurisdictionis in Ecclesia antesignanus, caput, fons, & origo expreßè authorizatur: Secus, ò quàm male Tridentinum, & Patres ea verba non minùs ad Sacerdotes, quàm ad Episcopos extendissent; perspicuum namque, & indubitatum est, Sacerdotes, ne dum iurisdictionem in foro fori, & contentiosam, sed neque etiam extrinsecam meram pœnitentialem, Sacerdotalis Ordinationis vigore, à Deo consequi, vt superiori Capite abundè demonstratum est.

His positis, nullatenus ire poßumus in sententiam, docentem verba Accipe Euangelium, & baculum, *Quibus Episcopus initiatur, ab homine promulgari, tanquam à præcone, vt ideò Pontifex initians, non conferat initiato auctoritatem, sed eam tantummodò à Deo collatam promulget; nec enim per Ordinationem Episcopalem confertur Auctoritas, siuè Iurisdictionis Potestas, de qua loquimur, sed altera, quæ dicitur Ordinis Potestas, à Iurisdictione contradistincta; cuius respectu si prædicta explicatio locum aliquem habet, quod non contendimus, retineatur tamen, iuxtà superiùs adnotata, quod Pontifex initians, illius conferendæ sit causa instrumentaria, cum qua coincidat nomen præconis, vt ideò solùm denegetur eße eius Potestatis Auctor,*

quod hic titulus soli Deo agenti primario sit attribuendus, iuxta phrasim scripturæ, in simili à nobis supra relatam, quis potest remittere peccata nisi solus Deus? *Quod si de Potestate etiam Iurisdictionis libeat præfata verba exponere, quò ad solam institutionem intelligas; vt ideò significetur, à Deo solo radicaliter prouenire, homine dumtaxat, vt præcone, ad illius institutionis, talibus verbis à Deo prædefinitis addictæ, promulgationem, concurrente.*

Neque tamen quod munus Episcopale Iuris sit Diuini, vtpotè proficiscens, non solùm quò ad institutionem, sed etiam quò ad collationem à Deo agente principali, ideò colligas eiusdem iuris iurisdictionem quoque esse debere, eò quod Iurisdictio muneri Episcopali sit annexa, ex quo intrinsecè imbibatur in munere pastorali, quod ab Episcopali non disiungitur; imbibatur, inquam, quatenus Pastor sine ouibus, atque adeò sine Iurisdictione esse nequeat; nam ita discreta inter se se sunt hæc munera Pastoris, & Episcopi, & adeò diuisim conferuntur, vt quandoque vnum sine altero perpetuò consistat; quod cernere est in Episcopis per creationem, aut per renunciationem, aut per depositionem, merè titularibus existentibus.

Sed esto munus pastorale intrinsecum esset alteri Episcopali; quid indè? Ideò ne dandam ob id iurisdictionem, pastorali muneri competentem, immediatè à Deo? Nil minùs; neque enim dans munus pastorale, eò ipso ab intrinseco iurisdictionem, per quam exerceatur, immediatè conferre intelligitur, cum sufficiat eam mediatè præbere: qua ratione concipimus iurisdictionem, à Christo Domino, pastoralium munerum auctore, & institutore, in Ecclesiam descendere, quatenus ab ipso, in Ecclesiæ formatione fuerit constitutum, vt ea per Pontificem Summum,

ſeu per alios, quibus ipſe demandaret, in dies diſtribueretur. Id quod ad oculum cernitur in Iuriſdictione pro peccatis in foro pænitentiali remittendis: Cum enim hæc ſit omninò neceſſaria ad validè abſoluendum, Deuſque in ratione agentis principalis poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, vt pluribus oſtenſum eſt, per Sacramentum Ordinis, Præsbytero conferat, non ideò tamen conſequitur eò ipſo iuriſdictionem ſimul conferre, immò nec poteſt, cum Ordinatio phyſicè operetur, iuriſdictio autem non ſit pluſquam ens morale, ſeu rationis; ſed ſufficit reliquiſſe facultatem in Eccleſia illam erogandi, quemadmodum re ipſa erogatur ab Ordinarijs, quoties, & quatenus viſum fuerit expedire.

3 *Habes hinc, quo nam pacto ad Hierarchiam Eccleſiaſticam Diuina Ordinatione in Eccleſia Catholica Conſtitutam, quam denegantes* Tridentinum ſeſſ. 23. de Sacr. Ordinis *anathematizat, Epiſcopi præ cæteris pertineant; quatenus nimirum quò ad inſtitutionem generalem ſunt intra Eccleſiaſticum Ordinem, tàm quò ad munus Epiſcopale, & Poteſtatem Ordinis, quàm quò ad munus Paſtorale, & Poteſtatem Iuriſdictionis, Iure Diuino annumerandi; Chriſtus enim Dominus inſtituit, vt in Eccleſia eſſent Epiſcopi, quos Summus Pontifex, adeò teneatur in partem ſolicitudinis propriæ aſſumere, vt nefas omninò illi ſit, quod etiam alibi inſinuabimus, nullos creare Epiſcopos, aut nulli Epiſcoporum iuriſdictionem conferre.*

4 *Latum tamen diſcrimen: ab inſtitutione ad collationem gradum faciendo, inter Ordinis, ac Iuriſdictionis Poteſtates adnotare eſt: namque collatio Ordinis in particulari: nec enim in vniuerſali quicquam conferri poteſt: ſimpliciter eſt à Deo, velut gratiæ, & Characteris ſupernaturalium qualitatum agente principali; vt ideò ipſi ſit omninò ea collatio attribuenda, ex quo actio-*

Digitized by Google

nes, non nisi agentia appellent principalia. At Iurisdictio longè aliter se habet, cum nulla sit ratio, cur à Deo exilire sit opus, sufficiendo quod à Pontifice emanet, immò non nisi ab ipso, tanquam ab agente principali emanabilis ni PP. ac Concilia fefellerint nos, passim Romanum Pontificem totius Ecclesiasticæ Iurisdictionis caput, fontem, ac originem, conclamantia.

Non ergò iurisdictio à Deo, siuè Iuris Diuini esse, dici vllatenus potest, nisi radicaliter, per id, quod eam, ne dum in Ecclesia instituerit, sed insuper voluerit, ac dederit Summo Pontifici in mandatis, sibi inferiores asciscere Episcopos, cæterosque Ecclesiasticos Prælatos, quibus pro suo met onere subleuando iurisdictionem tribueret. Quod tantùm abest obstare, quominùs Pontifex ipsis verè, propriéque iurisdictionem conferre dicatur, quin immò id procul dubio vrgeat, atque consolidet magis. Quemadmodum enim Politicus generalis Gubernator, habens à Principe institutore in mandatis, inferiores Magistratus creare, per quos suum, pro ut opus fuerit, munus exerceat; Magistratus illi, quamuis secundùm institutionem essent à Principe, nihilominus secundùm creationem fieri, ac constitui à Gubernatore dicerentur, eo modo, quo destitutio eorũ, si postmodum fieri contingeret, non Principi, sed Gubernatori destituenti verè imputanda foret. Simili ratione Pontifex cæteros inferiores Pastores, quamuis à Christo iam in generali institutos, prout opus est in particulari creat, ipsisq; competentem Iurisdictionem immediatè, vel mediatè elargitur, cum iuris eius sit illos creare, atq; muneris eiusdem vices suas illis committere, & in partem suæ solicitudinis, vt præmisimus, assumere. Ita tamen vt omninò creare non valeret, atque Ecclesiastica Iurisdictione donare, nisi hãc facultatem auspicatus esset à Christo, tùm quatenus omnis Pontifex Iurisdictionem suam à Christo

 necessa-

Digitized by Google

neceſſariò deriuare habet, cum neminem alium ſibi Superiorem habeat, per quam, Eccleſiam deindè ſibi titulo Supremi Paſtoris ᴐniuerſim commiſſam, valeat partim immediatè gubernare, & partim in Gubernij partem ſibi alios aſſumere; tùm quatenus niſi iuriſdictio Eccleſiaſtica fuiſſet iam à Chriſto inſtituta, & in Eccleſiam inuecta, atque ideò Pontifici attributum poſſe alijs eandem elargiri, nemo ſanè ᴐirorum ſimili eniteret poteſtate, ᴐtpotè ſupernaturali, & ad peccata, cenſuras, aliaque ſimilia extenſa, ad quæ verè animam tangentia, nullam humanam inſtitutionem pertingere poſſe, quem latet?

5 *Per quæ, inferiorum Prælatorum Eccleſiaſticorum iuriſdictionem meritò, tùm à Deo, tùm à Pontifice prodire, abſolutè dicendum videtur; à Deo per inſtitutionem, quando ipſe ſolus eam inſtituit, & introduxit in Eccleſiam; à Pontifice per collationem, ᴐt qui, ᴐelut agens principale, eam reliquis ſibi inferioribus conferat. Quoniam tamen eam nequiret conferre, niſi iuriſdictionem in generali reperiret iam inſtitutam à Chriſto, et niſi ipſe ſuam ſupremam, atque plenariam iuriſdictionem ab eodem Chriſto priùs auſpicatus eſſet; idcircò dici fas, immò neceſſe eſt, à Deo radicaliter, ſeu originaliter, etiam quò ad collationem, promanare. Quemadmodum ergò in ea conferenda, ſeu diſtribuenda, nullus alius Chriſti influxus intercedere intelligitur, præter inſtitutionem generalem, qua ab initio Chriſtus eam inuexit in Eccleſia; ita nullus alius Dei concurſus in eadem tradenda prærequirendus eſt. Eò minùs, quod nulla in ea agnoſcatur realis ſupernaturalis entitas, cum ſit poteſtas merè moralis, per meram ᴐerbalem iniunctionem, tùm inſtituta, tùm collata.*

Secus atque prærequiratur in tradendo ordine, & Poteſtate Ordinis cum eo, per cuius initiationem, cum Character, & Gra-

tia conferatur, quæ qualitates reales supernaturales cum sint, nequeunt influxum Dei, omnium effectuum supernaturalium causæ principalis, præterire; fit vt altiorem ex consequenti, Dei nempè physicum huiusmodi influxum prærequirat. Cumque actiones sint suppositorum, seu agentium principalium, quod notum est in physicis, hinc, tametsi ad dictas qualitates emittendas, homo procul dubio ministerialiter, ac physicè instrumentaliter, iuxta superiùs tradita, concurrat; ista nihilominus Ordinis, ac Potestatis eiusdem emissio, seu collatio, absolutè, ac simpliciter à Deo prodire, non à creatura, esseque Iuris Diuini, non humani, meritò perhibetur.

6 Hinc etiam habes, cur Episcopi Fratres Pontificis nuncupentur; eò nimirum, quod in partem Pontificiæ curæ, ac solicitudinis veniant, quodq́ in eodem Ordine pontificio cum eodem Pontifice coaptentur; ratione scilicet Potestatis Ordinis, à Deo per sacramentalem causalitatem, & tàm independenter ab eodem Summo Pontifice, quò ad substantiam, seu actum primum, per eos receptæ, vt etiam quò ad exercitium, seu actum secundum, ea ipso quoq́ Pontifice inuito, validè vtantur; quamuis non licitè, ad differentiam ipsius Pontificis, qui tàm validè, quàm licitè Potestate Ordinis, quin & iurisdictionis, quod maius est, semper vtitur; cum Supremum Ecclesiæ Monarcham, ab omnibus in Ecclesiasticam Monarchiam confluentibus, independentem, implicet porrò, quò ad sui muneris exercitium, ab eisdem dependere debere.

7 Habes insuper tot scripturarum germanum intellectum; quid putas, vt vnam adducamus pro mille, Actorũ 20. *significari per ea verba* Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, *mehercle, præter sacram Episcopalem Ordinationem à Deo, tanquã à causa principali prodeuntem, & ad finẽ regendæ*

Ecclesiæ inuectam, meritò à Spiritu Sancto positos: quò ad ipsum etiam regimen actuale, pro quo non ampliùs Potestas Ordinis, sed altera Potestas Iurisdictionis attendenda est, fuisse, & esse à Spiritu Sancto positos, verè dictum est; non tantùm ratione finis, idest ipsius regiminis, ad quod ipsa iurisdictio dirigitur, sed etiam quò ad substantiam ipsius iurisdictionis, quatenus ipsa Ecclesiastica iurisdictio fuerit à Deo generaliter instituta, & totius iurisdictionis plenitudo Summo Pontifici immediatè à Deo tributa, de qua cæteri deinceps Episcopi contingentem sibi partem participant, vsque adeò, vt Deus non solùm Pontifici sit elargitus facultatem in cæteros Episcopos distribuendæ iurisdictionis sibi commissæ, sed insuper præceperit, vt eam ipsis pro munerum, rerum, locorum, ac personarum indigentijs, accomodata lance distribueret. Qui est intellectus optimus comparatione futurorum, labentibus annis, Episcoporum.

Quod si textui conformiùs, vt alijs suadent; ea verba intellexeris, de solis Episcopis, in primitiua illa Apostolorum Ecclesia institutis, ita vt ad Episcopos tunc temporis præsentes dumtaxat dirigantur; vltra generalem iurisdictionis Ecclesiasticæ à Deo institutionem, fas erit ea exponere, quò ad ipsius quoque collationem illis personis in particulari, de quibus sermo fiebat; positos nempè à Spiritu Sancto fuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei, quatenus initiatos Episcopos, & Potestate, tùm Ordinis, tùm Iurisdictionis donatos ab Apostolis, qui iurisdictionem totius Ecclesiæ regendæ immediatè à Deo receperant, & in mandatis vlteriùs assumendi sibi in sortem solicitudinis alios Episcopos, ne dum in generali habuerant sicuti mandatum supponimus cuicumque Romano Pontifici, vt de facto assumpserunt, creando Paulus præ cæteris Titum Cretæ, Timotheum Ephesi, Dionysium Athenis, Io. Euan-

gelista complures in Oriente; sed Dei etiam inspiratione illos ipsos inspecie instituendi, quos re ipsa instituerunt; vt ideò tales, in omni rigore sermonis, meritò à Spiritu Sancto positi dici debeant; quatenus eorum, tàm Episcopalis, quàm pastoralis institutio, fuerit Sancto dictante Spiritu.

8 *Quod porrò Apostoli iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam, vt prænotauimus, à Deo immediatè auspicati sint, caue ne ob id suspiceris, Episcopos reliquos, qui de cætero in Apostolorum loca, vt inquit* Tridentinum sess. 23. de Sacr. Ord. c. 4. *successerunt, Iurisdictionem simili modò à Christo immediatè recipere; etenim quod c. 29. n. 2. adnotauimus, succedanei Episcopi sufficiuntur quidem Apostolis, per omnia similes, quò ad Episcopalem, tùm dignitatem, tùm Ordinis Potestatem; Quæ pendent ex vi Ordinationis Episcopalis, à Christo Domino institutæ, & eiusdem semper permansuræ in æuum, eosdemque paritura effectus, cum agat, non pro libito Pontificis eam ministrantis, sed physicè ex necessitate rei: Non sic de Potestate Iurisdictionis, quæ non est effectus physicus, procedens ex necessitate rei, sed moralis, pendens ex libito conferentis Pontificis, qui sicuti posset se solo totam iurisdictionem exercere, ita integrum ei est, illam cuicumque, quo modocumque, & quantamcumque, pro suo arbitratu communem facere; non ergò succedunt Episcopi Apostolis, quò ad Potestatem Iurisdictionis, quò ad modum eam recipiendi, sicuti nec quò ad extensionem, cum eam Apostoli receperint in Vniuersum Orbem, Episcopi verò non nisi quò ad sibi designatam ditionem consequantur; nec mirum, cum neque in multis alijs Apostolorum prærogatiuis succedant, cuiusmodi præfato c. genera linguarum, gratiam miraculorum, & alia plura muneris Apostolatus peculiaria, annumerauimus.*

Res tamen aliter se habet de Summo Pontifice Episcopo Romano, hic namque Petro similis planè succedit in Potestate Iurisdictionis, tàm quò ad substantiam, quàm quò ad modum; quilibet enim eam, non aliter quàm Petrus, immediatè recipit à Christo, Ex quo Superiorem non agnoscat, à quo eam recipere liceat, ac non minùs Petro omnimodam, & illimitatam accipit in vniuersam Ecclesiam, pro vt decet sui Pontificatus, per omnia Petri Pontificatui æqualis, supremum fastigium; quo totius Ecclesiasticæ Monarchiæ Summus Iudex, Princeps, ac Monarcha præficitur. Quamuis deindè à Petro, non secus atque Episcopi ab Apostolis, quò ad Apostolatum, discriminetur; ob id, quod hoc muneris non sit opus ad Ecclesiam, iam latè firmiterque fundatam, administrandam.

9 Similis erroris ansam ex hucusque dictis effugies, si quando priscis olim temporibus, populorum id iuris extitisse inueneris, vt sibi Episcopos in demortuorum loca inconsulto Romano Pontifice præficerent: vtcumque enim alius, atque alius eligendorum Episcoporum fuerit in Ecclesia ritus; constantissimè tamen iurisdictionem à Pontifice iugi, ac immutabili lege, semper dimanasse retineas; vt ideò populum, qui inferior Superiori Episcopo iurisdictionem vtique tribuere nequit, recensitis casibus personam initiandi tantummodò designasse, cui simul atque designatæ Summus Pontifex iurisdictionem eò ipso tradere intenderet, intelligas, ac firmiter arbitreris. Nec tamen quod designationes inscio Pontifice, hæ, aut illæ in particulari fierent à populo, consequitur eas, ipso quoque inuito sic fieri, & de minùs absque ipsius auctoritate, cum apud omnes in confesso sit, id iuris populo ipsum iam antea concessione, quatenus in generali annuerit è re nata sic esse transigendum. Ex quo proindè tibi eliciendum consequens fit, illorum

rum quoque sic electorum Episcoporum iurisdictionem, à Summo Pontifice omninò deriuasse, quod eorum personæ, non nisi ex Pontificis demandata, aut saltem permissa facultate per populum eligerentur, seu designarentur, ex vulgata regula, quod in esse, seu in munere, ac dignitate concedens aliquem constitui, censetur ad illud muneris vniuersa, quorum primaria est iurisdictio, consequentia, eò ipso elargiri.

10 *Non absimilis itidem est sensus verborum, quibus de Episcopis canit Ecclesia* Constitues eos Principes super omnem terram. *nimirum Deum constituere principatum Episcoporum per generalem institutionem dignitatis, præeminentiæ, ac Ordinis Potestatis Episcopalis; eamque insuper in particulari, vt causam principalem immediatè conferre; quò autem ad iurisdictionis Potestatem, rectè dici non minùs constituere Episcopatum; ratione originis, finis, ac præcepti in generali, modo supra explicato; cum quo optimè deindè cohæret, quòd eadem iurisdictio in particulari, & exequutiuè ab Ecclesia nihilominus proficiscatur; id quod expressè denotat* c. Quorum vices 68. d. *ibi:* Quorum vices in Ecclesia habeant Episcopi, & quis etiam hanc dignitatem dare debeat, S. Augustinus in Psalmo 44. ostendit inquiens; Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, quid est pro Patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi, hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, Vnde nati sunt? ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum, non ergo putes desertam, quia nõ vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos;

per quos nata es, de prole tua tibi creuit paternitas, pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. *En quomodò Ecclesia adhuc generare dicitur filios Episcopos, cum tamen eorum Patrum eiusdem, vtpotè per quos nata est, institutio, à Deo processerit.*

Ideò firmiter, & omni dubio procul rem hanc sic se habere tecum ipse constituas, fuisse quidem à Deo constitutum, futuros in Ecclesia Episcopos, cæterosque Ecclesiasticos Pastores Ordinarios, quò in partem Romani Pontificis Ecclesiasticæ curæ, ac solicitudinis assumpti, ei in vastissimo Regimine opitularentur; constituendos tamen hos potiùs præ alijs in munere, pro nutu eiusdem Summi Pontificis, à quo pro suo prudenti iudicio auctoritatis mensuram sunt deindè accepturi. Qui Pontifex, ex altero capite, in ipsis constituendis tenetur, pro naturali, ne dum prudenti æquitate ad personarum, rerum, temporum, locorum, aliarumque circumstantiarum qualitatem, ac exigentiam proportione seruata, munus mediatè, aut immediatè conferre, vnà cum omnibus ad salutare, & condecens Regiminis exercitium necessarijs inter quæ Principem locorum obtinet iurisdictio; prudenti vtens arbitratu, tàm in concedendo, quàm etiam in retinendo sibi aliqua, tùm in communi ab omnibus, & singulis Episcopis, ac Pastoribus declinanda, in quibus proindè se ingerere sit nefas, id verò, aut illa nunquam concedendo, aut iam concessa deinceps limitando; Tùm magis alia retinendo in particulari, respectiuè ad loca, & personas, in, & super quibus prædicti venerint præficiendi, ac de magis ad personas ipsas sic præficiendas. Quæ omnia voluit, & constituit Christus Dominus, in ipsa Ecclesiæ fundatione, à Pontifice deinceps, ceu vniuersæ Ecclesiæ primario capite, eò magis auctoritatiuè fore disponenda, quò in primordijs Ecclesiæ huius generis

negotiorum, ac causarum ampliationes, aut limitationes nullatenus potuerunt præscribi, ac prædeterminari, secretis potissimum, legitimis de causis, personis, quibus hæc in posterum forent imponenda; cum in dies pro personarum, temporum, locorum, aliarumq; circumstantiarum conditionibus, ac varietatibus, res nunquam in eodem statu permansura, ab eodem Christo Domino præuideretur.

11 *Quibus omnibus ritè atque opportunè prospiciendis, ac prædeterminandis, sicuti Dei prouidentiæ incubuit, vnum in Ecclesia constituere caput, non minùs exquisita prudentia, quàm suprema auctoritate, & vt ita dixerim, omnipotentia ornatum; ita muneri huiusmodi sic constituto consequens eò ipso fit, nullam ad futuram in Ecclesia Ecclesiasticam auctoritatem, ac iurisdictionem in cæteris, quæ ab ipso non emanet, & cuius ipse non sit arbiter, & moderator in omnibus, & per omnia, quæ tamen in euidentem ipsius met Ecclesiæ ædificationem, non destructionem essent futura; quippè cui non solùm munus regendi alijs distribuere sit datum, sed etiam in Ecclesijs, Diœcesibus, ac Territorijs quibuscumque, nulla ad inferiorum Prælatorum præiudicium quod nullum est, habita ratione, fas sit, ne dum imperare ab alijs deindè exequenda, verùm se ipso solo immediatè exercere quodcumque animarum saluti, rectèque vniuersalis Ecclesiæ gubernationi expedire sibi visum fuerit, nullis ex functionibus Ecclesiasticis suam penitus effugiẽtibus, per vniuersum Orbem extensam auctoritatẽ.*

Quodcumque, inquam, expediens visum fuerit & à iure prudentiali dictatum, Pontifici est disponendum circa Regimen Ecclesiæ, & in primis circa munerum, ac iurisdictionum distributionem, quò agat, non tàm validè, quàm licitè, vt intelligas quod inferioribus Prælatis, ac Pastoribus quid iurisdictionis retinendo, adimendo, aut limitando plus æquo, nullaque ex eorum par-

Digitized by Google

te temporum, locorum, aliarumque circumſtantiarum oportunitate concurrente, quamuis illicitè ageret, nempè contra ius naturale diuinum, denegando muneri iam conceſſo expedientia, pro illo rectè ſufficienter, ac ſalubriter obeundo, validè nihilominus ageret, iuxta regulam, multa fieri nequeunt, quæ tamen malè geſta tenent. quid ambigitur? Cum ab habente omnimodam, ac illimitatam auctoritatem ea procedant, vt ideò Pontifex in huiuſmodi ſuo iure vtendo, nemini, niſi ſoli Deo ſit rationem redditurus, Tridentino ſeſſ. 14. de Sacr. Pœnit. c. 7. *abſolutè, & ſinè cuiuſuis cauſæ iuſtificatione, conclamante. ibi:* Pontifices Maximi, pro Suprema Poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare; *quam reſeruationem qualēcumq; & quantamcumque ſubſiſtere in vtroque foro ſubiungit, ibi:* Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt diuinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere; *damnans ſubindè anathematis c. 11. contrarium, non modò de Maximo Pontifice, ſed etiam de alijs inferioribus Pontificibus, ſuorum reſpectu ſubditorum, aſſerentes.*

Quibus inhærendo, re ipſa deindè limitaſſe ſcimus Maximū Pontificem inferiorum iuriſdictionem, non tàm in criminibus abſoluendis, quàm etiam in aliorum abſolutionibus, diſpenſationibus, indulgentijs, & huius generis alijs; immò nunquam poteſtatem tradidiſſe, quò ad nonnullas principaliores iuriſdictionales functiones, putas irregularitates inſtituere, impedimenta matrimonij præſcribere, Epiſcopatus deſerere, aut commutare, de grauiſſimis cauſis nonnullis in foro contentioſo cognoſcere, & alia per multa. quorum præſcriptionum, prædefinitionum, ac reſeruatio-

num quandoque nulla alia subest explicita ratio, quàm in scrinio pectoris ipsius Pontificis implicitè præsumpta, cum de Superioribus non sit præsumendus error, seu delictum, & de minùs de Maximo Pontifice, viua, & suprema cæterorum Prælatorum norma, ac Regula.

Cuncta igitur potest validè Summus Pontifex, circa Ecclesiasticam iurisdictionem inferioribus tradendam; ecquis enim cunctarum iurisdictionum Auctori reluctando, audebit interrogare, cur hoc facis? Non expectaturus statim illud responsum, an non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? cum in omnibus, ac per omnia iure suo vtens, quæ iuris sui sunt faciat.

12 *Summum autem Pontificem non Deum cunctarum iurisdictionū Ecclesiasticarum Auctorem esse quis neget? non ne quæ non ab homine, sed à Deo auctore sunt, pænitùs immutabilia circumquaq; circumferuntur, ex regula Iuris desumpta ex* c. Sunt quidam 25. q. 1. *ibi:* Vbi apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eos consequentes S. Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædicatum est, vsq; ad animam, & sanguinem confirmare debet. *Id quod etiam manifestè conspicitur in Potestatibus Sacrificandi, & Ordinandi, quæ ideò nequeunt ab Ecclesia tolli, mutari, vel minui, quin illis insignitus validè consaceret, ac ordinet, quod à Deo per causalitatem sacramentalem descendant. Atqui Potestas Iurisdictionis est ne immutabilis? minimè gentium; notum enim est, passim tolli, mutari, ac limitari, circumscripto nunc, quòd non semper per fas, sed quandoque per nefas præsumatur immutari, hoc vnum certum non per modum dispensationis, cum nulla præcedat causæ examinatio,*

sed pro mero Pontificis iudicio, & arbitratu ea fieri, ut de se constat, ergò auctoritatiuè fiunt, Pontifice suo iure utente, ergò ulteriùs quomodocumque Pontifex distribuerit iurisdictiones, aut distributas restrinxerit, vel ampliauerit, id totum validè gestum semper existimato, ergò tandem harum iurisdictionum distributio, non à Deo, sed à Summo Pontifice Auctore sunt tibi habenda.

Nec est quod obijcias c. Inter corporalia. de translatione Episcoporum. *ibi:* Non humana, sed potiùs Diuina Potestate coniugium spiritale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia remouetur, & ideò tria hæc, quę, pręmisimus, non tàm institutione Canonica, quàm constitutione Diuina soli sunt Romano Pontifici reseruata. *hic namque solummodò significatur, spiritale coniugium, quod utique iurisdictionis potestatem importare, media confirmatione tributam fatemur, sicut ab Episcopo auctoritatiuè non initur, ita neque ab eodem iure proprio dissolui fas esse, sed Romani Pontificis, cui constitutione Diuina, est reseruatum, auctoritate opus habere; cum enim Pontifex Episcoporum antesignanus sit, quippè, ut ibi dicitur, Iesu Christi Vicarius, diuina potiùs, quàm humana præditus Potestate, non ab hominibus, sed à Christo immediatè eam auspicatus, nequeunt profectò ipsius leges, ac decreta in irritum reddi, ergò neque ualidè, ne dum impunè ab inferioribus Episcopis transgredi, secùs non esset Pontifex prædictorum auctor, contra assertum Canonis, ibi:* Auctoritate Romani Pontificis; *qui est germanus eius Canonis intellectus.*

Si nihilominus contendamus, prædicto Canone importari, Episcoporum iurisdictionem aliquo modo emanare à Deo, dicas esse

à Deo, & simul à Pontifice; à Deo quò ad originem, institutionem, & præceptum, modo superiùs recitato; à Pontifice quò ad collationem, & de magis quò ad electionem, & exequutionem; vt ideò, quod eo loci subnectitur, auctoritate Romani Pontificis Episcopum remoueri, non humana, sed Diuina potiùs Potestate, *potiùs exponas, idest potiori iure esse auctoritate Romani Pontificis remouendum, quod Pontifici ius in illud coniugium dissoluendum sit sibi impartitum, & reseruatum à Deo. Quod absit labefactare, quin magis confoueat, quod hucusque firmatum est, nullam Ecclesiæ Potestatem nisi à Deo originatam, tanquam generaliter institutam, & specialiter Romano Pontifici ab eodem immediatè traditam.*

Quod iure quidem optimo dices, & ad mentem Glossę, *ibi: inferentis, verbo,* diuina. & sic quod fit auctoritate Papę, dicitur fieri auctoritate Dei; *cernas Dei auctoritatem hic interpositam, neutiquam excludere, vel imminuere, quin maximopere Pontificis Potestatem exaggerare, cum non humana, sed Diuina, non hominis, sed Dei Potestas prætituletur.*

13 *Quid rursus obgannis, ex dissolubilitate Episcopalis coniugij, siuè alius cuiusuis Ecclesiasticæ iurisdictionis auferribilitate, vel alterabilitate, non tolli, quin Episcopi suam habeant iurisdictionem Iure Diuino, retento eam habere adeò Pontificis Supremæ auctoritati subiectam, ac subordinatam, prout decet in vnaquaque benè instituta Monarchica politia, vt ab eodem Pontifice Ecclesiæ Monarcha variari fas sit, ac etiam ex toto auferri, quandocumque sibi placuerit, ac expediens visum fuerit: Cum enim regulare sit in vniversum, neminem posse quoquomodo alterare, & multo minùs adimere auctoritatem, nisi qui dederit, sic, vt nullo pacto fas sit inferiori quicquam statuere, circa auctori-*

tatem à Superiore sibi, quamuis suo subdito, collatam, id quod planum fit in eadem Ecclesiastica iurisdictione, quæ à Pontifice, vel ordinaria, vel delegata alicui impartita, nequit postmodum per Episcopum, quamuis eidem superiorem, auferri; Vndè colligis tù hoc speciale non in collatione Iurisdictionis Episcopalis; vt non obstante sit illi tradita à Christo Superiore, possit nihilominus per Pontificem inferiorem deinceps immutari; quodque Deus attingens à fine vsque ad finem, & disponens omnia suauiter, nimirum iuxta rerum ordinem, naturam, atque indigentiam; in hac attamen re, speciale quid constituerit, tùm naturæ, tùm Ordini huiusce Potestatis, eiusque dependentiæ dissonum; quod nimirum per vnum præbeatur, & per alterum quantumuis inferiorem deinceps limitetur, aut etiam auferatur? Sique id contingere in Ecclesiastica Iurisdictione adhuc insistis; cur non idem de Ordinis Potestate affirmaueris; cum tamen Pontificem, ad auferendam Episcopis Ordinis Potestatem penitùs impotem neminem lateat, quacumque etiam excommunicatione, degradatione, vel quacumque alia censura, seu Canonico impedimento intercedente, sarctam nihilominus, tectamque, his non obstantibus, eam communiter agnoscendo.

Immò, cum Pontifices non limitent iurisdictionem, nisi quatenus subditos auferunt, aut in totum, aut saltem quò ad illam specialem functionem, quam limitare intendunt, quid est quod iurisdictione, si verum asseris, illimitata Episcopis à Christo tradita, cum iurisdictio, & subiectio sint inter se correlatiua, quorum eandem esse disciplinam in physicis perhibetur, non etiam similiter vniuersus Ecclesiæ populus ipsis pari illimitatione subijciatur? Quod si limitibus omnibus seclusis, populus Episcopis à

Digitized by Google

Deo subiectus est; quì fas deindè excogitabis, humanam Potestatem eum restringere, aut auferre? hoc enim profectò alterius Iurisdictionem interturbare redoleret; quod cum nefas sit inter homines eiusdem conditionis existentes, potiori iure inter Deum, & hominem Pontificem nefas existimandum est.

Neque etiam id contingeret, sine speciali, vt minimum, Episcoporum iniuria, ex eo saltem, quod sine causa, pro mero Pontificis arbitratu, ea ipsis restringeretur auctoritas, quam cæteroquì illimitatam à Christo sint consequuti; in comperto namque est apud omnes, postquam alicui tradita est aliqua Potestas, non posse eidem citra iniuriam cui iam quæsitam est, absque legitima causa, eam imminui, & multò minus auferri, etiam si Potestas sit delegata, modò res integra non sit, potiori iure si fuerit ordinaria, competens ratione muneris qualis est in Episcopis. Istud ergò de iurisdictione Ecclesiastica aduersariorum figmentum, potius quàm assertum, tanquam suaui, ac ordinariæ Dei Prouidentiæ, ac stilo, rectoque rationis dictamini, inuisum reijciatur omninò; tùm maximè, quod in Sacris Canonibus, vniuersaque scriptura, huiusce inuersæ dispositionis nullum sit reperiri vestigium.

Atque pro constanti concludamus, ex eo quod Pontifex possit limitare, auferre, & quaquauersus pro libito iurisdictionem inferioribus validè præscribere, ab ipso, nedum quò ad exercitium, seu exequutionem, verùm etiam quò ad collationem, tanquam ab Auctore eam omninò emanare.

Quod euidentiùs etiam fit à pari, si enim administratio huiusce Potestatis, inuito Pontifice, fieri posset, ipsa nullatenus, vt de se constat, ab eodem dependeret; hinc aduersarij, ex eo quod

fieri nequeat Pontifice repugnante eandem libenter Pontifici, vt Auctori acceptam referunt; cum igitur, Pontifice inuito, nequeat iurisdictio in Ecclesia, ne dum exerceri, sed nec etiam alteri conferri, collatio siquidem sub iurisdictionis conferentis exercitio cõpræhenditur; vtique tàm collatio, quàm exercitium ipsius, habet necessariò à Pontifice, tanquam ab Auctore proficisci. Potestas Ordinis, sit exemplo; ex eo namque quod Episcopus potest, inuito Pontifice, Ordinis Sacerdotalis Potestatem alteri conferre, vbique gentium ea collatio Iuris Diuini, non Ecclesiastici, seu Pontificij esse dignoscitur.

Cum igitur omnis Episcopalis iurisdictio iuris sit Pontificij, quid obstat, quominus Episcopus, per eam, aliquem sententiæ excommunicationis supponendo, declaret expressè, sic Pontificis auctoritate, si id opus foret ad pronunciationem auctorizãdam, pronunciare; quia tamen id regulariter non est opus, cum notorium sit Episcopum, pastorali iurisdictione de iure, ac vi muneris fungi ordinaria, ex quo Pontifices in vim diuini præcepti, regulariter constituerint Episcopatus, cum annexis pastoralibus iurisdictionibus, ipsis respondentibus, conferri; quam dispositionem, tanquã notoriam, & in iudicatum iam transactam, nemo præsumitur ignorare, ideò Episcopus illius exercendæ Iurisdictionis causa absoluta, & principalis, quippè ex munere, cum sit, non est, quod deindè eo modo loquendi denotet ipsam respectiuè, & ministerialiter exercere; ex quo enim Episcopatus munus fuerit assequutus, ad ipsius statum, ac conditionem consequitur, iurisdictionem eius muneris debitam, ac solitam simul obtinuisse; vt autem superiùs aduertimus, uirtus debita, connaturalisque principijs eius in quo est, qualis est hæc potestas moralis, debita pastorali muneri Episcopali, principio similiter morali, neutiquam instrumentariæ, sed causa

principalis virtus est, constituens ipsam habentem in ratione agentis principalis, iurisdictionalium functionum Episcopalium; ideoque nulla superest ratio, cur Episcopus earumdem denominationem deinceps alijs attribuat. Secùs non esset dignoscere potestatem ordinariam, à potestate delegata, quæ ideò quod munus non consequatur, nec dé iure competat, sed adeò pro libito à munus gerente concedatur, vt nulla fieret iniuria si non concederetur, opus est, cum consistat in facto, quod ignorari communiter præsumitur, ad fundandam intentionem illius exercendæ, exprimere à quo sit, & cuius nomine, ac virtute exerceatur.

14 *Sed quò tandem nostro exerceamur in puluere, ad Regularium Prælatorum Iurisdictionem breui deflexione diuertendo; doctrinæ hucusque positæ inhærendo, eam tantò magis facimus iuris Pontificij, quod Religiosorum cætus, veræ Religionis appellationem non mereantur, nisi à Summo Pontifice mediatè, aut immediatè approbati, ac confirmati fuerint; cum enim illorum Prælati, veri Prælati non sint, nisi ipsorum societates propriam, ac veram Religionis rationem fuerint assequutæ, manifestè deducitur, eorum Iurisdictionis Potestatem, vlteriori huiusce approbatæ, ac confirmatæ Religionis specialitate, cuius habent esse Prælati, à Romano Pontifice, veluti à causa primaria, atque auctoritatiua, dimanare.*

15 *Nec sanè Religionum institutio à Christo oriunda, quando in Euangelio perfectionis Christianæ normam reliquit, his verbis,* Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, &c. *& alibi* Abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me *contra garrientem Luterum, cum suis tenebrionibus, Religiosum statum, humanum esse comentum procaciter dictitantem, habet de consequio iurisdictionalem subiectionem importare;*

cum Religioſo ſtatui ſatis ſuperque videatur ſola intra ſuos limites ſubiectio filialis, aut ſeruilis, poteſtati paternæ, ac dominatiuæ reſpondens, ſicuti re ipſa longo temporis ſpatio ſuffecit, quando Religiones Epiſcoporum Iuriſdictioni iam pridem ſubijciebantur.

Nec vim faciunt aliqui textus, primo aſpectu denotantes iuriſdictionem intra limites Religionis claudi oportere, quatenus docent rectam rationem dictare, Prælatos eiuſdem profeſſionis, ac inſtituti cum ſubditis Regularibus, quibus præſunt conſociari debere; Clement. 1. de Elect. *ibi:* cum rationi non congruat, vt homines diſparis profeſſionis, vel habitus in eiſdem Monaſterijs ſimul ſocientur, firmiter prohibemus, ne Religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cœtero eligatur, quod ſi ſecus actum extiterit, eò ipſo ſit irritum, & inane. Et c. Cum cauſam. de electione, *ſimiliter decernitur, profeſſum vnius Religionis non eligendum in Abbatem alterius, quod ſit contra legem Diuinam, arare in Boue ſimul, & Aſino, & quem induere veſtem ex lino, lanaque contextam,* Deut. 22. *quæ figuræ illuſtrantur deindè*, c. In noua actione 16. q. 3. *declarante nefas, homines diuerſæ profeſſionis in vno, eodemque officio conſociari. Prædicti ſiquidem, & alij ſimiles textus non aliud prætendunt, quàm Prælatos eiuſdem ſtatus, ac profeſſionis cum ſibi ſubditis eſſe oportere, ad quam Prælationem conſtituendam, cum ſola Poteſtas dominatiua ſit potis. quorſum diuertimus ad Poteſtatem Iuriſdictionis? Prælatus vtique dicitur Abbas, etiam de mente recitatæ Clementinæ. ibi:* in Abbatem, ſiuè Prælatum. *Quid autem Abbatis nomen præfert, niſi Patrem? certum eſt autem Patrem, non pluſquam dominatiua Poteſtate præfulgere; immò non deſunt Scripturæ, quæ Præla-*

tionis titulum Potestati etiam laicæ adscripserint, vt in ea versatis perspicuum esse supponimus, tantùm abest, quod ad Ecclesiasticam iurisdictionem necessariò extendatur.

At estò eliciatur indè totum id, quod prætendunt, ideò ne tamen infertur, Prælatorum Regularium iurisdictionem, non à Pontifice, sed à Christo emanare? Non mehercle, nisi quò ad institutionem, in quantum scilicet Religionis status fuerit immediatè à Christo institutus; cum quo tamen egregiè stat, eandem iurisdictionem, quò ad collationem postmodum à Pontifice deriuare, tùm rationibus pro Episcopali iurisdictione allatis, tùm de magis, quod Pontificis sit approbare Religionem sic, vt ea approbatione seclusa, nulla esset Religio, & de consequio nulla iurisdictio.

16 *Hæc quantum ad naturam Religionis, & eiusdem approbationis. Verùm si approbatio alicuius Religionis, præter potestatem dominatiuam, iurisdictionis quoque Potestatem, Prælatis eiusdem, ex speciali Pontificis dignatione, tribuere intenderet, sicuti de facto tribuunt approbationes, à Sede Apostolica emanatæ, ab indè, quod Religiones ab Episcoporum iurisdictione fuerunt exemptæ; talisq; iurisdictio per designatorum Patrum collegium tribueretur, sic statutis eiusdem Religionis decernentibus, ab eadem Sede Apostolica confirmatis, num hæc dependentia iurisdictionis à prædicto collegio immediata tolleret, quin eadem iurisdictio à Pontifice Maximo dependere dicatur? Non hercle; nulla enim esset facultas in Religione, ad Prælatos veros eligendos, nisi eidem à Pontifice Maximo facta fuisset, saltem implicitè, siuè in eiusdem Religionis approbatione, siuè in subsequuta postmodum eiusdem ab Ordinarijs exemptione, concedendo eò ipso Pontifex tale regimen, cum tali hierarchia, ac dependentia in ea Religione ritè adhiberi, quod Prælatos sic instituendo eisdem Potestatem, tùm*

dominationis, tùm iurisdictionis intelligatur impartiri, prout vtraque ad perfectum eiusdem Religionis bonum promouendum valdè conducit. Semper igitur Regularis Iurisdictionis collatio à Summo Pontifice est agnoscenda, quamuis institutio Christo, & illius exequutio alteri ab ipso Christo, non denegetur.

Nec putes aliud voluisse Salmantinum Concilium, *Anno 1565. sub Archiepiscopo alias Compostellano Gaspare Azunica, & Auellaneda, celebratum, ibi:* interuenientibus, tandem vnanimi consensu decretum est, Prælatorum Regularium Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentium in suos subditos Potestatem, & Iurisdictionem, non esse tantummodò delegatam, sed verè ordinariam, iure diuino sibi traditam, ac competentem ratione officiorum. *Hæc siquidem verba non aliud præseferre videntur, quàm Deum instituisse, vt in Religionibus adessent loco, & tempore Prælati, cum Potestate quasi Episcopali, tùm dominatiuam, tùm iurisdictionalem potestatem comprehendente; quatenus Pontificem instituerit in Ecclesia, cui sit integrum Prælatis Regularibus, pro rerum, temporum, ac personarum conditione, iurisdictionem impartiri; immò debitum eam impartiri, quoties id expedierit, sicuti re ipsa postmodum impartitus est, & impartitur.*

17 *Qua stante Dei institutione, liquet iurisdictionem in Prælatis Regularibus resultare à Deo radicaliter, & originariè, quatenus Deus sic instituit; eaq; ordinaria, quippè ex eadem institutione illorum pastoralibus muneribus annexa. Hoc tamen quid impedit, quin eadem iurisdictio dehinc quòad collationem, & exequutionem, ab Ecclesia, siuè ab eius capite Pontifice Maximo, propriè fieri, ac descendere dicatur? immò descendere necessum fuit, cum non expedierit Christum institutorem seligere personas,*

ac circumſtantias oportunas, quibus attentis iuriſdictiones prædeterminaret, ſubditos, ditiones, atque illis reſpondentes iuriſdictiones, limitando, aut ampliando, quippè hæc omnia ex iugi rerum fluctuatione dependeant, iuxta quã proindè iuriſdictiones in arena vt dicitur, congruenter veniunt prædeterminandæ. Vt ideò hoc in ſubſidium potius noſtræ ſententiæ proueniat, longè quod aduerſarijs, vel minimùm patrocinetur. Ex eo enim quod non Chriſti, ſed Eccleſiæ ſit horum omnium præſcriptio, ac determinatio, vt ſit conueniens, conſequens ſit eiuſdem ſic prædefinitæ iuriſdictionis collationem non ad Chriſtum, ſed ad Eccleſiam ſpectare debere.

Quod ſi adhuc mordicùs contendatur, Concilium illud, quod ipſi aduerſarij intendunt omninò voluiſſe; quid ad nos? cum prouinciali Concilio, quale illud fuit, non plùs auctoritatis, quàm priuato auctori inſigni, opinionem tantummodò probabilem reddenti, communiter tribuatur.

Nec tandem, quod expirante Pontifice, inferiorum Prælatorum Regularium iuriſdictiones non expirent, indè obicias, Pontificem eorum iuriſdictionis non eſſe caput, adhibita analogia ad caput naturale, quo obtruncato, reliqua membra ſpiritibus protinùs deſtituuntur: hoc enim diſtat inter caput myſticum, & naturale, quod à myſtico membra dependent ſolùm in fieri, vbi à naturali pendent, tùm in fieri, tùm in conſeruari, ſic eorum naturis exigentibus; capitis ſiquidem naturalis influentia inſtillat ex neceſſitate naturæ in cætera membra, vbi, cum capitis myſtici ſit ſolum ſpontanea, & arbitraria, non habent eò ipſo expirare iuriſdictiones membrorum, cum expirat eorum myſticum caput, quia Pontifices vniuerſorum fidelium myſtica capita, eas expirare noluerunt, expirarent autem, vel extinctæ, vel ſuſpenſæ, vſq; dum

Digitized by Google

à Succedaneo Pontifice nouiter essent, vel redintegratæ, vel solutæ, si Pontificibus placuisset; non placuit autem, tanquam Ecclesiæ regimini non expediens, ne dicamus infortunatum.

Hactenus de tanti Pontificis Potestate simul, ac Maiestate, summis, quod aiunt labijs, pro instituto delibata potiùs, quam pro dignitate elucidata; eia loculentissimis non minus, quam grauissimis, ex innumeris selectis testimonijs, ceù gloriosissimis eidem consecratis Trophæis, ne in infinita propemodum, eaq; inenarrabilia, quæ meritò afferri possent, ac deberent, nostra excurrat Oratio, Tandem claudamus. Vices suas ita alijs impertit, vt in partem sint vocati solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, *De illo testatum reliquit,* S. Greg. *relatus* in c. decreto 2. q. 6. Dedit nobis Deus quicquid aliis non negauit. S. Leo serm. 3. de sua assumpt. ad Pontificatum. Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere; vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo, principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet. Idem Epist. 89. A Petro ipso Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit. Innoc. Papa Epist. ad Conc. Carth. Non homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei, vicem gerit in terris, non humana, sed Diuina potius auctoritate dissoluit. c. quanto de transl. Epis. *Vbi* Glossa, verb. Dei veri, *meritò intulit*. Vndè dicitur habere cœleste arbitrium, C. de Sum. Trinit. l. 1. in fine. Et ideò etiam naturam rerum immutat, substantialia vnius rei, applicando alteri, arg. c. Communia de lege. §. 2. Et de nullo potest aliquid facere, C. de rei vxor. Act. l.

1. In principio. Et sententiam, quæ nulla est, facit aliquam, 3. q. 6. Quia in his, quę vult, ei est pro ratione voluntas. Instit. de Iur. nat. §. sed quod Principi. Nec est qui ei dicat, cur ita facis? de pœn. d. 3. §. ex persona. c. quamuis. Ipse enim potest supra ius dispensare, de conceff. præb. c. proposuit. Item de iniustitia potest facere iustitiam, corrigendo iura, & mutando. De Appell. cap. vt debitus. Quia plenitudinem obtinet Potestatis 2. q. 6. c. Decreta. *Ad quam Glossæ, vt ita dicam, perorationem, cætera excogitabilia, veluti ad absolutissimum, nullis circumuallatæ plenipotentiæ cancellis, compendium, cum pro coronide reuocari valeant vniuersa. Limes hìc meritò nobis positus esto.*

FINIS.



Digitized by Google

INDEX CAPITVM.



CAPVT I.

CAP. XIV.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

CAP. XVIII.

CAP. XIX.

CAP. XX.

CAP. XXI.

CAP. XXII.

CAP. XXIII.

Digitized by Google

FINIS.

IN-

INDEX RERVM.



A.

Con-

Digitized by Google

Digitized by Google

ctio nis

Digitized by Google

Qua-

Digitized by Google

Deus

Digitized by Google

FINIS.

